THEOLOGIA MORALIS SACRAMENTALIS TRIPARTITA PER MODUM...

Benjamin Elbel, Johann Balthasar Gutwein, ...

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

S. IOANNES
NEPOMUCENUS

I. Balth. Gutwein. AV.

Digitized by Google

THEOLOGIA MORALIS SACRAMENTALIS TRIPARTITA

Per modum Conferentiarum

CASIBUS PRACTICIS

applicata, & illuſtrata

Ad uſum

Tum Curatorum, tum præſertim

pro cura animarum Examinandorum.

PARS I.

DE

SACRAMENTIS IN GENERE,

Nec non

De Baptiſmo, Confirmatione, extrema Unctione, Euchariſtia (ubi etiam de Sacrificio Miſſæ) & Ordine in ſpecie.

AUTHORE

P. Fr. BENJAMIN ELBEL,

Ordinis FF. Minorum Recollectorum Almæ Provinciæ Argentinæ, ſeu Superioris Germaniæ SS. Theologiæ Lectore Jubilato.

Editio quarta, ab Authore reviſa.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Sumptibus Martini Veith, MDCCXLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

HONORI, ET AMORI

DIVI

JOANNIS NEPOMUCENI,

SACRAMENTORUM
FIDELISSIMI

MINISTRI,

CHRISTI

ATHLETÆ

INVICTISSIMI,

PATRONI

Famâ præsertim, & Honore
Periclitantium,

Hôc Seculo
FAMOSISSIMI.

Digitized by Google

DEDICATIO.

LUbens, immò & gaudens ad *Tuas* devolvor Aras, O ! magne Divûm *JOANNES NEPOMUCENE* ! Et, ne vacuus coram appaream, en! Libellum ſupplicem, mole quidem exiguum, haud tamen exiguo *Tui* amore refertum; *Tuum* quippe totus quantus ambit honorem, quia Venerationis *Tuæ* causâ conſcriptus in vulgus ſpargitur. Eò proin faciliorem ad Clementiæ *Tuæ* ſinum acceſſum ſperare jubeor, quò evidentiùs compertum mihi eſt, in humilibus & exiguis rebus *Tuum* oblectari animum, *Qui*, quoad vixiſti, ſublimiores, dignitatum gradus, & ipſius etiam Epiſcopalis Infulæ grande munus ſanctæ humilitatis zelô recuſâſti.

Et verò, amabo! cujus conſpectum decentiùs ſubiret hic Libellus, quàm *Tuum?*

Dignâre vel ſolum intueri frontiſpicium, nec diſplicebit Opuſculi argumentum. Agit de SS. Eccleſiæ Sacramentis, quæ ſunt *ſeptem illæ Columnæ, quas excidit Sapientia* (*a*) Patris Chriſtus, ad fundandam ſuper illas Eccleſiæ ſuæ immobilem ſtructuram. Sunt uberrimi quidam fontes, per quos Divina Gratia in nos derivatur, juxta illud (*b*) *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Sunt denique, per quæ (ùt loquitur Tridentinum (*c*) *omnis vera juſtitia vel incipit, vel cæpta au-*

(a) Prov. 9. c. (b) Iſa. 12. c. (c) In Proœm. ſſ. 7.

Digitized by Google

augetur, vel amiſſa reparatur; id, quod vel in *Te* uno evidentiùs cernere licet: vix enim velut alter Joannes è ventre ſterili natus (veriùs dicerem, Cœlô datus) & Sacramento Baptiſmi ſpiritualiter regeneratus, Superûm diſpoſitione ſortitus es omen, & nomen *Joannes*, id eſt, gratioſus, ſive gratiarum fons. Enim verò, quantus, quámque copioſus cœleſtium gratiarum, & charismatum fluxus inde è Sacro Baptiſmi laticein animam *Tuam* fuerit derivatus, ille demum conjiciet, qui animô revolvet cœleſtes fructus, & præclariſſima virtutum ſpecimina, quæ à lacte recens jam ſenili prudentia puer dediſti. Jam tunc advertebatur Divinum quid latitare in *Te*. Gliſcebant in tenello pectore quidam charitatis divinæ igniculi, quibus ſuccenſus aſſueveras quàm devotiſſimè ſubire Eccleſias, innocentes ad Deum levare manus, ad Sacratiſſimum Altaris Myſterium Angelicis deſervire moribus. Quæ aliis id ætatis pavulis voluptas ſita in crepundiis, hæc una & ſola *Tibi* videbatur in obeundis divinis miniſteriis. Quæ verò *Tua* erga auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum devotio, quæ reverentia, quis pro hujus cultu ac veneratione zelus, tunc præcipuè enituit, quando Sacerdotiô initiatus, priùs, quàm Dei Filium Patri litares in arâ, rebus omnibus menſe integro ſepoſitis, in id unicè incubuiſti, ut expiatis (ſi quos invenires) conſcientiæ nœvis, puritatis Auctori Chriſto puriſſimum in *Tuo* corde præparares habitaculum, *Téque* ipſum tanto munere dignum probares Miniſtrum. Quàm verò cœleſtem ſis aggreſſus vitæ rationem, ex quo in numerum Canonicorum es recenſitus; quàm eximium, omnibúsque numeris abſolutum perfecti Sacerdotis exemplar *Te* Ipſum præbueris, explicatu difficile eſt. Cer-

Digitized by Google

tum tamen omnibúsque vitæ tuæ ſeriem revolventibus exploratum ſemper videbatur, *Te* morum, ac virtutum conatu acerrimo ad altiſſimum Sanctitatis faſtigium nunquam non contendiſſe.

Unde nec Deus pro infinita ſua bonitate paſſus eſt, ut tantis erga res divinas meritis ſua deeſſet merces. Jam totum *Te* impenderas, immò penè conſumpſeras pro Dei gloria; partim, & quidem frequentiſſimè, è ſuggeſtu faciendo verba, corda Auditorum inflammantia; partim etiam pœnitentium ad *Te* copiosè confluentium peccata pro ſacro Tribunali excipiendô, animarúmque vulneribus medendô; mox aliis indigentibus, & variis calamitatibus oppreſſis, alia Sacramenta adminiſtrandô.

Unum adhuc *Tibi* ſupererat, quod pro Dei gloria, & Sacramentorum reverentia expenderes, & expendendô demonſtrares, quantus erga res divinas cordi *Tuo* inſideat amor. Quid illud? vita ſcilicet præſens, quâ ſicut in mundo nihil eſt pretioſius, ita à reliquis Mortalibus nil ambitur avidiùs, nil cuſtoditur ſolicitiùs. Verùm, nec hujus jacturam facere dubitâſti, ut curſum tuum conſummares feliciter; & qui ob virginalem pudicitiam illibatè ſemper cuſtoditam, Virginum coronam; ob inſignem doctrinam, quâ alios ad juſtitiam erudire conſueveras, Doctorum laureolam jamjam promeruëras; pariter ad expenſum liberaliter vitæ mortalis pretium SS. Martyrum Palmam, & repoſitam juſtitiæ coronam obtineres. Pugnâſti ſtrenuè, viciſti gloriosè, glorioſ ùs triumphâſti. Pugnâſti ſtrenuè, repudiandô, & ſpernendô oblatos *Tibi* Regios honores, dignitates, ac divitias, velut ſplendida vitæ damna. Viciſti gloriosè ſuccenſas lateribus *Tuis* faces

faces Tyranni, intùs majoribus Spiritûs S. flammis succensus. Glorioſiùs triumphâſti, dum pro ſervando ſacræ Exomologeſis ſigillo feralibus Moldavæ undis immerſus, etiam defunctus vitâ ſupernatâſti, & opere ipſo demonſtrâſti, flumina peccatorum *Tuam* nunquam obruiſſe animam. Ita ſanè Præcurſoris Æmulus alter Joannes, *erat lucerna ardens, & lucens*: (*d*) ardens intenſiſſima in Deum, & proximum charitate, lucens gratiarum divinarum, & virtutum ſplendore: & ut ampliùs luceres, Cœlum ipſum, tum in admirabili Nativitatis *Tuæ* ortu, tum etiam in glorioſo mortis occaſu fulgidiſſimas, & ſydereas ſuccendit flammulas, velut irrefragabiles innocentiæ, & Sanctitatis *Tuæ* teſtes. *Te* ipſum jam appello Arbitrum, O! glorioſiſſime famâ, & honore periclitantium Patrone, an non Libellum hunc de digna Sacramentorum Sumptione, & Adminiſtratione tractantem, jure conſecraverim *Tibi*, *Qui* fideliſſimus Sacramentorum Miniſter, Zelator & Cuſtos nunquam non exſtitiſti? Nec Opuſculi tenuitas abſterrere me ullatenus debuit, quandoquidem ſperare licet, fore, ut qui vel Auctoris, vel ipſius etiam Opellæ hujus modicitate offenſi, nec aſpectu quidem eam dignarentur, *Tui* amoris & honoris affectu (qui, ſi non omnium, certè plurimorum cordibus altùm inſidet) excitati, & manus, & animum ad legendum adjiciant. Illud unum, O! glorioſiſſime Bohemiæ, immò Europæ totius Patrone! reliquum eſt, ut hoc qualecunque ſervitutis meæ homagium non aſperneris, ſed potiùs velut publicum devotæ mentis Anathéma ad Aras *Tuas* ſuſpenſum, gratioſo digneris obtutu. Me verò, etſi indigniſſimum; immò non me duntaxat, ſed

(d) Joan. 5. c.

& omnes honori, & amori *Tuo* devinctos clientes; qui *Tuam* tibi gloriam, tum in Cœlis jam pridem adeptam, tum etiam in terris nuperrimè SS. Canonizationis oraculô declaratam, Orbi universo promulgatam, & ubivis passim solenniſſimè decantatam viſceratiſſimo mentis affectu congratulantur, potenti *Tuo* patrocinio porro tegas, & semper protegas nobisque parem erga Deum, res divinas, & sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta amorem, cultum, ac reverentiam impetres ad majorem Dei gloriam, & animarum nostrarum salutem. Ità animitùs vovet, & humillimè supplicat infimus *Tuus* Cliens.

Fr. B. E. Fr.

FA-

FACULTAS.

Admod. Rever.

P. Miniſtri Provincialis.

EGo Fr. Kilianus Kazenberger Ordin. Fr. Min. Recoll. S. P. Franciſci, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, ac Provinciæ Argentinæ, ſeu Superioris Germaniæ Miniſter Provincialis &c. Hiſce facultatem, quantùm in me eſt, concedo, ut Opus, cui titulus: *Theologia Sacramentalis Tripartita, & caſibus practicis applicata.* à V. P. Fr. Benjamin Elbel SS. Theologiæ Lectore Ordinario elaboratum, ac à Theologis ad id deputatis lectum, cenſum, & approbatum, prælo dari poſſit. In cujus fidem has officii mei Sigillô munitas dedi in Monaſterio noſtro Memmingenſi. Die 10. Menſis Decembris An. 1729.

Fr. Kilianus Kazenberger,
qui ſuprà mppr.

Digitized by Google

APPROBATIO THEOLOGICA I.

HUjus *Theologiæ Moralis Sacramentalis* Argumentum correſpondet Authori, Authorque Argumento. Si enim Argumentum, ſeu Materia ſpectetur, ſunt ſeptem Sacramenta, quæ ſunt ſeptem illæ Columnæ, quas excidit Patris Sapientia Chriſtus ad fundandam ſuper illas Eccleſiæ ſuæ immobilem ſtructuram; ſic & Author hujus Theologiæ ſapientialiter totum hoc Argumentum, & Materiam excidit in Conferentias utiliſſimas, quæ bonorum Morum, Orthodoxæ fidei immobilem ſervant, & fovent ſtructuram. Si Argumentum, ſeu ſeptem Sacramenta ſunt Vaſa ſacra, quæ, ùt declarat *Trid. ſſ. 1. in Can. 6.* divinum illum gratiæ ſanantis, & ſanctificantis liquorem in ſe continent, & diffundunt; pariter Author per illius decurſum ſcientiæ ſuæ liquotem in proprio incluſum Vaſe diffundit ad eruditionem multorum. Si demum Argumentum, ſeu ſeptem Sacramenta ſunt uberrimi Fontes, de quibus cecinit Iſaias *c. 12. v. 3. Haurietis aquas in gaudio de Fontibus Salvatoris*, ſacroſanctis nempe Sacramentis; iterum gaudebunt omnes tam Curati, quàm Curandi, ſi diligenter hauſerint doctrinam ſolidam, claram, & ſuccinctam ex profundo Eximii Authoris Fonte. Quare, cùm de Mandato Adm. Rev. Patris Miniſtri Provincialis Kiliani Kazenberger, Superioris mei Obſervandiſſimi, *hanc Theologiam Moralem Sacramentalem* attentè legerim, eandem prorſus dignam cenſeo typô publico. Dabam Salisburgi 23. Novemb. 1729.

F. Leo Stehle, SS. Theologiæ Lector Emeritus, & p. t. Guardianus ibidem.

AP-

APPROBATIO II.

DE Mandato Adm. Rever. Patris P. Ministri Provincialis, attentè perlegi hanc Partem primam Theologiæ Sacramentalis, per modum Conferentiarum deductæ, & Casibus practicis illustratæ à V. P. Benjamin Elbel Almæ nostræ Provinciæ Argentinæ Lectore Actuali, & reperi non modò regulis Orthodoxæ fidei, & morum apprimè conformem, sed etiam singulari utilitate omnium, qui se Curæ animarum vel jam addixerunt, vel addicere cogitant, multimodè consulentem. Hinc dignam censeo, ut pro eorum quotidiano usu imprimatur. Dabam in Conventu nostro Passavienſi ad S. Annam die 18. Octob. Anno 1729.

Fr. Cherubinus Mayr,
ejusdem Provinc. SS.
Theol. Lector. Ord.

AP-

Digitized by Google

Approbatio Cenſoris.

HÆc Theologiæ Moralis Sacramentalis Pars prima multo labore, ac indefeſſo ſtudio ab Adm. Rev. & Clar. Authore elaborata, ſicut materiam de Sacramentis tam in genere, quàm in ſpecie per Caſus practicos optimè illuſtrat, ita omni jure ſibi vèndicat commendationem, & publicam lucem. Auguſtæ Vind. 30. Decemb. 1729.

Imprimatur H. S.

Ex Vicariatu Auguſt. 30. Decemb. 1729.

Jo. Gotthardus L. B.
de Vöhlin Vicarius Ge-
neral. mppr.

Franc. Joſeph. de Handl,
SS. Theol. Lic. Ser. & Rev.
Princip. & Epiſc. Aug. Conſil.
Eccleſ. Maj. Pœnitent. & Li-
brorum Cenſor.

PRÆ-

PRÆFATIO
ad Lectorem.

QUam priori anno jam promiseram, Partem primam, ad complendam Theologiam Sacramentalem, ecce tibi exhibeo, benevole Lector. Nec mireris, hanc, quæ aliàs ordine prima est, in executione ultimam prodire; non enim cogitaveram initiô materiam de singulis Sacramentis typis evulgare, quippe quam ab aliis doctissimis, & in praxi versatissimis Viris toties jam pridem evulgatam reperi. Verùm, ut aliorum voluntati, ac desiderio me accommodarem, universam materiam de Sacramentis in tres Partes distribui, quarum hæc prima complectitur ea, quæ de Sacramentis in genere, nec non de Baptismo, Confirmatione, extrema Unctione, Eucharistia, & Ordine in specie pro praxi frequentiùs occurrere solent: alteram de Pœnitentia, & tertiam de Matrimonii Sacramentis, utpote amplioris praxeos adornavi; hanc enim divisionem magìs commodam existimavi, tum ad servandam Partium æqualitatem, tum etiam ad majorem legentium commoditatem. Quæstionibus speculativis vel omnino prætermissis, vel obiter duntaxat insinuatis, practica quæsita, quorum notitiam Curatis, vel etiam Curandis necessariam duxi, perscrutari studui, eadémque succinctè

etè non tam meô, quàm aliorum probatissimorum Virorum judicio, & assensu resolvere conatus fui. Qui hisce angustiis non contentus, fusiorem moralium notitiam ambit, Authores citatos consulat, & inquirat; in hunc enim finem passim inveniet citatos. Porro seriem Conferentiarum in cujusvis Opusculi frontispicio posui, ut ea, quæ in corpore continentur, vel ex fronte paterent. Rursus cuilibet Conferentiæ præmisi Summarium, in quo singulæ quasi resolutiones in compendio expressæ cernerentur; Nec dubito, quin earum recapitulatione, & attenta Lectione ii, qui Examen proximè subire cogitant, totius materiæ in corpore contentæ species facilè sint recollecturi. Opto jam tibi animitùs benevole Lector, ut hæc omnia tam ad animæ propriæ, quàm ad aliorum etiam salutem & vel maximè ad majorem DEI Gloriam cedant, ut sic in Servulis suis laudetur, & ab omnibus glorificetur Deus Ter Optimus Maximus.

ELEN-

Digitized by Google

Elenchus Conferentiarum, & Casuum.

CONFERENTIA I.

De natura; numero, effectu, & necessitate Sacramentorum in Genere. pag. 1.

CASUS.

I. De Confessario, qui formulam absolutionis interrupit. 16.

II. De Sacerdote scrupuloso, repetente verba Consecrationis. 18.

III. De Obstetrice, mutante formulam Baptismi. 20.

CONFERENTIA II.

De Ministro Sacramentorum Novæ Legis. 25.

CASUS.

I. De Sacerdote, qui hostiæ minoris, quam secum portaverat ad Altare sub Oblatione, & Consecratione immemor, nihilominus eam validè consecravit. 38

II. De Clerico negligente infirmum ex timore infectionis. 40

III. De duobus Sponsis, quorum unus fatebatur peccatum, alter non. 42

CONFERENTIA III.

De Sacramentorum Subjecto. 51

CASUS.

I. De Moribundo, qui protestatus fuit contra Sacramentum extremæ Unctionis. 61

II. De Sponso, qui in statu peccati mortalis contraxit matrimonium, & indignè accessit ad mensam Domini. 64

)( )(III.

III. De quadam persona, quæ ob evitandum periculum diffamationis noluit confiteri alteri, præterquam Complici suo. 66

CONFERENTIA IV.

De natura Baptismi, ejusdémque institutione, & materia. 72

CASUS.

I. De infante, qui delatus ad Ecclesiam ad obtinendum Baptismum, cœpit agonizare in via. 81

II. De quodam Parocho, qui tempore hyemali consueverat baptizare in aqua nonnihil calida. 86

III. De quadam Puerpera baptizante proprium infantem in pede protenso. 88

CONFERENTIA V.

De forma, & Ministro Baptismi. 94

CASUS.

I. De infante baptizato cum hac formula: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritûs sancti.* 102

II. De quadam Obstetrice, quæ defectu intentionis debitæ plures infantes invalidè baptizaverat. 104

III. De alia Obstetrice, quæ infantem nondum integrè egressum tentavit baptizare. 107

CONFERENTIA VI.

De Subjecto Baptismi. 115

CASUS.

I. De Infante baptizando in alieno territorio, 123

II. De Muliere puerpera circa umbilicum secta, & illico mortua. 125

III. De quadam Puella, de qua prorsus ignoratur, an unquam fuerit baptizata. 128

CON-

Digitized by Google

CONFERENTIA VII.

De Baptismi neceſſitate, effectu, & cæremoniis. 132

CASUS.

I. De Parocho negligente quasdam Cæremonias Baptismi. 141

II. De quodam L. Barone, volente prolem ſibi genitam domi baptizari, & quidem ſinè aſſiſtentia Patrini. 143

III. De pluribus volentibus ſimul fungi munere Patrini. 146

CONFERENTIA VIII.

De Sacramento Confirmationis. 151

CASUS.

I. De quadam Muliere, filiolum ſuum propriis humeris offerente, & ſuſtentante pro Sacramento Confirmationis. 160

II. De quodam Studioſo, qui dubius an fuerit ſemel confirmatus, voluit ſuſcipere Sacros Ordines. 162

III. De quodam non Confirmato, qui tenuit puerum viduæ confirmandum, poſtea autem voluit ducere eandem viduam. 164

CONFERENTIA IX.

De inſtitutione, materia, forma, & effectibus extremæ Unctionis. 170

CASUS.

I. De Infirmo delirante, qui D. Parocho è manibus excuſſit Sacrum Oleum. 180

II. De Capellano Decani, qui, locò olei Infirmorum per inadvertentiam cuidam D. Parocho transmiſerat oleum Catechumenorum. 183

III. De Miniſtro, qui ejusdam ſenſus unctionem intermiſerat. 185

CONFERENTIA X.

De Ministro, & Subjecto extremæ Unctionis. 190

CASUS.

I. De Parocho simul vocato ad baptizandum infantem, & ad providendum infirmum. 200
II. De quodam Cooperatore, qui ne sæpiùs cogeretur adire Vetulam, eidem unà cum SS. Eucharistiæ Sacramento simul dedit extremam Unctionem. 202
III. De Infirmo recusante extremam Unctionem, eò quòd hanc crediderit mortiferam. 204

CONFERENTIA XI.

De Institutione SS. Sacramenti Eucharistiæ, ejusdémque materia. 209

CASUS.

I. De Sacerdote, qui hostias partim ex tritico, partim etiam ex siligine fieri curavit. 218
II. De alio quodam, qui, ubi pervenit ad Consecrationem, animadvertit vinum acescere, & congelari. 222
III. De Sacerdote, qui consecravit Vinum nimis lymphatum. 225

CONFERENTIA XII.

De Conditionibus ad Consecrationem materiæ requisitis, & de ipsa forma Consecrationis. 231

CASUS.

I. De Sacerdote, qui voluit duas hostias minores consecrare, postea verò post Consecrationem reperit tres. 239
II. De alio Sacerdote non potente sese reflectere, an verba Consecrationis protulerit vel non. 244
III. De Sacerdote scrupuloso, assueto consecrare alta, & clamorosa voce. 246

CON-

CONFERENTIA XIII.

De Miniſtro SS. Sacramenti Euchariſtiæ. 253

CASUS.

I. De quodam Sacerdote, qui ſine lumine, & veſtibus ſacris moribundo detulit Sacrum Viaticum. 263

II. De alio quodam Sacerdote, cui inter communicandum decidit aliqua hoſtia conſecrata, mox elevata à laico. 266

III. De alio Sacerdote, reprehendente quandam mulierem, eò quòd poſt S. Communionem illico ſeſe inclinâſſet in terram, librô ori admotô &c. 268

CONFERENTIA XIV.

De Subjecto Euchariſtiæ, ejusdémque diſpoſitione. 277

CASUS.

I. De quodam Religioſo ordinando, & non ampliùs naturaliter jejuno. 286

II. De quodam Seniculo, qui non poterat ampliùs naturaliter jejunus accedere Eccleſiam. 288

III. De quodam Confeſſario, qui peccato mortali obnoxius, absque Confeſſione prævia celebravit &c. 291

CONFERENTIA XV.

De Neceſſitate ſumendi SS. Euchariſtiam, & S. Viaticum. 302

CASUS.

I. De quodam Nobili graviter ægrotante, qui admonitionem ſui paſtoris de ſumendo S. Viatico admodum ægrè tulit. 312

II. De quodam plenè ebrio, morti proximo. 316

III. De quadam Muliere graviter infirma, & continuo quaſi vomitui obnoxia. 319

Digitized by Google

) o (

CONFERENTIA XVI.

De SS. Missæ Sacrificio, & quinam illud offerre, vel pro quibus offerri possit, ac debeat. 326

CASUS.

I. De quodam D. Parocho, qui durante SS. Missæ Sacrificio derepente deliquium fuit passus. 340

II. De quodam Sacerdote sub actuali sumptione advertente, quòd locô vini consecraverit aquam. 343

III. De quadam Fœmina Lutherana, postulante Sacrificium Missæ in honorem S. Antonii. 347

CONFERENTIA XVII.

De valore Sacrificii, ejusdémque fructibus, & applicatione. 355

CASUS.

I. Cujusdam Sacerdotis Religiosi, qui in Altari S. Antonii Missam legit *ad intentionem sui Superioris*, ignorans, quòd interim Superior intentionem mutaverit. 370

II. Cujusdam alterius Sacerdotis, qui ex siniſtra persuasione 10. Sacra petita *pro defuncto*, legit *pro defuncta*. 373

III. Cujusdam Religiosi, qui jussus legere Sacrum in Altari S. Joannis Nepomuceni *in gratiarum actionem* fructus sui Sacrificii divisit. 376

CONFERENTIA XVIII.

De Obligatione celebrandi Missas, & de Missarum stipendio. 386

CASUS.

I. Cujusdam D. Parochi, dubitantis an Missas pinguiori stipendio fundatas posset aliis concredere, detracta parte stipendii. 398

II. De

II. De Sacerdote, qui Sacrum pro defuncto *in altari privilegiato* postulatum, legit in alio altari *non privilegiato*. 402

III. De quodam Beneficiato, qui ob amissas fundationis litteras ignorat, ad quot Sacra pro fundatore applicanda teneatur, 404

CONFERENTIA XIX.

De tempore, & loco Sacrificandi. 415

CASUS.

I. Cujusdam Capellani aulici, qui ordinariè jubetur celebrare horâ 12ma, vel prima, aut mediâ 2da. 427

II. De quodam Religioso, qui, etsi non ampliùs jejunus naturaliter, nihilominus ad instantiam R. D. Parochi binavit, seu alteram Missam celebravit. 429

III. De quodam juvene in Ecclesia à Viro honesto graviter percussô, eò quòd tentaverit procurare pollutionem 432

CONFERENTIA XX.

De Altari, paramentis, aliisque ad celebrandum necessariis 440

CASUS.

I. De Sacerdote, cui Sacrificaturo Angeli sancti mirabiliter subministrârunt S. Crucem. 451

II. De Sacerdote, qui inculpabiliter oblitus stolæ, ab alio quodam durante Sacrificio importunè fuit correctus. 454

III. De Alio quodam, qui ex respectu humano multas rubricas non observavit celebrando. 457

CONFERENTIA XXI.

De Sacramento Ordinis in genere, nec non de singulis Ordinibus in specie. 478

CA-

Digitized by Google

CASUS.

I. De quodam Clerico ſcrupuloſiſſimo, qui ſub actuali collatione presbyteratûs videbatur ſibi revocâſſe intentionem ſuſcipiendi Ordinem. 493

II. De quadam Ordinatione, in qua per errorem cuidam ſubdiaconando calix cum vino, è contra alteri presbyterando calix ſine vino, ac pane fuit oblatus. 498

III. Cujusdam Subdiaconi, qui equidem voluit ſuſcipere hunc Ordinem, at ſinè animo ſeſe obligandi ad ſervandam caſtitatem. 502

CONFERENTIA XXII.

De Miniſtro Sacrorum Ordinum eorúmque ſubjecto, & de obligationibus inde reſultantibus. 509

CASUS.

I. De quodam Clerico, qui cum fictis dimiſſorialibus ſuſcepit Ordinem Subdiaconatûs. 524

II. Cujusdam Studioſi, qui, quòd petiêrit Ordines non ab Epiſcopo Originis, ſed domicilii paterni, repulſam paſſus fuit. 527

III. De quibusdam Religioſis, qui eodem tempore à Reverendiſſimo, ac Celſiſſimo Principe, & Epiſcopo Paſſavienſi plures obtinuêre Ordines. 530

CONFERENTIA PRIMA.

De Natura, Numero, Effectu, & Neceſſitate Sacramentorum, in genere.

SUMMARIUM.

1. Sacramentum eſt ſignum viſibile inviſibilis gratiæ.
2. Sacramenta N. L. dantur ſeptem.
3. Tam in ſtatu Legis Naturæ, quàm Moſaicæ fuit à DEO inſtitutum remedium quoddam expiativum peccati originalis, quod habuit rationem Sacramenti propriè talis.
4. Satisfit cuidam inſtantiæ ex SS. Patribus deſumptæ.
5. Omnia Sacramenta N. L. tribus perficiuntur, ſcilicet materiâ, formâ, & Perſonâ Miniſtri &c.
6. Omnium Sacramentorum materia & forma ſaltem quoad ſubſtantiam fuit à Chriſto Domino determinata.
7. Hinc mutatio ſubſtantialis obſtat valori Sacramentorum, non item accidentalis.
8. Quænam cenſeatur mutatio ſubſtantialis, & quænam accidentalis tantùm.
9. Inter applicationem materiæ & formæ neceſſaria eſt quædam ſimultas moralis.

10. Effectus Sacramentorum est duplex. Primarius est gratia sanctificans: 2darius character.
11. Sacramenta ejusdem speciei conferunt æqualem gratiam æqualiter dispositis; inæqualem verò inæqualiter dispositis.
12. Quomodo Sacramenta N. L. sint necessaria?
13. Resolvitur Casus I. de Confessario, qui formam absolutionis interrupit.
14. Resolvitur Casus II. de Sacerdote scrupuloso repetente verba Consecrationis.
15. An hostiam maculatam licitè consecraverit.
16. Resolvitur Casus III. de Obstetrice mutante formulam Baptismi.
17. Quid si habuisset intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & tamen errâsset?
18. Cur Martyrium, Sacrificium Missæ, & Lotio pedum non sint Sacramenta.
19. Nec Pontifici, nec Ecclesiæ competit potestas mutandi Sacramenta quoad substantiam.
20. & 21. Solvuntur duæ instantiæ contra hoc.
22. Qui scienter suscipit Sacramentum vivorum in statu disgratiæ, per se loquendo peccat mortaliter.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Materia, & Forma Sacramentorum.

QUæres primò, quid sit Sacramentum propriè dictum?

1 R. Sacramentum propriè acceptum est signum visibile invisibilis gratiæ, ad sanctificandum hominem divinitùs institutum.

Paulò

Paulò aliter illud describit Scotus 4. *Dist. 1. q. 2. §. de 3tio Principali*, nempe, quòd sit signum sensibile, gratiam DEI, vel effectum ejus gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis Viatoris. Ex quibus patet, quòd Sacramentum propriè dictum debeat esse 1. signum visibile, seu sensibile, id est aliquo sensu v. g. visu, auditu &c. perceptibile. 2. Debet significare gratiam DEI, id est, qualitatem illam supernaturalem, quâ homo justus, sanctus, & Deo gratus efficitur. Vel 3. Effectum ejus gratuitum; quod addit Doctor subtilis propter venerabile Sacramentum Eucharistiæ; hoc enim, utpote consistens *in facto esse*, primariò & immediatè significat verum Corpus & Sanguinem Christi, realiter sub speciebus consecratis contentum, quamvis postea dignè sumentibus conferat gratiam sanctificantem ex opere operato. Et quoniam Christus sub dictis speciebus ex gratuita voluntate Dei existit; hinc bene dicitur effectus DEI gratuitus. 3. Debet Sacramentum gratiam significare efficaciter, id est, ita, ut significando infallibiliter causet gratiam, & quidem ex institutione divina, seu stabili, firma, & perpetuò valitura constitutione Dei; Qui, sicut solus potest infallibiliter

cauſare gratiam ; ita ſolus etiam poteſt inſtituere Sacramenta, ceu ſigna collativa gratiæ. Et cùm omnium Sacramentorum finis ſit, Sanctificatio Corporis Eccleſiaſtici ex fidelibus conſtituti, hinc additur : *ordinatum ad ſalutem hominis Viatoris.*

Quæres 2. Quot ſint Sacramenta N. Legis ?

2 R. Sunt ſeptem. Ita tanquam de fide decidit Concilium Trid. *de Sacram. ſſ. 7. can. 1.* ibi: *Si quis dixerit Sacramenta N. Legis non fuiſſe omnia à JEſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Evchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum non eſſe verè & propriè Sacramentum ; anathema ſit.* Ratio hujus ſeptenarii numeri alia dari nequit, quàm beneplacitum Divinæ voluntatis. Congruentiam tamen ejusdem Doctores colligunt ex analogia, ſeu proportione vitæ ſpiritualis cum corporali : quemadmodum enim ad vitam corporalem ſeptem requiruntur ſcilicet 1. Generari. 2. Creſcere. 3. Nutriri. 4. A morbo curari, ſi contingat in ipſum incidere. 5. Curari à morbi reliquiis. 6. Per ordinem ad Communitatem habere poteſtatem, & officia Rempublicam gubernandi ; & 7. Pro conſer-

ſervatione generis humani prolem propagare; ità in vita ſpirituali requiritur 1. Generatio per Baptiſmum. 2. Augmentatio, & roboratio per Confirmationem. 3. Nutritio per Euchariſtiam. 4. Remedium contra morbum peccati, per Pœnitentiam. 5. Remedium contra peccatorum reliquias, per extremam Unctionem. 6. Poteſtas regendi, & gubernandi homines, quæ confertur per ſacrum Ordinem. 7. Ex parte Reipublicæ propagatio hominum ad cultum DEI per Matrimonium.

Quæres 3tiò. Utrùm etiam in ſtatu Legis Naturæ, & Legis Moſaicæ fuerit Sacramentum propriè dictum?

R. Cum Scoto 4. *diſt.* 1. *q.* 6. Maſtr. Herincx, & aliis SS. communiter, affirmativè. In ſtatu enim Legis naturæ, (qui duravit ab Adamo uſque ad Moyſen) fuit aliquod ſignum externum, ſaltem implicitè proteſtativum fidei in Meſſiam venturum. In ſtatu autem Legis Moſaicæ (qui duravit uſque ad promulgationem Evangelii per Apoſtolos factam) pro fœmellis idem actus fidei adhibebatur, ad delendum peccatum originale: pro Maſculis verò inſtituta fuit Circumciſio. Quód autem habuerint rationem Sacramenti propriè talis, inde ſuaderi poteſt; quia, ùt teſtatur D. Auguſtinus *lib.* 2. *de Nupt. & Concupiſc. c.* 11. item 3

l. 5. contra Julian. c. 11. tam Circumcisio, quàm actus ille protestativus Fidei habebant vim delendi peccatum originale : ergo conferebant gratiam sanctificantem ; nam sinè hujus infusione, saltem de lege ordinaria, non dimittitur peccatum : atqui non ex opere operantis, puta parvuli circumcisi : ergo ex opere operato ; consequenter fuit verum Sacramentum.

Dices : Sancti Patres subinde negârunt, per Sacramenta V. Legis, vel etiam per Circumcisionem collatam fuisse gratiam.

4 R. SS. Patres esse intelligendos de Sacramentis V. Legis impropriè talibus ; cujusmodi erant 1. Esus Agni Paschalis, & panum propositionis. 2. Certæ purificationes legales, factæ v. g. per aspersionem sanguinis hircorum, aut vitulorum &c. 3. Item quædam consecrationes Sacerdotum & Levitarum &c. Hæc enim non conferebant gratiam ex opere operato, sed solùm ex opere operantis, si fuerunt facta in charitate ; aut ad summum conferebant quandam sanctitatem legalem & externam, non item internam. Dum verò SS. Patres subinde negârunt, per Circumcisionem fuisse collatam gratiam, loquuntur comparativè ad Baptismum, & innuunt, quòd Circumcisio non contulerit gratiam immediatè dispositivam ad Cœlum, qualem confert

Ba-

Baptismus, prout declaravit Innocent. III. *c. Majores de Baptis.* vid. Reiffenstuel *Theol. mor. tr. 14. dist. 1. à n. 12.* Sporer *Theol. Sacram. part. 1. c. 1. n. 8.*

Quæres 4tò. Utrùm Sacramenta N. Legis constent materia, & forma? Et quomodo hæc à Christo D. fuerit determinata?

R. ad primum. Juxta Concil. Florent. *in Decret. Un.* Omnia Sacramenta N. Legis perficiuntur tribus, scilicet *rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & Personâ Ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Sic v. g. in Sacramento Baptismi ablutio dicitur res, & materia Sacramenti; quia per verba: *Ego te baptizo, &c.* ceu formam, determinatur ad significandam ablutionem spiritualem animæ. 5

R. Ad 2dum. Omnium Sacramentorum materia & forma fuit à Christo Domino determinata quoad substantiam: non tamen in omnibus æqualiter. Ità *cum communi* DD. Bosco *part. 1. disp. 1. sect. 3. n. 25.* Ratio est: quia ùt suprà *n.* 2. vidimus, ex Concilio Trid. omnia Sacramenta sunt per Christum instituta: atqui Sacramenta non sunt aliud, quàm res & verba: ergo & hæc quoad substantiam à Christo fuisse determinata, necessum est. Cæterùm, quòd non æqualiter sint determi- 6

nata, inde colligere licet: quia Christus materiam & formam Baptismi determinavit in individuo, scilicet aquam naturalem, cum sequentibus verbis: Ego te baptizo in nomine Patris &c. Prout habetur *Joan. 3. & Matth. ult.* Pro Sacramento extremæ Unctionis determinavit oleum Olivarum, ùt habetur *Jacob. 5.* & docet praxis Ecclesiæ. Pro Sacramento Eucharistiæ determinavit panem triticeum, & vinum in specie subalterna (supposito quòd sint plures species tritici, & vini) Pro materia Sacramenti Pœnitentiæ remota, peccatum vel mortale, vel veniale, pro proxima Confessionem, vel attritione, vel contritione dolorosam. Pro Sacramento Matrimonii contractum legitimum fidelium. Pro Sacramento Ordinis determinavit in genere signum aliquod visibile, ulteriùs determinandum ab Ecclesia cum certa verborum formula, quibus exprimeretur potestas spiritualis conferenda Ordinando. Quæ omnia partim ex Scriptura, partim etiam ex Conciliis, Traditionibus, & communi Theologorum consensu constant.

Quæres 5tò. Quænam mutatio formæ aut materiæ obstet valori Sacramentorum, & quænam non?

7 R. Mutatio substantialis obstat, non item mu-

mutatio accidentalis; quamvis etiam hæc, per se loquendo, reddat Sacramenti confectionem illicitam. Ità cum communi Scot. 4. *d.* 3. *q.* 2. Fraſſen *tom.* 4. *diſp. proœm. art.* 1. *q.* 2. *n.* 14. Ratio eſt: quia, ùt proximè dictum, tota ſubſtantia Sacramentorum à Chriſto Domino fuit inſtituta, ità, ut eorum tota virtus & efficacia tam in ſignificando, quàm in operando inde dependeat: ergo ſi non adhibeatur res per Chriſtum determinata, non conficitur Sacramentum, bene autem ſi adhibeatur. Atqui, ubi fit mutatio accidentalis tantùm, adhuc adhibetur res per Chriſtum determinata, non item, ſi fiat mutatio ſubſtantialis: ergo hæc obſtat valori, non item illa. Nihilominus quòd & mutatio accidentalis reddat Sacramenti confectionem illicitam, facilè ſuadetur ex eo: quia unusquisque Miniſter tenetur ſe gerere juxta praxin, & uſum communem in Eccleſia receptum: at, qui mutat materiam, vel formam Sacramenti, non ità ſe gerit: ergo peccat. A fortiori, per ſe loquendo, peccabit mortaliter, qui ſcienter variat materiam aut formam ſubſtantialiter; vel qui ſinè juſta cauſa utitur materia, aut forma dubia, ubi poſſet uti certa; quia talis vel adminiſtrat Sacramentum ſacrilegè, vel certè ſe exponit periculo ſacrilegè adminiſtrandi, utique non ſinè graviſſima injuria in Chriſtum Auctorem Sacramentorum, & peri-

periculo animarum. Subinde tamen vel ob ignorantiam, vel ob casum necessitatis tales excusari possunt, prout dicitur *in tract. de Consc. & Act. hum. & nos Confer. 7. n. 203.*

Dices: Sed quænam mutatio censetur substantialis, & quænam accidentalis tantùm?

8 R. Cum P. Sporer *cit. p. 1. c. 2. q. 86. & communi aliorum.* Mutatio substantialis materiæ fieri censetur, quando in confectione Sacramentorum adhibetur aliqua res, quæ nomine, & ratione, vel saltem usu hominum differt ab illa, quam Christus instituit, aut Ecclesia usurpat. Mutatio verò accidentalis tantùm dicitur, quando res, etsi variata vel alterata, retinet tamen nomen, & rationem illius, quam Christus instituit, aut Ecclesia usurpat. Similiter, tunc censetur fieri mutatio substantialis formæ, quando verba non ampliùs retinent eundem substantialiter sensum, quem Christus voluit exprimi; è contra si eundem adhuc retineant, etsi variata, dicitur fieri mutatio accidentalis tantùm.

Quæres 6tò. An, vel qualis requiratur simultas materiæ & formæ in confectione Sacramentorum?

9 R. Requiritur simultas saltem moralis. Ra-

Ratio eſt: quia Sacramenta ſunt quædam compoſita moralia: ergo requirunt partium ſuarum, materiæ ſcilicet & formæ ſimultatem ſaltem moralem. Et quidem in confectione Evchariſtiæ requiritur phyſica coëxiſtentia & præſentia materiæ conſecrabilis pro tempore conſecrationis, propter pronomen demonſtrativum *hoc*, vel *hic &c.* quod deſignat materiam permanentem, locô & tempore præſentem Miniſtro. In reliquis tamen Sacramentis ad valorem non eſt neceſſaria phyſica præſentia vel coëxiſtentia, ſed ſufficit moralis, prudentûm judiciò exiſtimanda & menſuranda, juxta ſignificationem formæ, & qualitatem actionis aut materiæ, quam forma afficit. Monent tamen omnes, ut, quantùm fieri poteſt, materia ſimul cum forma applicetur. Quin immò Scot. *4. diſt. 6. q. 3.* Sporer, Babenſtub. & alii plures meritò peccati mortalis condemnant illum, qui baptizando integram materiam ſeu ablutionem perficeret, priùs quàm inciperet pronuntiare formam; eò quòd Sacramentum reddat dubium, aut certè illud exponat periculo fruſtrationis, & prolem periculo æternæ damnationis. *Vid. DD. citt.*

Quæres 7timò. Quiſnam ſit effectus Sacramentorum?

R. Effectus eſt duplex, ſcilicet gratia, & character, quem nonnulla Sacramenta ſe- 10

cun-

cundariò conferunt; nam gratia eſt effectus primarius. Ratio hujus facilè eruitur ex dictis: omnia enim Sacramenta principaliter ſunt inſtituta ad hominem ſanctificandum: at, homo formaliter ſanctificatur per gratiam: ergo neceſſum eſt, ut Sacramenta homini primariò, ſeu per modum effectûs primarii conferant gratiam ſanctificantem; vel primam, prout faciunt Sacramenta mortuorum, Baptiſmus ſcilicet, & Pœnitentia; vel 2dam, id eſt, augmentum gratiæ ſanctificantis, prout per ſe loquendo faciunt reliqua quinque. Sacramenta, Confirmatio, Evchariſtia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium: quæ propterea appellantur Sacramenta Vivorum, eò quòd ſupponant hominem ſpiritualiter viventem, id eſt, conſtitutum in gratia, quæ eſt vita ſpiritualis animæ: quamvis non rarò conferant gratiam primam per accidens, dum bona fide ſuſcipiuntur cum ſola attritione. Inſuper omnia Sacramenta præter gratiam habitualem (quæ, niſi ponatur obex, ſtatim infunditur in reali ſuſceptione Sacramenti) conferunt quoddam jus ad percipiendas ſuo tempore gratias actuales, id eſt, pias quaſdam illuſtrationes intellectûs, & commotiones, ſeu inflammationes voluntatis ad bonum inclinantes. Sic Sacramentum Ordinis confert jus ad percipienda cum tempore gratiæ auxilia, quibus Ordinatus dignè obeat functiones ſacras.

sacras. Sacramentum Matrimonii confert jus ad percipienda gratiæ auxilia, quibus Conjuges faciliùs portent matrimonii onera, & prolem debitè educent.

Porro 2darius nonnullorum (ùt diximus) Sacramentorum effectus est character, id est, signum quoddam spirituale, indelebile, in susceptione Sacramenti initerabilis animæ impressum, significans potestatem spiritualem eô Sacramentô acquisitam. Tria autem dantur Sacramenta characterem imprimentia, videlicet 1. Baptismus; cujus character est signum ovium Christi. 2. Confirmatio; cujus character est signum Militum Christi. 3. Ordo, cujus character est signum Ministrorum Christi ad cultum DEI specialiter consecratorum. Et quoniam hæc tria solùm Sacramenta indelebilem imprimunt characterem, hinc etiam sola hæc tria sunt initerabilia, prout tum ex traditione perpetua, & communi Catholicorum consensu, tum etiam ex Concilio Trid. *suprà cit. Can. 9.* constat. Vide *cit.* Sporer *part. 1. c. 1. n. 54. & seq.*

Dices: Conferuntnè omnia Sacramenta gratiam æqualem?

R. Sacramenta ejusdem speciei semper 11
conferunt gratiam æqualem æqualiter dispositis;

sitis ; inæqualem verò inæqualiter disposítis. Ita omnes. Ratio desumitur ex Trident. SS. 6. c. 7. ubi de justificatione, quæ fit per Baptismum, agendô ait, *unumquemque recipere gratiam sive justitiam secundùm propriam dispositionem, & cooperationem:* ergo qui magìs dispositus accedit, majorem recipit gratiam. Et certè hoc videtur exigere ordo gratiæ, ùt, qui diligentiùs sese præparare satagit ad susceptionem Sacramenti, majorem inde reportet fructum, quatenus homines hôc modô allicerentur ad majorem erga Sacramenta reverentiam.

Dixi tamen: Sacramenta ejusdem speciei &c. Quòd enim Sacramenta diversæ speciei inter se comparata non conferant æqualem gratiam, DD. communiter supponunt, quamvis certò determinari nequeat, quænam excedant. Videtur tamen, cæteris paribus (ait Herincx *disp. 4. n. 31.*) Sacramenta non iterabilia plus gratiæ conferre, ob suam non iterabilitatem, nisi quòd nonnulli excipiant venerabile Sacramentum Evcharistiæ, etsi iterabile; ídque ob conjecturam desumptam ex supereminenti illius Sacramenti præ cæteris dignitate.

Quæres tandem 8vò. Quomodo Sacramenta sint ad salutem necessaria?

R.

R. Cum Maſtrio 4. *diſp. 1. n. 365.* Sporer, Sanning, & aliis, 1. Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ eſſe neceſſaria neceſſitate medii, ità quidem, ut Baptismus vel in re, vel in voto ſuſceptus ſit neceſſarius omnibus omnino hominibus, juxta illud *Joan. 3. Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum DEI.* Pœnitentia autem iis duntaxat, qui poſt Baptismum ſunt relapſi in peccatum mortale, prout rurſus innuitur *Luc. 13. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* 2. Sacramenta Ordinis & Matrimonii pariter ſunt ſimpliciter neceſſaria toti Communitati Eccleſiæ vagè acceptæ, non tamen cuipiam in particulari, ſeu determinatè ſumpto. Ratio eſt: quia homines nequeunt ſalutem conſequi, niſi aliqua Sacramenta recipiant, quæ non poſſunt confici vel miniſtrari ſinè Sacerdotibus: atqui Sacerdotes N. L. non habentur, niſi ex Ordinatione, & propagatione humani generis, facienda in matrimonio: ergo. 3. Sacramenta Confirmationis & extremæ Unctionis non ſunt neceſſaria neceſſitate medii, immò nec præcepti; cùm de hoc nullibi conſtet: ſolùm ergo obligamur ea non contemnere. Tandem Evchariſtia neceſſaria eſt neceſſitate præcepti, probabiliùs divini, ùt dicemus. *Conſer. 15. n. 106.* 12

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de mutatione Formæ & Materiæ Sacramentorum.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos pœnitentem ritè (ùt crediderat) dispositum absolvit. Verùm, ubi post prolata jam verba absolutionis: Ego te absolvo *subitò respexit, animadvertit, eum jam discessisse è sacro tribunali; quapropter eundem revocavit dicendo: quid est hoc? cur non exspectâsti? revertere, & flecte, usque dum te absolverim; quô reversô protulit reliqua verba, scilicet*: à peccatis tuis &c. *Jam verò dubitat, an bene & validè absolverit, an verò totam debuisset repetere formulam absolutionis? Quid respondendum?*

13 R. Si pœnitens fuit tam propinquus Confessario, ut illum statim potuerit revocare, procul dubio fuit moraliter præsens: proindeque minimè fuisset necessarium illum revocare, sed debuisset reliqua verba absolutionis continuò prosequi. Nihilominus, quamvis supponatur nonnulla verba interlocutus revocando, quia tamen interruptio & verborum interpositio

sitio non fuit tanta, quin verba subsequentia: *à peccatis tuis* in morali hominum æstimatione cum præmissis: *Ego te absolvo* apud audientes potuerint facere unam moraliter orationem; hinc dicendum, absolutionem valuisse. Ratio est: quia sicut Sacramentum totum, ità & forma Sacramenti est compositum quoddam morale, integrans unam orationem totalem: ergo illa solùm interruptio verborum obstat valori, quæ facit, ut in morali hominum existimatione verba non ampliùs reddant unam orationem & sensum, quem quoad substantiam Christus voluit exprimi: atqui in nostro casu non fuit tanta verborum interruptio, prout à pari colligere licet; nam si quis baptizando diceret: *Ego te baptizo*, & post horum prolationem advertat, aquam esse nimìs frigidam, aut infantem minùs accommodè dispositum ad baptizandum, proindéque interponeret: *Infundite parum aquæ calidæ*, vel *appropiate magìs infantem &c.* Postea prosequeretur reliqua verba: *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, Baptismus procul dubio valeret, prout tenent Tambur. Laym. Diana, Clericatus *de Sacram. in Gen. Decis. 10. n. 6.* Gobat. *Theolog. experim. tr. 2. n. 97.* Marchant. *resolut. pastor. de Sacram. tr. 1. c. 2. n. 2. ad 3tium*: ergo à pari, ob interpositionem illorum verborum impertinentium minimè impediebatur sensus substantialis formæ absolutionis. Unde quem-

admodum in tali Casu non esset baptismus necessariò repetendus, ità nec absolutio. Si amen verba absolutionis repetiîsset sub conditione, ex pia quadam cautela, vel potiùs scrupulositate, non condemnarem illum gravis peccati. At cur sub conditione? ais. R. Ne formam repetat super eandem materiam; multi enim Doctores probabiliter tenent, sola hæc verba: *Absolvo te*, esse de essentia.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Presbyter vehementer exagitatur scrupulis, videturque sibi nunquam satis exprimet: verba consecrationis. Unde fatetur, se nuper consecrâsse sequenti modô: Hoc, hoc, hoc, est, est, est, corpus, corpus, corpus, meum, meum, meum. *Dubitat jam 1. An consecraverit validè? 2. An etiam licitè, eò quòd sub actu consecrationis animadverterit, hostiam esse maculatam quadam particula prunæ eidem impistæ. Quid judicii?*

14 R. Ad primum. Sempronius validè consecravit. Ita Clericat. *cit. decis. 8. n. 8.* Ratio est: quia illa repetitio singularum vocum non auferebat sensum substantialem formæ, prout bene ponderanti facilè apparebit. Rectè tamen existimat Gobat *cit. Theolog. experim. tr. 3. n. 94.* hujusmodi Repetitores committere pec-

peccatum ex genere ſuo mortale; quia inducunt novum ritum circa actionem omnium graviſſimam; mutant formulam ſacramentalem; & repræſentant Chriſtum ridiculè loquentem. Credo tamen (ſubdit idem Doctor) tales coram Deo non peccare graviter; quia ſcrupuli eos adigunt ad hanc parvam ſtultitiam.

R. Ad 2dum, Quòd, ſi macula non fuit enormis, ità, ut fortè cum ſcandalo potuiſſet à populo notari, licitè omnino conſecraverit. Ratio eſt: quia hoſtiam leviter ſolùm maculatam (vel etiam fractam, aut non integram) ſinè cauſa conſecrare, non excedit veniale, per ſe loquendo; eò quòd non videatur gravis irreverentia irrogari Sacramento: ergo talem conſecrare cum rationabili cauſa, qualis eſt, ſi hoſtia jam fuit oblata, vel Sacerdos ad actum conſecrationis jamjam pervenerit, prout caſus ſupponit, omni culpa vacat. Quòd ſi tamen Sacerdos defectum advertiſſet in Sacriſtia, vel etiam ante oblationem, è Sacriſtia alia fuiſſet petenda, ùt tradit Quarti *in Rubric. Miſſ. p. 3. d. 10. n. 19. dub. 1.* quem refert, & ſequitur la Croix *l. 6. p. 1. n. 432.* vide etiam Gobat. *cit. tr. 3. n. 832.*

CASUS TERTIUS.

CAja obstetrix infantem recens natum, & jam-jam cum morte luctantem baptizaverat sequenti formula: Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritûs Sancti, & B. Virginis Mariæ, amen. *Quærit proin parens hujus prolis, qui modum baptizandi gnaviter advertit, an baptismus valeat; tum quia Caja omiserat* ly &; *tum etiam, quia addidit nomen B. V. MARIÆ. Quid respondendum?*

16 R. Valuisse Baptismum. Ratio est: quia licèt omiserit particulam &, procul dubio tamen voluit baptizare in nomine Filii æquè, ac Patris. Esto etiam addiderit nomen B. Virginis, minimè tamen dubitandum videtur quin illud solùm voluerit addere causâ intercessionis, ad implorandum B. Virginis patrocinium pro conservanda gratia baptismali, prout bene advertit Marchantius noster apud Gobat *Theol. exper. tr. 2. n. 94.* Secus dicendum foret, si obstetrix in nomine B. Virginis æquè ac in nomine Trinitatis voluisset baptizare; quia sensus substantialis formæ exigit, ablutionem fieri in auctoritate solius Trinitatis, non Quaternitatis, ait Herincx *part. 4. tr. 2. disp. 2. n. 19.*

Dices:

Digitized by Google

Dices: Sed quid, si obstetrix præfata erroneè existimâsset, esse baptizandum in nomine B. Virginis æquè, ac SS. Trinitatis, cæteroquin tamen habuisset intentionem baptizandi eô modô, quô Christus instituit, seu etiam faciendi id, quod facit Ecclesia?

R. Si supponatur habuisse hanc intentionem (prout regulariter supponi debet) non est dubitandum, quin valeat Baptismus; quia tunc per hanc suam intentionem generalem correxit errorem privatum, quô credidit Baptismum etiam in nomine B. Virginis esse administrandum. Hinc bene notat Herincx *cit. n. 20.* quòd, si verba de se sint æquivoca, seu indifferentia ad varios sensus, tunc ex mera intentione proferentis possint determinari ad certum sensum, vel legitimum & validum, vel illegitimum & invalidum. Quare, qui baptizando diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris*, intelligens non Patrem Divinum, sed proprium prolis: vel, qui consecrando diceret: *Hoc est corpus meum*, intelligens non Corpus Christi, sed proprium, nullum conficeret Sacramentum: quia cùm hæc verba hîc & nunc nihil aliud significent, quàm quod loquens intendit, ísque supponatur non intendere corpus Christi, vel Patrem Divinum, variatur sensus substantialis, consequenter nullum conficitur Sacramentum. *Vid. DD. citt.* 17

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

18 COlliges ex dictis, nec 1. Martyrium, nec 2. Sacrificium Missæ quà tale, nec 3. Lotionem pedum esse, vel fuisse Sacramentum. Ratio 1mi est: quia Martyrium non est à DEO institutum, sed potiùs prohibitum. Ratio 2di: quia Sacrificium quà tale est institutum ad DEUM colendum, non ad hominem sanctificandum, utì Sacramenta. Ratio 3tii est: quia lotio pedum pariter non fuit instituta ad hominem sanctificandum, sed partim ad præbendum Discipulis & Christi sectatoribus humilitatis exemplum, partim etiam ad docendum, quanta cum animi puritate oporteat accedere ad hoc Sacramentum.

19 Colliges 2. Pontifici & Ecclesiæ non competere potestatem immutandi materias aut formas Sacramentorum quoad substantiam. Ratio est: quia secundùm dicta, omnium Sacramentorum forma & materia quoad substantiam saltem, fuit à Christo Domino determinata: Ecclesia autem & Pontifex, sinè speciali potestate & concessione (de qua hîc non constat) nihil valent contra voluntatem Christi Domini; quia lex Superioris per inferio-

rio-

riorem tolli non potest. *Clem. Ne Romani de elect.* Ergo.

Dices. Olim in primitiva Ecclesia conferebatur Diaconatus & Presbyteratus per solam manuum impositionem; sed hoc mutavit Ecclesia Latina: ergo. Confirmatur. Olim valebat contractus matrimonii clandestinus inter fideles, habuítque rationem Sacramenti: at, hoc fuit immutatum per Concilium Tridentinum; ergó.

R. Dist. maj. conferebantur per manuum 20
impositionem, ità, ut hæc in individuo fuerit à Christo determinata, *nego.* ità ut fuerit determinata ab Ecclesia & Apostolis, *con. maj. & con. min. neg. cons.* Christus enim solùm determinavit pro Ordinibus conferendis aliquod signum sensibile, de cætero relinquendo Ecclesiæ, quodnam in individuo vellet adhibere, ad designandam potestatem spiritualem: quare cùm Ecclesia etiamnum utatur signo sensibili in collatione Ordinum, dici non potest, mutâsse materiam quoad substantiam.

Ad Confir. R. rursus *disting. Maj.* valebat 21
contractus matrimonii clandestinus, & hoc ideò, quia in Ecclesia habebatur legitimus, *con.* si non fuisset legitimus, *neg. & con. min. neg. cons.* Non enim quemlibet, sed solùm

contractum legitimum matrimonii inter fideles celebratum Christus Dominus elevavit ad rationem Sacramenti ; hinc Ecclesia annullando contractum clandestinum , non mutavit Sacramentum directè, sed solùm declaravit talem contractum tanquam illegitimum: contractui autem illegitimo nunquam fuit à Christo connexa ratio Sacramenti. Vide Kugler *de Matrim. n. 863.* Sporer *de Matrim. n. 32.*

22 Colliges 3tiò. Eum qui in statu disgratiæ scienter suscipit Sacramentum vivorum , peccare mortaliter. Ratio est; quia talis indignè suscipit , & ponit obicem gratiæ sacramentali , utique non sine gravi injuria in Christum Dominum , Auctorem Sacramentorum , prout dicetur inferiùs. *n. 60.*

CON-

Digitized by Google

CONFERENTIA SECUNDA.

De Miniſtro Sacramentorum N. L.

SUMMARIUM.

23. Soli homines Viatores ſunt ordinarii Miniſtri Sacramentorum: extraordinarii poſſunt eſſe Angeli.
24. Ad validam Sacramenti confectionem nec fides Miniſtri eſt neceſſaria, nec probitas; bene verò ad licitam; Unde
25. Miniſter ſpecialiter conſecratus peccat mortaliter conficiendo Sacramentum in ſtatu disgratiæ;
26. Non item Miniſter non conſecratus ſpecialiter.
27. Explicatur trifaria intentio, actualis, virtualis, & habitualis.
28. Actualis eſt omnium optima, non tamen neceſſaria; ſed
29. Sufficit virtualis, etiam implicita, faciendi quod facit Eccleſia, ſeu, quod Chriſtus inſtituit.
30. Non tamen ſufficit in Miniſtro intentio habitualis;
31. Niſi in ſolo Matrimonio.
32. Solvitur quædam inſtantia de applicatione fructûs Sacrificii.
33. Miniſtri intentio debet eſſe abſoluta, nec ſufficit conditionata de futuro, niſi in ſolo Matrimonio.
34. Inſuper debet eſſe determinata ad certam materiam & Perſonam.

35. Quomodo regulariter sit formanda intentio?
36. Minister per se loquendo peccat mortaliter, administrando Sacramentum indigno.
37. Peccatori publico neganda est Eucharistia, sive publicè petat, sive occultè.
38. Si verò peccator sit occultus, & publicè petat, debet ipsi tribui.
39. Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.
40. Resolvitur Casus I. de Sacerdote, qui hostiæ minoris, quam secum portaverat ad Altare, sub oblatione, & consecratione immemor, nihilominus illam validè consecravit.
41. Quid si in Sacristia cogitâsset: *faciam intentionem in Altari?*
42. Resolvitur Casus II. de Clerico, negligente infirmum ex timore infectionis; qui, si fuit Parochus proprius, multipliciter peccavit.
43. Et quid, si non fuisset Parochus proprius, sed Regularis?
44. Resolvitur Casus III. de duobus sponsis, quorum unus fatebatur peccatum, alter non: & quid Confessario agendum in tali casu?
45. An liceret utrique ministrare Sacramentum Eucharistiæ?
46. Quisnam censendus sit publicus peccator?
47. Neque tali fas est dare hostiam non consecratam, locô consecratæ.
48. Sacerdos in statu disgratiæ absolvens, baptizans &c. peccat.
49. Utrum teneatur præmittere Confessionem?
50. Excipiendo præcisè Confessionem in statu disgratiæ, vel ministrando aliis Eucharistiam, non peccat graviter.
51. Absolutio quandoque danda est sub conditione de præterito vel præsenti.

Digitized by

§2. Ministro incumbit graviter attendere ad dispositionem suscipientis Sacramentum
§3. In confectione Sacramentorum relictâ sententia tutiori, minùs tutam sequi, nefas est.
§4. Afferuntur tres Regulæ ex Scoto, in Sacramentorum administratione observandæ.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Ministro Sacramentorum.

QUæres primò, quisnam sit legitimus Minister Sacramentorum N. Legis?

R. Soli homines viatores sunt ordinarii Mi- 23
nistri, prout contra Sectarios docet Scotus 4. *d. 6. q. 1. v. simpliciter ergo.* Herincx *p. 4. tr. 2. disp. 3. n. 2. & alii communiter.* Ratio est: quia hominibus, & non Angelis Christus Dominus legitur contulisse hanc potestatem *Luc. 22. & Joan. 20.* Unde & Apostolus *Hebr. 5.* ait: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum:* atqui Sacramenta sunt ad Deum; ergo &c. Nihilominus cùm & Angeli sancti subinde legantur administrâsse Sacramenta, fatendum est, quòd & hi possint agere ministros extraordinarios Sacramentorum. Vid. Bosco *disp. 1. sect. 7. n. 9.* Est tamen inter ipsa Sacra-

menta

menta nonnulla differentia, quòd aliqua, scilicet Confirmatio, Ordo, Pœnitentia, Eucharistia, & extrema Unctio requirant Ministrum consecratum, non verò matrimonium, nec Baptismus, qui in casu necessitatis à quolibet homine rationis usu prædito, sive mas sit, sive fœmina, ministrari potest, prout praxis Ecclesiæ docet.

Quæres 2dò, sitnè in Ministro necessaria probitas & fides?

24 R. 1. Ad valorem nec probitas Ministri, nec fides est necessaria. Ità enim expressè decidit Con. Tr. *ss. 7. Can. 12.* contra Wiclef, & alios hæreticos, oppositum asserentes. Ratio etiam suffragatur: potest enim Minister in statu disgratiæ & infidelitatis constitutus applicare omnia essentialia Sacramentorum, ut puta materiam ac formam cum debita intentione: at valor Sacramentorum solùm dependet ab his tribus, quibus positis certò subsistit: ergo.

25 R. 2dò. Probitas tamen est necessaria ad licitam confectionem Sacramentorum, ità, ut Minister specialiter consecratus, in statu disgratiæ conficiendo, seu etiam administrando Sacramentum, per se loquendo (nam per accidens subinde ob ignorantiam vel casum necessitatis excusatur, secundùm omnes) peccet mortaliter. Ratio desumitur tum ex Rituali Rom. Pauli V. *tit. de iis, quæ in Sacramentorum*

torum adminiſtratione ſpecialiter obſervanda ſunt. Ubi de Sacerdotibus ex officio miniſtrantibus Sacramenta dicitur: *Impurè, & indignè ea miniſtrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt.* Tum etiam ex eo, quia, ut SS. Patres & DD. communiter fatentur, ipſa ratio naturalis dictat, graviter adverſari reverentiæ, Deo, ac rebus ſacris debitæ, quòd hoſtis DEI & Chriſti, permanens voluntariè in ſtatu tam indigno, tractet res tam ſacras, quibus ſanguis Chriſti, ſive ejus merita communicantur, per actionem, ad quam ritè obeundam eſt conſecratus, & ſpecialem poteſtatem ac ſanctitatem accepit: atqui agens, quod graviter adverſatur reverentiæ Deo debitæ, peccat mortaliter: ergo.

Dictum tamen eſt, quòd *Miniſter ſpecialiter conſecratus &c. peccet*; etenim plerique Doctores (contra Vasquez & alios, ſatis probabiliter oppoſitum tenentes) exiſtimant, ad peccandum mortaliter non ſufficere præcisè, quòd Miniſter Sacramentum, ceu rem ſacram indignè tractet, niſi ſit ſpecialiter conſecratus ad dignè tractandum; eò quia hoc non videtur tam graviter adverſari rectæ rationi, ut gravitatem peccati mortalis conſcendat. Ex quo inferunt, Laicum baptizando, & Sponſos præcisè contrahendo, ſeu conficiendo Sacramentum matrimonii non peccare graviter. 26

Quæ-

Quæres 3tiò, an, & quænam intentio sit necessaria in Ministro ad confectionem validam Sacramenti?

27 Ante responsionem suppono cum *Communi DD.* nomine intentionis hìc intelligi actum voluntatis, quô aliquid volumus, seu intendimus facere, aut fieri ab alio. Communiter etiam triplex solet distingui, videlicet 1. actualis. 2. virtualis, & 3. habitualis. Actualis tunc habetur, quando quis v. g. actu consecrans, cogitat seu vult consecrare, & conficere Sacramentum. Virtualis ea dicitur, quæ licèt jam actu præterîerit, adhuc tamen manet in virtute sua: & talis tunc censetur haberi, quando operans virtute intentionis priùs habitæ, facit omnia, quæ operatur: v. g. habet quis intentionem actualem celebrandi Missam, atque ex hac voluntate induit se sacris vestibus, vadit ad altare &c. dum verò celebrat, fit distractus, & ex distractione non advertit, nec considerat actualiter actum, quem exequitur: iste celebrans sic distractus dicitur celebrare cum intentione virtuali; quia virtute intentionis priùs habitæ facit illos omnes actus concernentes Missæ celebrationem. Tandem intentio habitualis aliud non est, quàm intentio metè præterita, & non retractata, quæ tamen non ampliùs influit in effectum. Hôc notato

R. Ad quæsitum. Ad validam Sacramenti 28
confectionem in Ministro 1. optima quidem, non tamen necessaria est intentio actualis; sed 2. sufficit virtualis etiam implicita, faciendi scilicet quod facit Ecclesia, seu quod Christus instituit. 3. Non tamen sufficit intentio metè habitualis, exceptô solô Matrimonio. Scotus *4. d. 6. q. 6.* Gobat, Sporer, & alii plures.

Ratio 1mi est: quia non est præsumendum, quòd Christus ad valorem Sacramentorum voluerit desiderare aliquid moraliter impossibile: atqui intentio actualis est moraliter impossibilis; quandoquidem spectata hominis fragilitate fieri nequeat, ut Minister nunquam distrahatur, & semper actu advertat, quid agat: ergo intentio actualis non est necessaria.

Ratio 2di est: quia intentio virtualis suffi- 29
cit ad operandum modô humano, & activè influit in opus, facítque, ut actio sit Sacramentalis potiùs, quàm profana: ergo quemadmodum hæc sufficit ad vota, contractus, eorúmque valorem & meritum; ità etiam ad confectionem Sacramentorum. Necessum tamen est, ut Minister saltem implicitè intendat facere Sacramentum, id est, ut intendat facere, *quod facit vera Ecclesia*, seu (quod idem est) facere, *quod Christus instituit*, & fieri voluit. Unde non sufficit sola intentio ponendi materiam, & formam Sacramenti; secus enim is, qui

joci

joci causâ perfunderet infantem aquâ, dicendo simul: *Ego te baptizo &c.* vel qui sub mensam ex Scriptura legeret: *Hoc est corpus meum;* aut jocandô diceret: *Ego te absolvo &c.* verè conficeret Sacramentum: quod tamen falsum, immò damnatum est, tum â Leone X. tum etiam ab Alexandro VIII. Vide la Croix *l. 6. p. 1. à n. 54.*

30 Ratio 3tii est: quia intentio Ministri debet esse causa actionis, quâ ponitur Sacramentum, ità, ut virtute illius Minister agat in Persona Christi, & modô humano: atqui vi solius intentionis habitualis Minister non est causa actionis sacramentalis modô humano, prout vel inde colligere licet, quòd hujusmodi intentio habitualis sæpe sæpius reperiatur in homine ebrio, dormiente, aut rationis impote, qui non rarò multa operantur ex habitu: ergo hæc non sufficit.

31 Dixi: *Exceptô solo Matrimonio;* hujus enim specialis occurrit ratio, prout bene advertunt Lugo, Gobat. *Theol. exper. tr. 1. n. 76.* Sporer *cit. n. 118.* aliique: quia hoc Sacramentum fundatur in natura contractûs, quam Christus non immutavit: ergo quemadmodum alii contractus perfici possunt, voluntate contrahentium habitualiter perseverante; ità & contractus Matrimonii: quod præcipuè contingit, ubi matrimonium contrahitur per Procuratorem, vel etiam sub conditione de futuro: quâ adimplet pro-

babiliùs absque novo consensu subsistit, licèt sponsus aut sponsa supponantur actu dormientes. Vid. DD. citt. Quibus adde Dicastillo, *de Sacram. in Gen. disp. 3. dubit. 6. n. 137.*

Dices. Intentio habitualis sufficit ad applicandum fructum Sacrificii; nam si Sacerdos alicui dicat: *ego cras pro te offeram Sacrificium*, & hanc suam intentionem non ampliùs revocet, alter participabit fructum Sacrificii: ergo talis intentio etiam sufficit ad sacrificandum.

R. Neg. Cons. Disparitas in eo sita est, 32
quòd talis oblatio fructûs habeat se per modum donationis conditionatæ, *si scilicet cras sit celebraturus*: talis autem donatio conditione adimpleta subsistit. Neque intentio applicandi fructum debet esse confectiva fructûs, sicut intentio sacrificandi debet esse confectiva Sacrificii, & Eucharistiæ Sacramenti.

Quæres 4tò, Utrùm Ministri intentio debeat esse absoluta, an verò sufficiat conditionata?

R. Debet esse absoluta, vel saltem condi- 33
tionata de præterito aut præsenti, nec sufficit conditionata sub conditione de futuro, nisi in solo Matrimonio. Ita *omnes*. Ratio est: quia actio Ministri mediante intentione debet esse efficax: at, sola intentio absoluta, & conditionata de præterito vel præsenti, quippe quæ subsistente conditione statim transit in ab-

solutam, est efficax, non item conditionata de futuro. Et licèt hæc aliquando, adimpleta scilicet conditione, supponatur transitura in absolutam, quia tamen tunc non amplius erit materia & forma Sacramenti; hinc nullum conficietur Sacramentum: ergo hæc non sufficit. Excipitur rursus Matrimonium, ob rationem datam *n. 31.*

Quæres 5tò. An intentio Ministri debeat esse determinata ad certam materiam, & Personam?

34 R. Cum Spor. *cit. n. 132.* Rabenstuber *tr. 8. p. 1. disp. 2. art. 3. n. 16.* affirmativè. Ratio est; quia intentio Ministri ferri debet in id, quod per formas Sacramentorum significatur: sed per has significatur materia & Persona determinata, prout patet ex modo loquendi demonstrativo: *ego te baptizo. te absolvo à peccatis. tibi indulgeat Deus &c.* Hinc, qui ex pluribus hostiis vellet unam indeterminatam consecrare, vel ex pluribus confessis unum indeterminatum absolvere, nihil efficeret.

35 Regulariter tamen loquendo, ùt rectè advertit Herincx noster *disp. 3. n. 43.* intentio Ministri debet dirigi in præsentem Personam v. g. hîc & nunc confessam, quæcunque illa sit, sive Petrus, sive Paulus, Mas vel Fœmina &c. quia tunc Sacramentum erit validum, etsi Confessarius putet esse aliam Personam. Secus dicendum in Matrimonio, ubi Persona solet eligi

eligi de industria, ejusdémque error censetur redundare in substantiam contractûs.

Quæres 6tò, Utrùm peccet, qui Sacramentum administrat indigno, seu incapaci gratiæ sacramentalis?

R. Per se loquendo peccat mortaliter, nisi 36
ipsum excuset ignorantia, vel necessitas &c. Ratio autem est: quia Minister ex natura rei obligatur Sacramenta reverenter tractare, & fideliter administrare: at, qui scienter ministrat indigno seu immundo, nec reverenter tractat, nec fideliter ministrat: ergo. Et nunquid gravissimè peccaturum judicares illum, qui Sacramentum projiceret in cloacam, vel alium locum immundum? atqui talis est conscientia peccatoris. Accedit, quòd talis Sacerdos cooperetur peccato alterius. Loquimur tamen de *scienter* administrante indigno; enimverò ubi indignitas certò non constat, vel de ea omnino dubitatur, potiùs est præsumendum de dignitate; *quisque enim naturaliter præsumitur bonus. cap. dudum de præsumpt.* Idem dicendum, casu quo indignitas non constat, nisi ex sola confessione sacramentali; cujus notitiâ, cùm in foro fori uti neutiquam liceat, Sacerdos dici non potest *scienter* administrare indigno Sacramentum. Unde

R. Jam 2dò. Peccatori publico, seu pub- 37
licè indigno Sacramentum v. g. Evchatistiæ

debet denegari; occulto autem, seu occultè indigno denegari non debet, nec potest, si publicè petat, benè verò si petat privatim. Ita *communissimè* DD. Herincx. *disp. 3. n. 61.* Bosco *disp. 1. Sect. 7. n. 202.* la Croix ubi suprà *à n. 138.* Et sanè clarissimis omninò verbis docetur in Ritual. Rom. *tit. de SS. Eucharistiæ Sacramento*, ubi dicitur: *Fideles omnes ad sacram Communionem admittendi sunt, exceptis iis, qui justa ratione prohibentur. Arcendi autem sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestéque infames, ùt meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alii ejus generis publici peccatores; nisi de eorum pœnitentia, & emendatione constet, & publico scandalo priùs satisfecerint. Occultos verò peccatores, si occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat, non autem, si publicè petant, & sinè scandalo ipsos præterire nequeat.* Hactenus Rituale. Ex quo facilè eruitur ratio, cur peccatori publico publicè, vel etiam occulto, sed privatim petenti sit denegandum hoc Sacramentum; secus enim communitas scandalizaretur, & sinè causa Sanctum daretur canibus, contra expressam prohibitionem Christi Domini *Matth. 7.* quippe solum periculum talem diffamandi posset excusare Ministrum, ùt videbimus: atqui nec publicus peccator diffamatur, nec peccator occultus, si huic privatim tantùm postulanti negetur: ergo &c.

Exte-

Cæterùm, quòd peccatori occulto publi- 38
cè petenti poſſit, immò debeat dari Sacramentum Evchariſtiæ (contra Clericatum & nonnullos alios) probatur hac ratione. Tum quia hoc docet Ritual. Rom. cit. immò verò Chriſtus ipſe ſuô nos docuit exemplò, dum Judam, quem probè noverat improbum & indignum, communicavit; tum etiam quia licitum eſt alterius peccato cooperari per actionem de ſe indifferentem, vel omnino bonam (qualis eſt adminiſtratio Evchariſtiæ) quando peccatum illud ſinè graviſſimis incommodis impediri nequit: atqui in tali caſu Miniſter nequit impedire peccatum; tum quia aliàs illum diffamaret publicè; tum etiam quia aliàs ſæpè contingere poſſet, ut innocentes repellerentur, ſive ex odio, ſive etiam ex imprudentia Miniſtrorum, ſicque plures abſterrerentur, adſtantes pariter perturbarentur; & Miniſtris graviſſimum, immò importabile onus imponeretur probandi, talem eſſe juſtè repulſum: ergo licèt adminiſtrare &c.

Dices. Potiùs videtur conſulendum honori Chriſti & Sacramenti, quàm famæ occulti peccatoris; qui, cùm non vereatur accedere, debet ſuæ potiùs, quàm Miniſtri culpæ imputare, ſi diffametur: ergo non licet tali adminiſtrare &c.

39 R. *Disting. & explicando ant.* Consulendum potiùs videtur honori Christi, ita, ut Minister non possit se irreverenter gerere erga Sacramentum, ut famam proximi servet, *concedo.* ita, ut liceat positivè alteri auferre famam, ut ab altero etiam servetur honor debitus Sacramento, *nego.* Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Ministro Sacramentorum.

CASUS PRIMUS.

Titio Sacerdoti jamjam accincto ad celebrandum, quidam Laicus obtulit parvam hostiam, petens, ut se sub Sacrificio Missæ communicaret: annuit Titius, hostiámque minorem supposuit majori super patenam. Contigit autem, ut ex distractione, vel etiam oblivione naturali, nec in actuali oblatione, nec in consecratione amplius recordaretur hostiæ minoris. At verò, ubi pervenit ad Pater noster, *subitò illam advertens jacentem super corporale, obstupuit, hæsitavitque, an consecrata, proindéque Laico esset administranda, nec ne? Quid judicii?*

R. Non

R. Non est dubitandum, quin consecra- 40
ta, ideóque Laico fuerit porrigenda. Ratio eruitur facilè ex dictis *n. 28.* quia ad conficiendum quodlibet Sacramentum sufficit intentio virtualis: atqui talem Titius habuit, dum hostiam illam minorem super patenam collocavit, & secum ad altare portavit: ad quid enim, nisi ut illam consecraret? Et nunquid interrogatus, cur illam deportet? quantocyùs vi prioris intentionis (quam exercitè habuit, dum hostiam ad petitionem Laici super patenam posuit) respondisset: *quia volo Laicum communicare, ideóque consecrare illam?* At, qui taliter est dispositus animô, ut statim vi prioris intentionis responderet: *volo hoc, vel illud facere &c.* censetur habere, & operari vi intentionis virtualis, prout benè observat pro praxi practicus noster P. Sporer *Theol. Sacram. part. 1. c. 2. n 108.* ergo &c.

Dices. At quid, si Titius imponendô hostiam patenæ cogitâsset intra se: *faciam intentionem consecrandi, dum pervenero ad Altare*, & in Altari fuisset oblitus?

R. Minimè tamen dubitandum est, quin 41
esset consecrata, ideóque Laico porrigenda. Ratio eruitur ex dictis: quia non requiritur intentio formalis explicita, sed sufficit implicita, seu etiam in actu exercito: at talem habuit;

buit, dum ad petitionem Laici hostiam secum portavit ad Altare: immò juxta Layman. *lib. 5. tr. 4. c. 2. n. 14. fin.* Gobat *tr. 3. n. 85.* Sporer. *Theolog. Sacr part. 2. c. 3. n. 169.* talem habere censendus est Sacerdos, hôc ipso, quòd sciat, seu rationali modo advertat, hostias à se consecrandas ad Altare afferri ab alio: ergo à fortiori, si ipsusmet scienter deferat.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Clericus ad infirmum vocatus distulit illum invisere duplici de causa; 1. quia audiverat eum laborare morbo pestifero quasi, & infectivo. 2. Quia sciebat se esse in statu disgratiæ. Contigit proin, ut infirmus moreretur sine consuetis Ecclesiæ Sacramentis. Quæritur jam, an, vel quomodo Sempronius peccaverit?

42 R. Cum distinctione. Vel enim Sempronius supponitur fuisse Parochus proprius infirmi, vel alius Clericus Regularis aut Sæcularis? Si primum, dicendum, quòd peccaverit mortaliter ex genere suo, & quidem dupliciter, scilicet contra charitatem & justitiam: quid ni & peccato scandali? Ratio est: quia secundùm *omnes*, Parochus ratione Beneficii non solùm titulô charitatis, sed etiam justitiæ tenetur succurrere, immò & vitam ex-

exponere nedum in extrema, sed & in gravi necessitate spirituali alicujus sibi subjectæ oviculæ, easdémque (juxta Trid. *ss. 23. c. 1. de reform.*) Sacramentorum administratione pascere: ergo si negligat, propterèaque infirmus necessario subsidio Sacramentorum destituatur, peccat gravissimè, saltem per se loquendo; nam per accidens, ut puta si non advertisset periculum, aut huic ab alio Clerico subventum iri prudenter existimâsset, vel, si non diu moram traxisset, vel denique si rationabiliter credidisset, infirmum illum non esse in statu disgratiæ &c. Forsitan excusandus foret, prout volunt Caramuel, Chapeaville, aliíque apud Gobat. *tr. 1. n. 136.* Quamvis Veriuys *in Pastor. Mission. tr. 14. art. 2.* apud la Croix *l. 3. p. 1. n. 757.* probabilius dicat, etiam tali, si petat, negari non posse Sacramentum Evchatistiæ, & multò minùs Pœnitentiæ; quia infirmus habet jus petendi: ergo Parocho incumbit obligatio ministrandi; præsertim cùm nullus infallibiliter scire queat, sitnè in statu gratiæ, nec ne? juxta effatum *Eccli. 9. nescit homo, utrùm amore dignus sit, aut odio.*

Quòdsi Sempronius noster supponatur 43
fuisse Clericus Regularis, vel Sæcularis quidem, non tamen Parochus seu Pastor infirmi, iursus discernendum est, & attendendum,

utrùm infirmus moraliter loquendo potuerit habere alium Confeſſarium, vel non? ſi potuit, non peccavit: ſin minùs, lethaliter deliquiſſe cenſendus eſt. Ratio eſt: quia generali lege charitatis quivis Sacerdos, tam Sæcularis, quàm Regularis tenetur ſuccurrere proximo in gravi neceſſitate, & periculo animæ (quod ſemper timendum in mortis articulo) conſtituto: at, ſi infirmus non potuit habere alium Confeſſarium, fuit verè conſtitutus in neceſſitate gravi: ergo tenebatur etiam Regularis ſuccurrere, non obſtante periculo propriæ infectionis. Vide de hoc Sanchez *l. 6. mor. c. 2. n. 55. & ſeqq.* Eſcobar. *Theol. mor. lib. 4. problem. 104.* Laym. *l. 2. tr. 3. c. 3. n. 3.*

CASUS TERTIUS.

Quidam ſponſus fatebatur, ſe nocte proximè dilapſa turpiter egiſſe cum ſua ſponſa: & quia Cajus Confeſſarius noverat, illum jam ſæpiùs relapſum, nec vitâſſe occaſionem proximam, hinc eundem ſine abſolutione dimiſit. Huic proximè ſucceſſit ſponſa, Confeſſario optimè nota, quæ tamen (forſitan timens negationem abſolutionis) nec verbulum movit de peccatis laſciviæ cum ſponſo commiſſis: quapropter Cajus dubitat 1. *an poſſit, vel debeat illam abſolvere?* 2. *an ſi uterque petat ſacram*

cram Synaxin, tutâ conscientiâ possit illam administrare? Quid judicii?

R. Ad primum. Cajus Confessarius te- 44
nebatur sponsam à longè seu remotè examinare, v. g. interrogandô, utrùm nunquam cogitationibus impuris peccaverit, vel quidquam castitati contrarium admiserit? Non tamen debet dicere: nunquid jam peccâsti cum tuo sponso? cur hoc vis negare? hoc enim modô ageret contra sigillum. Quòdsi sponsa neget, se aliquid contra castitatem deliquisse, tenetur illam absolvere; tum quia pœnitenti, ceu Reo simul & Actori tenetur adhibere fidem tam pro se, quàm contra se loquenti; tum etiam, quia potest præsumere, quòd habeat forsitan justam causam hîc & nunc peccatum negandi. Judico tamen oportere, ut illi absolutionem impertiatur non absolutè, sed conditionatè, sub conditione, saltem in mente retenta, dicendô; *si es disposita, ego te absolvo &c.* Ratio est: tum quia Confessarius in his circumstantiis rationabiliter suspicari, ac timere debet, ne pœnitens sit indisposita, sícque Sacramentum reddatur sacrilegum; tum etiam, quia Confessarii est, non solùm intendere saluti pœnitentis, sed etiam reverentiæ Sacramenti: atqui per hujusmodi absolutionem conditionatam satìs consulitur saluti pœnitentis, modò

is

is supponatur dispositus, neque per hujusmodi tacitam conditionem frangitur sigillum, simúlque cavetur reverentiæ Sacramenti, & vitatur sacrilegium: ergo &c.

45 R. Ad 2dum. Sacram Synaxin tenetur utrique impertiri. Ratio constat ex dictis *n. 36.* quia sponsi indignitatem non cognovit, nisi ex sola confessione, ùt supponitur; hujus autem notitia uti in foro fori neutiquam licet; tum etiam, quia potest Cajus supponere, sponsum interim vel alteri fuisse confessum, vel certè contritum. Secus dicendum, si Cajus aliunde nôsset, sponsum esse indignum, vel esse peccatorem publicum & concubinarium.

Dices. Sed quis censendus est publicus peccator?

46 R. Cum P. Bosco *disp. 1. sect. 7. n. 212.* Ille censendus est, cujus delictum est publicum vel evidentiâ juris, id est, per sententiam Judicis; vel evidentiâ facti, id est, quando ita multis & talibus notum est, ut nulla tergiversatione possit celari; quia talis absolutè amisit jus ad famam: ergo etiam ad Sacramentum, quamdiu non emendaverit se. Extendunt autem id Suarez, Rodriquez & alii etiam ad casum, quô de peccatore est publica, eáque vehe-

vehemens, seu violenta suspicio, quæ scilicet probabili ratione deponi non potest, sive quæ nullam in contrarium admittit probationem; nam & hæc generat moralem certitudinem.

Dices iterum. At nunquid in casu, ubi peccator occultus publicè petit communicari, Sacerdos meliùs faceret, si locô hostiæ consecratæ eidem daret non consecratam?

R. Nequaquam faceret meliùs, quin potiùs peccaret mortaliter, partim quia talis simulatio videtur mendosa & perniciosa; partim etiam, quia vel sumenti, vel aliis circumstantibus præberet occasionem idololatriæ. Hinc Innocentius III. *c. de Homine. de celebrat. Miss.* in simili casu interrogatus, respondisse legitur: *falsa sunt abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora.* Et Innocent. XI. damnavit sequentem propositionem *n. 29. urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Vide de hoc Carden. *Cris. Theol. dissert. 20. n. 24.* Matthæucci *in Cantel. Confess. lib. 2. c. 18. n. 5.* 47

) ✠ (

§. III.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

48 COlliges 1. Sacerdotem in statu disgratiæ consecrantem, absolventem, inungentem infirmum &c. Item Episcopum ordinantem, vel confirmantem in statu disgratiæ, peccare mortaliter. Idem dic de Sacerdote vel Diacono in tali statu baptizantibus, licèt non solenniter; quia, ùt dictum *n. 25.* tales Sancta non tractant sanctè, simúlque ut sanctè tractarent, specialiter ex officio fuêre consecrati, & obligati. Ob eandem rationem probabile est, mortaliter peccare Sacerdotem aut Diaconum, qui ministrat alteri Sacramentum Evchatistiæ, ab alio Sacerdote priùs confectum, quamvis Vasquez, aliíque non minùs probabiliter hoc negent. Videatur Laym. *l. 5. tr. 1. c. 5. à n. 7.* Illsung. *tr. 6. disp. 1. art. 5. n. 41.*

Dices: Sufficitnè, ut Minister priùs quàm Sacramentum conficit aut ministrat, se in statum gratiæ reponat mediante contritione perfecta, an verò tenetur præmittere confessionem?

49 R. Cum *communi* DD. sufficit si contritionem perfectam eliciat; quia huic competit vis justi-

juſtificandi ; ideóque dignè adminiſtrabit: Confeſſio verò nullo jure præcipitur , quamvis ob majorem , de ſtatu gratiæ , ſecuritatem oporteat confiteri. Si tamen velit celebrare, tenetur præmittere Confeſſionem , ubi ſuppetit copia Confeſſarii ; ídque non ratione confectionis Sacramenti , ſed ratione ſumptionis Evchariſtiæ , quam etiam in Laicis debet præcedere confeſſio , ùt monet Apoſtolus 1. *Cor. 11. probet autem ſe ipſum homo &c.* & expreſsè declarat Concilium Trid. *ſſ. 13. de Evchar. c. 7.* Herincx *p. 4, tr. 2. diſp. 3. n. 45.*

Colliges 2. Sacerdotem probabiliùs non peccare mortaliter præcisè excipiendo confeſſionem, dummodo ante abſolutionem conetur elicere contritionem ; quia audiendo præcisè non conficit , nec miniſtrat Sacramentum, ſed potiùs permiſſivè , & paſſivè ſe habet. Similiter nec peccat mortaliter Sacerdos in ſtatu diſgratiæ ſacram hoſtiam præcisè elevando , aut de loco in locum transferendo , cum eâdem populum benedicendo &c. Nec Epiſcopus in tali ſtatu corporalia, calices , oleum pro infirmis benedicendo , vell chriſma conficiendo &c. Neque Diaconus in Sacro ſolenni Sacerdoti miniſtrando. Evangelium cantando &c. Ratio patet ex dictis : quia talia peragendo non conficiunt Sacramentum, ſed ſolùm exercent quædam (ùt vocamus)

mus) Sacramentalia, seu ritus sacros. Et licèt per hoc, quòd in malo statu ministrent, inferant Deo, rebúsque sacris quamdam injuriam, non tamen censetur gravis: secus enim dicendum foret, etiam Ostiarios vel Acolythos in statu disgratiæ sua munia obeuntes peccare mortaliter, eò quòd & isti sint specialiter consecrati; quod tamen, sicut à communi DD. judicio, ita & à veritate alienum meritò reputatur. Vid. Lugo *de Sacram. in gen. disp. 8. n. 156.* Herincx ubi suprà *disp. 3. n. 54. & seqq.*

51 Colliges 3. quòd, licèt absolutio nunquam sit danda sub conditione de futuro v. g. hôc modô: *absolvote, si cras restitues, si concubinam domô ejicies &c.* esset enim invalida ob rationem datam *n. 33.* nonnunquam tamen expediat, immò necessum sit, ut Sacramentum administretur sub conditione de præterito vel præsenti; ídque toties, quoties prudenter dubitatur de sufficienti dispositione suscipientis, vel aliis conditionibus ad valorem requisitis. Ratio este quia per hujusmodi conditionem consulitur & reverentiæ Sacramenti, & saluti ipsius suscipientis. Hinc Confessarius, qui non potest habere majorem certitudinem de dispositione moribundi, debet illum absolvere sub conditione hac: *si es actu dispositus.* Attamen citra

tra juſtam & gravem cauſam non licet conditionatè tantùm abſolvere; quia ùt advertit cum aliis Spoter *par. 1. de Sacram. c. 2. n. 129.* non licet Sacramentum conferre, vel formam proferre cum dubio, vel incerto eventu aut effectu, abſque gravi cauſa neceſſitatis vel utilitatis: ſi tamen talis ſubſit, excuſatur Miniſter ab omni culpa.

Colliges 4tò. Miniſtro Sacramentorum in- § 2
cumbere, ut quantum moraliter loquendo fieri poteſt, attendat ad diſpoſitionem ſubjecti; quia juxta Apoſtolum *1. Cor. 4.* debet Sacramenta fideliter miniſtrare. Hinc oportet ut Confeſſarius ceu Judex ſpiritualis advertat diligenter diſpoſitionem pœnitentis, utputa an ſit verè contritus, an habeat propoſitum emendandi &c. Similiter Parochum oportet diſquirere, an ſponſi volentes contrahere, non laborent aliquo impedimento: item an intelligant rudimenta fidei. Id ipſum diligenter examinari oportet circa parvulos, volentes primò communicare aut confiteri, utrum ſcilicet ſatis intelligant ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſuſceptionem iſtorum. In Sacramentis tamen Euchariſtiæ, Confirmationis & extremæ unctionis, tanta non eſt opus cautela; cùm quiſque præſumendus ſit bonus, ideóque ad hæc diſpoſitus, niſi contrarium conſtet. Vid. Boſco *cit. n. 203.* vel Clericat. *de Euchar. deciſ. 40.*

53 Colliges tandem 5tò, Miniſtrum peccare mortaliter, ſi relictâ ſententia probabiliori, & tutiori, in confectione Sacramentorum ſequatur minùs tutam v. g. relictâ aqua naturali baptizandô in aqua roſacea &c. Ratio eſt: quia talis exponit Sacramentum periculo nullitatis; quandoquidem valor Sacramenti non dependeat ex judicio practico, ſicut honeſtas actionis, ſed ex materia, & forma à Chriſto determinata. Accedit, quòd talis ſinè cauſa exponat infantem periculo damnationis, ideóque graviter impingit in præceptum charitatis; immò & juſtitiæ, ſi ſit Miniſter ſpecialiter obligatus ad Sacramentorum adminiſtrationem, uti ſunt Parochi, aliíque beneficia curata poſſidentes. Hinc juſtè ab Innocentio XI. proſcripta fuit ſequens propoſitio. n. 1ma. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* Hinc ſententiâ probabili tantùm, utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis. Vide de hoc Matthæuci ubi ſuprà *l. 2. c. 1.* La Croix *l. 6. p. 1. n. 104.*

54 Tandem pro praxi obſerva ſequentes tres Maximas ſeu Regulas, quas, ſuo more, ſapienter tradit Doctor noſter Subtilis 4. *d. 3. q. 2. §. tertio de fin.* 1ma eſt iſta: *Si poſſibilitas adeſt,*

via

via tutiſſima eſt eligenda. 2da. *Si non adeſt poſſibilitas, viæ tutiſſimæ proximæ eſt tenenda.* 3tia eſt iſta: *Ceſſante impoſſibilitate cautè eſt ſupplendum, quod impoſſibilitas prohibebat.*

CONFERENTIA TERTIA.

De Sacramentorum Subjecto.

SUMMARIUM.

55 Subjectum capax Sacramenti eſt ſolus homo viator.
56. Ad validam ſuſceptionem neceſſaria eſt intentio propria ſuſcipientis in adulto;
57. Non item in Parvulo.
58. Sufficit tamen virtualis vel etiam habitualis.
59. Satisfit cuidam inſtantiæ in contrarium.
60. Ut quis licitè ſuſcipiat Sacramentum mortuorum, non prærequiritur neceſſariò ſtatus gratiæ;
61. Bene verò ut licitè ſuſcipiat Sacramentum vivorum.
62. Quisnam cenſeatur Miniſter indignus?
63. Sin è gravi cauſa non licet à tali petere Sacramentum; bene autem ſubſiſtente tali cauſa.
64. Solvitur quædam objectio in contrarium.
65. Ob hujuſmodi gravem cauſam licitum eſt, petere & recipere Sacramentum ab excommunicato tolerato.
66. A Miniſtro autem non tolerato non ità, præterquàm in mortis articulo.

67. In quo verosimiliter licet à tali petere Eucharistiam, aut extremam Unctionem.
68. Quinam sint Ministri non tolerati ab Ecclesia?
69. Resolvitur Casus I. de Moribundo, qui protestabatur, se quidem venerari Sacramentum extremæ Unctionis, nolebat tamen illud recipere, quia erroneè existimavit, se non decumbere ad mortem: fuit tamen inunctus.
70. Unde colligendum, an, vel quando tales habeant intentionem sufficientem?
71. Resolvitur casus II. de sponso, qui in statu peccati mortalis matrimonium contraxit, & ad mensam Domini accessit, Confessione non præmissa, eò quòd ad Confessarium non habuerit confidentiam.
72. Hinc probabiliùs commisit duplex Sacrilegium.
73. Et cur talis dici nequeat accessisse perfectè contritus?
74. Resolvitur Casus III. de Persona, quæ, ne cogeretur sese diffamare, noluit confiteri alteri, quàm suo Complici, licet indigno;
75. Videtur tamen probabiliùs fuisse obligata, ut alium accederet.
76 Et cur hoc periculum infamiæ non excuset?
77. Enumerantur Casus, in quibus à Ministro indigno licitè petitur, & recipitur Sacramentum;
78. Non licet suscipere Sacramentum à Ministro malo, præsertim non tolerato, quando illud potest suscipi à bono, seu tolerato.
79. Excipitur probabiliter Casus, ubi Moribundus non habet confidentiam ad Ministrum bonum.
80. Nunquam licet petere Sacramentum à Ministro in iis circumstantiis, in quibus illud licitè ministrare nequit.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de subjecto Sacramentorum N. L.

QUæres primò, quinam sint subjectum capax Sacramentorum N. L.?

R. Soli homines viatores. Ità *omnes.* §§. 55
Ratio inde desumitur: quia Sacramenta sunt instituta ad gratiam vel primò dandam, vel augendam: soli verò homines viatores sunt capaces gratiæ dandæ, vel augendæ: ergo soli homines viatores sunt subjectum capax; baptismi quidem omnes & singuli, modò ipsi velint: reliquorum verò non ita; neque enim omnes sunt capaces Matrimonii, Ordinis &c. ùt suis locis videbimus.

Qûæres 2dò, utrùm ad validè suscipiendum Sacramentum sit necessaria intentio, & quænam?

R. Ut Sacramentum validè recipiatur, re- §6
quiritur in Adultis positiva intentio illud suscipiendi, eáque, si non est formalis, debet esse virtualis, & interpretativa, vel habitualis. Ità rursus *Communis DD.* Ratio est: quia sicut Deus non justificat Adultum sine proprio illius consensu; ità congruum est, ut cum per Sa-

cramenta non conſecret, & ſanctificet ſinè ejusdem conſenſu. Hac de cauſa Rituale Rom. Pauli V. *de baptiſ. Adult.* prohibet illum baptizari, qui aliquando habuit uſum rationis, nullam tamen oſtendit voluntatem ſuſcipiendi baptiſmum, antequam in amentiam inciderat.

57 Dictum tamen fuit: *in adultis &c.* quia Parvuli (ad quos etiam reducuntur perpetuò amentes) non ſunt capaces propriæ intentionis; ideóque ſufficit in illis intentio Chriſti, & Eccleſiæ.

58 Dictum eſt 2dò, requiri *intentionem poſitivam;* quia non ſufficit mera carentia intentionis contrariæ. Et additur: eáque *vel virtualis &c.* Non enim neceſſarium eſt, ut ſemper interveniat intentio formalis & expreſſa, ſed in nonnullis Sacramentis ſufficit intentio implicita & interpretativa. Hinc vita chriſtianè tranſacta (ait Herincx. *cit. diſp. 3. n. 92.*) videtur ſufficiens, & interpretativa petitio Confirmationis, & extremæ Unctionis, ceu mediorum ſalutis omnibus Chriſtianis valdè utilium; qua ratione Rituale Rom. *de extremæ Unct.* expreſsè præletibit, *hoc Sacramentum eſſe præbendum ſenſibus deſtitutis, qui antea illud petiérunt, ſeu veroſimiliter petiiſſent, vel dederunt ſigna contritionis.* Idem dicemus ſuô loco de Sacramento Pœnitentiæ. Baptiſmus tamen, Ordo,

&

& Matrimonium magis expressam requirunt voluntatem, saltem habitualiter manentem; eò quòd inducant notabilem statûs mutationem, cum gravibus oneribus sibi annexis, ut notant *communiter DD.*

Dices. Suscipiens Sacramentum passivè tantùm se habere debet: atqui passivè se habere potest sinè ulla intentione: ergo.

R. *Dist. Maj.* passivè se debet habere, per modum patientis naturalis & necessarii, *neg.* per modum patientis moralis & voluntarii, *conc.* hoc autem modò se habere nequit sinè omni intentione etiam habituali: ergo &c. 59

Quæres 3tiò, qualis dispositio requiratur ad licitè suscipienda Sacramenta?

R. 1. Ut licitè, & cum fructu recipiantur Sacramenta mortuorum (Baptismus scilicet, & Pœnitentia) 1. non requiritur status gratiæ, bene verò 2. (præter intentionem) actus fidei, & spei: & in eo, qui sibi est conscius peccati mortalis à se commissi, attritio supernaturalis. Conink. Bonacin. *de Sacram. in Gen. disp. 1. l. 6. punct. 2. n. 12.* & alii *communiter.* Ratio primi est: quia hæc Sacramenta instituta sunt, ut conferant gratiam primam, & vitam spiritualem: ergo hanc non præexigunt aut supponunt in suscipiente. Ratio autem 2di est: 60

quia teste Apostolo *Hebr. 11. accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Cùm verò defacto nullum peccatum dimittatur sinè pœnitentia, juxta illud *Luc. 13. nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis;* hinc necessaria est saltem attritio supernaturalis de peccato *personali;* nam originale non est objectum pœnitentiæ, prout alibi dicitur.

61 R. 2dò. Ut licitè & fructuosè recipiatur Sacramentum vivorum (præter intentionem) requiritur, ut suscipiens sit in statu gratiæ. Ità *cum Communi* Bonacin. *cit.* Castropal. *part. 4. tr. 18. punct. 13. n. 2.* Ratio est: quia secundùm dicta *n. 10.* Sacramenta vivorum per se sunt instituta ad conferendam gratiam non primam, sed secundam: ergo primam supponunt.

Quæres 4to. Utrùm peccet, qui Sacramentum petit, vel etiam recipit à Ministro indigno?

62 Ante responsionem suppono, nomine indigni hîc intelligi illum, qui *certò noscitur* mortaliter peccaturus ministrandô; etenim si de indignitate Ministri non certò constet, unusquisque Clericus (præsertim à Laicis, quorum non est, in vitam & honestatem Clericorum inquirere) præsumi debet bonus, juxta utriusq;

utriuſque Juris Regulas. Ex quo Doctores inferunt, quòd, ſi quis ſciret, Sacerdotem paulò antè percâſſe mortaliter, nihilominus licitè ab eo reciperet, & peteret Sacramentum: deberet enim præſumere, illum jam eſſe perfectè contritum, ideóque diſpoſitum ad ritè obeundum ſuum officium, niſi palam conſtaret, eum in diuturna peccandi conſuetudine eſſe inveteratum, aut fovere occaſionem proximam. Hôc not.

R. Ad quæſitum. Sinè juſta & gravi cauſa 63 non licet Sacramentum recipere, aut petere à Miniſtro indigno, bene verò ſi juſta ſubſit cauſa neceſſitatis vel utilitatis. Ità cum *communi* Scot. 4. *d.* 5. *q.* 2. §. *quantùm autem.* Boſco, *diſp.* 1. *ſect.* 8. *n.* 60. Ratio eſt: quia non licet cooperari alterius peccato, vel ad id præbere occaſionem ſinè gravi cauſa: bene verò licitum eſt per actionem de ſe indifferentem, vel omnino bonam (utì eſt petitio, vel adminiſtratio Sacramentorum) occaſionem præbere alterius peccato. Hinc DD. communiſſimè fatentur, ob magnum commodum vel utilitatem licitè ab uſurario peti mutuum, tametſi prævideatur non daturus ſinè uſura: item licitè puellam ornari honeſtè, etſi prævideat, alium oculis captum iri, & lapſurum &c. Et ratio à priori eſt: quia jus meum, ſeu facultas agendi, non debet impediri per ne-

quitiam alterius; ſecus enim non liceret mihi rem meam à fure repetere, caſu quo prævide-rem, eum graviter offenſum iri, aut blaspheſ-maturum &c. quòd certè falſum eſt: ergo ob gravem cauſam licitè petitur Sacramentum à Miniſtro indigno, nec petens cenſeri debet cooperati peccato alterius, ſed potiùs illud permittere.

Dices. Non licet mihi petere medicinam à Medico, quem ſcio, me ſanaturum incantationibus magicis ſeu ſuperſtitioſis, licèt mediis naturalibus meo mederi poſſet morbo: ergo nec licitum eſt petere Sacramentum à Sacerdote ceu Medico ſpirituali, ſi abſque peccato non ſit adminiſtraturus.

64 R. 1. cum Ledeſma, Sanchez *de Matr. l. 7. d. 95. n. 12.* Leſſio *l. 2. de juſt. c. 44. dubit. 6. n. 46. negando antecedens:* quia mea petitio non videtur cauſa moralis illius veneficii, quod per accidens, & præter meam intentionem contingit; quandoquidem hujus permittendi habeam rationabilem cauſam. R. 2. *Tranſ. ant. neg. conſ.* Non enim ideò prohibitum eſt à tali Medico petere, ut me ſanet, quia ſcio eum peccaturum (ipſius enim peccatum ob gravem cauſam recuperandæ ſanitatis non teneor impedire) ſed ideò, quia jure naturali & divino eſt prohibitum, habere quamcunque

que communicationem, aut commercium cum Dæmone, ceu jurato Divinitatis hoſte: qui autem admittit talem medicinam, quam ſcit ex ſua natura nullam habere vim, ſed ſolùm ex aſſiſtentia Dæmonis, cenſetur habere commercium implicitum cum Dæmone; non item, qui à Sacerdote malo petit Sacramentum,

Quæres 5tô, ſitnè aliquando licitum petere vel recipere Sacramenta à Miniſtro excommunicato?

R. 1. Ob juſtam cauſam neceſſitatis vel uti- 65
litatis licet recipere, immò & petere Sacramenta ab excommunicato tolerato. Ità *omnes.* Ratio eſt: quia poſt conſtitutionem Concilii Conſtant. *Ad evitanda ſcandala &c.* Excommunicatus toleratus etiam in divinis non eſt magis vitandus, quàm alii peccatores: ergo ab excommunicato tolerato licet poſtulare Sacramentum ob cauſam juſtam, æquè ac ab alio Miniſtro indigno.

R. 2dô. Ab excommunicato, vel quo- 66
cunque alio Miniſtro non tolerato non licet recipere, multò minùs petere Sacramenta; attamen in mortis articulo etiam ab his peti poteſt Baptiſmus & Pœnitentia, & veroſimiliter Euchariſtia, atque extrema Unctio. Ità DD. ſatis *communiter.* Boſco *ſect. 8. n. 79.* & Herincx *cit. n. 109.* Ratio eſt: quia Eccleſia ſeveriſſimè prohibet fidelibus communicationem,

nem, præsertim in Divinis, cum excommunicatis non toleratis, seu vitandis. Nihilominus cùm sit benigna Mater, nolens aliquem defectu Sacramentorum perire, permittit fidelibus in mortis articulo constitutis, ut Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ etiam à tali Ministro valeant recipere, prout clarè colligitur ex constitutione Tridentina *ss. 14. de pœnit. cap. 7.* ubi sinè exceptione dicitur, *in articulo mortis omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis & censuris posse absolvere.*

67 Dixi etiam: *& verosimiliter Eucharistia atque extrema Unctio;* quia valdè probabile est ex multorum sententia, extremam Unctionem posse suscipi â Ministro non tolerato, casu quo non possent infirmo conferri alia Sacramenta, puta pœnitentiæ &c. tunc enim posset esse extrema hujus Sacramenti necessitas, ut per hoc conferatur gratia prima per accidens. Idem ob eandem rationem verosimiliter asseritur de Viatico, in defectu aliorum Sacramentorum.

Dices. Quinam ergo sunt Ministri tolerati, & quinam non?

68 R. Cum P. Herincx *cit. disp. 3. n. 101.* & La Croix *l. 6. p. 1. n. 210.* Illi dicuntur non tolerati, qui sunt nominatim excommunicati & publi-

publicè denuntiati: item notorius percuſſor Clerici, id eſt, talis, cujus delictum nulla tergiverſatione celari poteſt: deinde publicè in perpetuum degradati, nominatim ſuſpenſi, & publicè irregulares per ſententiam. Reliqui omnes cenſentur tolerati. Vid. Suarez *de cenſuris diſp. 9. ſect. 2.*

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici, de Subjecto Sacramentorum.

CASUS PRIMUS.

Titius extremè decumbens, à ſuo D. Parocho admonitus, ut reciperet conſueta Eccleſiæ Sacramenta, Euchariſtiam lubens quidem ſumpſit, extremam verò Unctionem recuſavit dicens: veneror hoc Sacramentum, ſed quia eſt Sacramentum periculosè decumbentium, & apud me nullum eſt periculum, hinc nolo illud ſuſcipere. Quid enim homines cogitarent? nunquid ſtultum me proclamarent? Idipſum bis, tervè admonitus ſemper reſpondit (nimirum vis morbi rationis uſum perturbaverat, ut periculum non agnoſceret.) At verò, ubi D. Parochus animadverſit, Titium jamjam cum morte

morte luctari, cœpit sacrô oleo eundem delibare; qui dum ad narium inunctionem oleum hujusvè sensit, oculisque apertis cerneret, quid circa se ageretur, capitis agitatione (nam voce non amplius potuit) displicentiam & dissensum in extremam Unctionem ostendit. Quæritur jam, an D. Parochus bene fecerit, & valdè inunxerit reliquos sensus?

69 R. D. Parochus laudabiliter & validè egit. Laudabiliter quidem; quia quod boni erat Pastoris, præstitit, dum oviculam periclitantem sacrô Viatico, & extrema Unctione, meliori quò poterat modô, munivit contra lupum infernalem. Validè etiam, quia in Titio consensus non defuit; quòd ex eo suaderi facilè potest. Enim verò non contempsit Sacramentum, nec absolutè respuit; quin potiùs voluntatem illud suscipiendi satìs ostendit per hoc, quòd dixerit, se illud venetari, & Eucharistiam statim sumpserit, proindéque Christiano more voluerit mori: nec dubitandum, quin, si periculum mortis agnovisset, extremam Unctionem æquè ac Eucharistiam postulâsset: atqui juxta præscriptum Ritualis Rom. suprà *n. 58.* allegati, Sacramentum extremæ Unctionis est præbendum etiam illis, *qui verò similiter postulâssent*: ergo minimè est dubitandum, quin Titius noster habuerit intentionem saltem implicitam & habitualem; & per voluntatem generalem *Christianè morien-*

endi

endi correxerit errorem particularem, vel potiùs voluntatem contrariam ex errore provenientem. Vide Gobat. *theol. exper. tr. 1. n. 231.*

Dices. Sed unde colligendum, quòd per voluntatem generalem *Christianè moriendi* correxerit hanc voluntatem: *nolo suscipere extremam Unctionem, quia non sum periculosè infirmus?*

R. Id colligi debet ex comparatione animi. 70
Nam si suscipiens Sacramentum (idem dic de Ministrante) habet duas intentiones contrarias, quarum una ex errore provenit, uti sunt iste: *volo Christianè mori, ideóque consueta Ecclesiæ Sacramenta recipere; & nolo recipere extremam Unctionem, quia non sum periculosè infirmus*, tunc est attendendum, qualiter suscipiens sit animô comparatus, seu etiam, quamnam ex istis duabus intentionibus deponeret, si agnosceret veritatem; & illa erit inefficax: atqui moraliter certum est, quòd, si Titius nosset veritatem agnovisset (se scilicet periculosè decumbere) hanc 2dam intentionem deposuisset, & extremam Unctionem postulâsset: ergo &c. Vid. de hoc Badenstuber *tr. 8. p. 1. disp. 2. art. 3. n. 22.*

(o)

CA-

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius non rarò ſumpſit ſacram Synaxin multis peccatis venialibus inquinatus. Quin etiam nuper ſibi conſcius peccati mortalis, contraxit matrimonium, acceſsitque ad menſam Domini cum ſola contritione. Et licèt copia Confeſſarii, Parochi ſcilicet proprii, non defuiſſet, neglexit tamen confiteri; tum quia apud hunc noluit ſe diffamare; tum etiam quia erga illum nullam habuit confidentiam. Quæritur jam, an, vel quomodo peccaverit?

71 R. 1. Non peccavit ex eo, quòd peccatis venialibus inquinatus ſumpſerit ſacram Synaxin; quia peccatum veniale non obſtat effectui primario hujus Sacramenti, ſcilicet gratiæ, nec impedit ſimpliciter nutritionem ſpiritualem animæ, quin potiùs ordinatur quodammodo etiam ad delenda venialia commiſſa, ùt notat Maſtr. 4. *diſp. 3. n. 104.* Si tamen actu inter communicandum peccâſſet venialiter, utputa cum vana gloria, voluntariis diſtractionibus &c. accedendò, probabiliùs commiſiſſet novum peccatum veniale **contra virtutem Religionis, quemadmodum contra hanc virtutem peccat, qui cum voluntariis diſtractionibus orat. Et certè hoc Venerabile Sacramentum ſuâpte naturâ ſanctè**

&c

& reverenter ſuſcipi poſtulat; cui tamen reverentiæ opponitur peccatum veniale in actuali ſumptione commiſſum.

R. 2. Sempronius in ſtatu disgratiæ accedendô ad menſam Domini, commiſit duplex ſacrilegium; quandoquidem indignè ſuſcepetit duo Sacramenta, ſcilicet Matrimonii, & Evchariſtiæ. Etenim ſecundùm dicta *n. 49.* Communioni neceſſariò eſt præmittenda Confeſſio, ubi ſuppetit copia Confeſſarii: atqui Titio hæc non defuit: ergo. Neque excuſandus eſt ex eo, quòd erga ſuum D. Parochum non habuerit confidentiam, & noluerit ſe diffamare apud illum; ſi enim talis infamia excuſaret, nullus teneretur peccatum diffamatorium aperire Confeſſario, cui notus eſſet. Secus dicendum foret, ſi ex revelatione ſui peccati rationabiliter potuiſſet timere grave malum corporis aut animæ ſibi imminens, ut puta injuſtam perſecutionem, officii ſui, vel ſuſtentationis privationem, aut ſigilli fractionem &c. quæ tamen, utì rariſſimè contingunt, ita minimè præſumi poſſunt vel debent de prudenti & diſcreto Confeſſario quocunque. 72

Dices. Sempronius acceſſit contritus ad menſam Domini: ergo fuit ſatìs diſpoſitus; contritio enim perfecta habet vim juſtificandi.

73 R. Negando ſuppoſitum, quòd in tali caſu potuerit habere contritionem perfectam: ſi enim ſcivit, S. Communioni neceſſariò eſſe præmittendam Confeſſionem, dum ſuppetit copia Confeſſarii, & tamen communicavit non confeſſus, hoc ipsô voluit peccare mortaliter: atqui voluntas peccandi mortaliter ſtare nequit in eo, qui eſt verè contritus: ergo. Eſto etiam contritio perfecta hominem juſtificet, atque adeò jure naturæ ſufficeret: ex jure tamen non ſolùm Eccleſiaſtico, ſed etiam præcepto divino (ùt fert communior ſententia) eſt inſufficiens, & debet præmitti Sacramentalis Confeſſio peccatorum mortalium; quia talis peccator *non tantùm debet reconciliari Deo, ſed & Eccleſiæ ad hoc, quòd dignè recipiat Sacramentum Eccleſiaſticæ unitatis*, ita Scotus *4. d. 9. q. un §. de tertio dico.* Vide etiam Reiffenſtuel *tr. 14. diſt. 2. n. 39.*

CASUS TERTIUS.

Caja moraliter certò ſcit, illum Confeſſarium, à quo hactenus conſueverat recipere Sacramenta, eſſe indignum, ſeu in malo ſtatu; tum quia actu fovet occaſionem peccandi proximam; tum etiam quia ipſamet Caja eidem nuper aliquoties fecerat poteſtatem ſui corporis: hinc dubitat, an non teneatur alium Confeſſarium accedere, an verò liceat ſibi confiteri ſuo Ordinario; quod quidem libentiùs

tiùs faceret, partim ne se, vel complicem teneretur apud alium diffamare, partim etiam, quia novit, Confessarium illum ordinarium ægrè ferre, imò aliquoties sibi jam exprobrâsse, & interdixisse, ne alteri confiteretur. Quid judicii? vel quid consilii?

R. 1. Probabiliter licitum est Cajæ in tali casu confiteri suo Confessario ordinario; tum quia Confessio facta apud Confessarium criminis complicem, per se loquendo est valida; quandoquidem nulla lege prohibeatur, aut irritetur; modò supponatur pœnitens verè dispositus, prout Herincx noster *de Sacr pœnit. disp. 5. n. 67.* la Croix *l. 6. p. 2. n. 1204.* Gobat, & alii plures docent. Tum etiam quia secundùm dicta *n. 63.* ex gravi causa licitè petitur Sacramentum à Ministro indigno, qui illud dignè posset ministrare, etsi prævideatur hoc non facturus: atqui Caja videtur habere gravem causam, scilicet ne se, vel complicem cogatur diffamare; ergo. Adde, minus requiri ad licitè petendum Sacramentum à Ministro indigno, parato tamen ad illicitè ministrandum, quàm ab alio non parato: atqui Confessarius ordinarius Cajæ est paratus; quia supponitur ægrè ferre, si hæc alium accedat, immò id exprobrâsse, & interdixisse. ergo Cajæ videtur licitum tali confiteri, modò sit aliàs ritè dispositæ. 74

75 R. tamen 2dò. Videtur longè probabilius, quòd Caja in hoc casu teneatur accedere alium Confessarium. Ratio est: quia illicitè Sacramentum petitur à Ministro indigno, etsi parato, quando absque notabili incommodo potest recipi ab alio Ministro bono: atqui Caja hoc potuit: ergo &c. Neque satis videtur excusata propter infamiam; tum quia juxta opinionem Dianæ, Navarri & quorundam aliorum, poterit peccatum, quod sine infamia complicis explicare nequit, differre in aliam confessionem, faciendam apud illum, qui complicem non novit; tum quia certum, aut certò probabilius habetur ab omnibus, nec infamiam propriam, nec infamiam complicis præcisè apud Confessarium incurrendam, quempiam eximere ab onere, vel etiam integritate Confessionis; siquidem Deus confessionem præceperit, non obstante confusione illa, quæ naturaliter & intrinsecè consequitur manifestationem peccati apud Confessarium. Et certè pœnitens majus habet jus ad conservandam propriam famam, quàm complicis: ergo si infamia propria non excuset ab onere, vel etiam integritate Confessionis, minùs excusabit periculum infamandi complicem apud Confessarium præcisè, prout bene arguunt Herincx *cit. part. 4. tr. 4. disp. 3. n. 59.* & Babenstuber *tr. 8. p. 6. d. 5. a. 2. n. 46.* Accedit insuper, hujusmodi Confessionem, Confessario com-

complici faciendam, non vacare periculo, præsertim in nostro casu; vel quia complex facilè dabit novum consensum in delectationem, ex peccato præterito captatam; vel quia non satìs bene consulet saluti pœnitentis inculcandô obligationem vitandi occasionem, aut præscribendô remedia ad hujus evitationem necessaria, prout bene notârunt S. Thomas, Pontius, Verjuys & alii apud la Croix *l. cit.* qua ratione (teste la Croix *cit.*) in Diœcesi Leodiensi, Mediolanensi, & Colonensi, sub pœna suspensionis ipso factô incurrendæ est prohibitum, ne Confessarius (extra casum extremæ necessitatis) excipiat Confessionem mulieris, cum qua in materia carnis peccavit. Atque hinc consulendum omnimodis, & Cajæ inculcandum censeo, ut non complici, sed alteri confiteatur.

Dices. Si Caja confiteatur suo complici, licèt indigno, magnum sentiet commodum; quia declinabit utriusque infamiam: ergo &c.

R. Atqui si confiteatur alteri, sentiet majus 76
commodum animæ; tum quia alter melius consulet; tum etiam quia peccatum Ministri impediet. Cùm igitur commodum, seu etiam bonum animæ sit præferendum bono famæ, hinc obliganda, aut certè, quô meliori modô fieri potest, persuadenda est, ut alium accedat.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

77 COlliges ex dictis primò, à Ministro malo (saltem ubi non suppetit bonus) licitè peti & recipi Sacramentum in sequentibus casibus. 1. Si alioquin aliquis esset moriturus sine Baptismo, vel absolutione. 2. Vel si aliàs sentiret periculum succumbendi tentationi. 3. Si urgeat præceptum annuæ Confessionis aut Communionis. 4. Item si occurrant indulgentiæ, consuetudo laudabilis non diutiùs differendi, pius affectus erga S. Synaxin &c. Videatur Hetincx *de Sacram. in com. disp. 3. n. 101.*

78 Colliges 2dò, illicitè peti ac recipi Sacramenta à Ministro malo, præsertim excommunicato non tolerato, si adsit alius Sacerdos bonus & toleratus, qui possit & velit administrare. Ratio patet ex dictis; tum quia in tali casu sine causa proximo præbetur occasio peccandi, & spiritualis ruinæ; tum etiam, quia Ecclesia solùm indulget fidelibus communicationem cum excommunicato non tolerato propter necessitatem, & ne fideles defectu Sacramentorum subeant periculum animarum: at, si alius sit Sacerdos bonus, volens, & potens administrare Sacramentum, nulla est necessitas, aut periculum: ergo &c.

Exci-

Digitized by Google

Excipiunt tamen multi Doctores casum, 79
quo moribundus ex rationabili causa nullam haberet confidentiam ad Sacerdotem bonum & toleratum; tum quia Concilium Trid. indistinctè ait, *in articulo mortis nullam esse reservationem*, item, *omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes posse absolvere*; tum etiam quia in hoc casu non videtur cessare periculum sacrilegæ Confessionis, atque æternæ damnationis; ideóque Ecclesia, ceu pia Mater præsumitur condescendere ac permittere, ut moribundus valeat confiteri excommunicato non tolerato. Ita tenent Barbosa, Tannerus, Tambur. *de Sacram. l. 5. c. 12. §. 1.* Herincx, Sporer, *Theol. Sacram. part. 3. n. 725.*

Colliges tandem 3tiò, nunquam esse lici- 80
tum, postulare Sacramentum ab eo, qui illud licitè non potest ministrare, v. g. ob censuram Ecclesiasticam, vel aliam prohibitionem particularem. Ratio est; quia talis postulatio esset provocatio & cooperatio ad illicitam administrationem, ideóque ad peccandum. Bosco *cit. disp. 1. sect. 8. n. 95.* Herincx ubi *suprà n. 102.*

CONFERENTIA QUARTA.

De Baptismi natura, ejusdémque institutione, & materia.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Sacramentum Baptismi?
2. Quo tempore à Christo institutum?
3. Baptismus, habens rationem Sacramenti, est unicus, scilicet fluminis; ultra hunc tamen assignantur duo alii.
4. Quid sit Baptismus Flaminis?
5. Et quid Baptismus sanguinis?
6. Ad verum Martyrium requiruntur sex conditiones, & quæ?
7. Materia remota Baptismi fluminis est aqua elementaris: proxima verò est ablutio corporis.
8. Recensetur Materia certò valida & sufficiens.
9. Item materia certò invalida:
10. Et materia dubia pro Baptismo fluminis.
11. Proponitur Casus I. de infante, qui delatus ad Ecclesiam, cœpit agonizare, & refertur responsio inepta cujusdam.
12. Quid in tali casu agendum, resolvitur.
13. Non licuisset infantem certò submergendum projicere in flumen, aut puteum, animò baptizandi.

14. Sa-

14. Satisfit cuidam inſtantiæ in contrarium.

15. Reſolvitur Caſus II. de Parocho, qui tempore hyemali conſueverat baptizare in aqua calida, & ſemel baptizavit infantem cujusdam Nobilis in aqua valdè modica.

16. Quantum aquæ ſit affundendum in Baptismo?

17. In Caſu neceſſitatis poteſt adhiberi modicum aquæ.

18. Reſolvitur Caſus III. de quadam Puerpera, quæ proprium infantem baptizaverat in pede protenſo;

19. Quô non obſtante potuit ab alia muliere rebaptizari ſub conditione: poſtea verò natus à D. Parocho debuit hoc modo rebaptizari.

20. Qui relictâ aqua naturali utitur alia, peccat graviter.

21. Deficiente tamen aqua elementari, uſurpanda eſt materia probabilis, vel dubia.

22. Subinde eſt baptizandus infans, quamvis nondum ſit egreſſus clauſtra ventris.

23. Ad valorem Baptismi neceſſum eſt, ut aqua immediatè tangat infantem: & in qua parte?

24. Perinde tamen eſt quoad valorem, ſive fiat per immerſionem, ſive per infuſionem, aut aſperſionem; & quid in praxi circa hoc obſervandum?

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Materia Baptismi.

QUæres primò, quid sit Baptismus, & quo tempore institutus?

1 R. ad 1mum. Baptismus est Sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis, simul ab eodem abluente cum intentione debita prolatis. Ita Doctor subtilis *4. d. 3. q. 1.* Hæc descriptio satis exactè naturam hujus Sacramenti exprimit. Si tamen nimis longa tibi videatur, dic breviùs ex Catechismo Rom. *§. quod ad rei. de Baptis.* Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.

2 R. ad 2dum. Circa tempus, quò Baptismus fuit institutus, diffident DD. Thomistæ communiter asserunt cum Angelico, Christum instituisse Baptismum tunc, quando in Jordane fuit Baptizatus à Joanne. Econtra Scotistæ cum D. Bonaventura *4. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. fin.* & Scot. *eadem d. q. 4. §. ista quæstio*, tenent, non esse assignabile certum tempus institutionis, quamvis certum videatur, quòd à Christo

à Christo fuerit institutus ante passionem, paulò post quàm ipse à Joanne fuit baptizatus. Rationem inde colligunt: quia Discipuli Christi jam ante mortem Christi leguntur *Joan. 3.* baptizâsse, utique Baptismate sui Magistri. Tum etiam, quia Christus in ultima Cœna Apostolis contulit Sacramentum Ordinis, & Evchariſtiæ: ergo probabiliùs jam priùs erant baptizati; cùm Baptismus sit janua ad reliqua Sacramenta, ùt dicitur *c. veniens de Presbyt. non baptizato.* Vide, si placet, Bosco, *p. 1. disp. 2. sect. 1. àn. 6.*

Quæres 2. Quotuplex sit Baptismus?

R. Baptismus à Christo institutus, habens annexam rationem Sacramenti, est unicus. Ita *omnes.* Ratio desumitur ex illo *Ephes. 4. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Verumtamen præter hunc Baptismum solent adhuc recenseri duo alii. Hinc ad quæstionem illam generaliter intellectam, *quotuplex sit Baptismus?* communiter etiam à Cathechizantibus respondetur: Baptismus est triplex, videlicet fluminis (de quo hactenus) flaminis, & sanguinis. Hi duo tamen solùm per quandam analogiam appellantur Baptismi, quatenus supplent vices veri Baptismi, faciúntque, ut is, qui Baptismum fluminis susciperе nequit, à peccatis abluatur per cordis contritionem, aut sanguinis pro DEO effusionem. Unde 3

Quæ;

Quæres 3. Quid ſit Baptismus flaminis?

4 R. Eſt deſiderium ſeu votum ſuſcipiendi in re Sacramentum; idque vel formale, quo quis expreſsè cupit & deſiderat baptizari; vel virtuale, quale cenſetur habere is, qui invincibiliter ignorans neceſſitatem Baptismi, elicit actum ſupernaturalem amoris DEI ſuper omnia, vel contritionis perfectæ; quia talis cenſetur velle adimplere omnia præcepta, ideóque & præceptum de ſuſcipiendo Baptismate. Quòd autem præfati actus habeant vim juſtificandi, communiſſimè tradunt DD. ùt videri poteſt apud Maſtr. 4. *diſp.* 2. *n.* 170, Laym. Gobat, Clericatum. *de Baptiſ. deciſ.* 26.

Quæres 4. Quid ſit Baptismus ſanguinis, & quænam ad hunc conditiones requirantur?

5 R. ad primum. Baptismus ſanguinis eſt Martyrium propter DEUM perpeſſum. Quòd enim huic competat privilegium, & vis conferendi grariam ex opere operato, docet cum communiſſima Catholicorum D. Bonavent. 4. *d.* 4. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 2. & Scotus *ead. d.* 4. *q.* 6. Confirmátque praxis Eccleſiæ honorantis SS. Martyres. Hinc Cyprianus *in exhortat. ad Martyr.* ait: *Martyrium eſt Baptisma in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius, quod nos de Mundo recedentes, ſtatim* DEO *copulat.*

6 R. ad 2dum. Ad verum Martyrium requiruntur ſequentes ſex conditiones. 1. Ut Martyr habeat veram fidem; quia ſine fide impoſ-

Digitized by Google

impossibile est placere Deo. 2. Ut velit mori pro vera fide aut virtute aliqua: perinde enim est, an quis suo sanguine defendat, quæ sunt credenda, vel quæ ex præcepto divino sunt operanda. 3. Ut mors inferatur à Tyranno vel alio Persecutore; quia nulli licet se ipsum interficere. 4. Ut Martyr volens accepter & subeat Martyrium, nec recalcitret; secus enim non occumberet ùt verus Martyr, sed ùt miles victus in bello. 5. Ut sit constans in tormentis usque in finem, juxta illud *Apoc. 4. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* 6. Tandem præcipuè necessum est, ut Martyr non sit obnoxius culpæ mortali, aut certè, si se reum agnoscat, confiteatur priùs, vel si id fieri nequeat, eliciat actum amoris Dei super omnia, aut contritionis. Censent tamen Suarez, Gobat, *tr. 2. n. 617.* Mastr. Herincx, Cardinalis de Lauræa aliique plures apud Clericat. *l. c. decis. 27. n. 13.* etiam attritionem sufficere cum martyrio ad obtinendam justificationis gratiam; quia, ùt jam diximus, martyrio competit vis conferendi gratiam, non minùs quàm Baptismo: sicut ergo ad hunc sufficit attritio, ità & ad illud. Quin immò, in casu, quô Martyr vel immemor suorum peccatorum, vel memor quidem, ob vim tamen tormentorum non posset concipere dolorem & detestationem, probabile existimat Scot. *4. d. 14. q. 1. §. Ex his ad solut.* aliique multi, sufficere cum Martyrio solam voluntatem mo-

rien-

riendi pro Christo; tum quia talis voluntas & sufferentia martyrii est actus Charitatis valdè heroicus; tum etiam, quia nullus excluditur à regno Cœlorum, qui facit, quantum est simpliciter necessarium, & sibi possibile; tum denique, quia Ecclesia jam per sexdecim sæcula veneratur indifferenter SS. Martyres pro fide interfectos, & tamen vix dubitandum videtur, quin inter tot myriades nonnulli decesserint cum sola attritione, vel etiam cum sola hac voluntate pro Christo, vel virtutis defensione moriendi: ergo hoc sufficit.

Quæres 5. Quænam sit materia Baptismi?

7 R. Materia remota est aqua naturalis, proxima verò est ablutio corporis in aqua. Ita *unanimis Catholicorum.* Utraque pars constat, tum ex praxi Ecclesiæ; tum etiam ex perpetua traditione. Ratio à priori alia assignari nequit, quàm voluntas divina, nobis utique satis intimata per Scripturam *Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* item *Act. 8. Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Nec non per Concilia, præsertim Trid. *ss. 7. Can. 2.* ubi habetur: *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi &c. anathema sit.* Et sapienter omnino disposuit Sapientia, ut pro hoc Sacramento, utpote maximè necessariò, adhiberetur aqua naturalis, quippe

quippe quæ passim obvia, & obtentu facillima, nunquam, aut certè admodum rarò deficeret, simúlque internam illam animæ ablutionem à peccatorum sordibus aptè significaret. Vid. Castrop. *tr. 19. disp. un. punct. 3.*

Quæres 6. Quænam sit materia certò valida, quænam invalida, & quænam dubia vel probabilis?

R. 1. Materia certò valida, & apta ad bap- 8
tizandum, est 1. Aqua naturalis seu elementaris, tam frigida, quàm calida, sive sit fluminis sive putei, maris, fontis, paludis. Item 2. Aqua pluvialis, vel resoluta ex nive, aut glacie vel grandine. Item. 3. Aqua transfusa per venas metalicas, acetosas, salsas. 4. Aqua cadens ex parietibus, lapidibus desudantibus, aut arborum foliis. 5. Denique aqua mixta cum modico vino, aut alio liquore, vel in qua sunt leviter decoctæ carnes vel pisces, ita, ut liquor plus habeat de natura aquæ, quàm de substantia corporum lixatorum in ea. Ratio horum est: quia omnia mox recensita sunt substantialiter aqua: ergo sufficiunt pro valore Baptismi, quamvis ita alterata usurpari non debeant extra casum necessitatis.

R. 2. Materia certò invalida & inepta ad 9
Bap-

Baptismum censetur 1. Sanguis, lac, lacrymæ, saliva, urina, pituita. Item 2. Aqua supernatans cruori, seu sanguini extracto, sicut & illa, quæ fluit ex corpore hydropici. 3. Succus pomorum, pyrorum, cerasum. 4. Item à potiſſimis DD. materia certò inepta censetur, atramentum, cerevisia valdè decocta, sicut & lixivium valdè decoctum. Ratio desumitur à contrario, quia omnia & singula mox enumerata, nomine, usu, & re differunt ab aqua elementari: ergo sunt substantialiter diversa, ac per consequens inepta ad baptizandum.

10 R. 3. Materia dubia Baptismi habentur 1. Aqua rosacea, aliíque consimiles liquores, per alchimiam educti ex floribus seu plantis; quia aliqui probabile censent, vi caloris aquam naturalem separari, & extrahi posse ex mixtis, seu plantis. 2. Aqua turbida, expressa ex luto. 3. Cerevisia tenuis, & lixivium mediocriter decoctum seu bullitum. 4. Atramentum Gobat existimat, esse materiam validam; sed Illsung & Babenstuber meliùs videntur dicere, esse materiam dubiam; quia, ut bene docet Herincx noster *part. 4. tr. 2. disp. 5. num. 16.* ad materiam dubiam illa meritò revocatur, de cujus valore sunt dissentientes Doctorum opiniones: atqui de atramento dissentiunt, sicut etiam de succo seu humore, tempo-

re

re vernali ſtillante ex vitibus, & aliis arboribus, itémque de aqua reſoluta ex ſale : ergo. De his videri poſſunt Bonacin. *tom. 1. de Sacram. bapt. q. 2. punct. 3. n. 2.* Gobat. Theol. exper. *tr. 2. ſect. 1. per totam.* Cleric. *de Sacram. in Gen. deciſ. 6.* Kazenberger *in ſupplem. Theol. Sacr. P. Sporer c. 1. à n. 8.*

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici de Materia Baptismi.

CASUS PRIMUS.

TItio Parocho oblatus fuit infans baptizandus; qui, ut ſuo ſatisfaceret muneri, rectâ gradiebatur cum mulieribus ad Eccleſiam, mediæ circiter horæ ſpatio diſtantem à domo parochiali. Sed ecce! dimidiô itineris nondum emenſo, ſubitò contra omnium exſpectationem advertunt, infantem jamjam agonizare; hinc mulieres in lamenta, ploratum, & ululatum prorumpunt, petúntque, ut D. Parochus (qui recitandis intenderat horis canonicis) ſuccurrat trepidantibus in tanto periculo. Quid conſilii?

Caſus hic non fictus, ſed factus eſt haud 11
procul Paſſavio ; & quoniam non pro-

cul ab itinerantibus rivulus quidam dilabebatur, hinc bonus ille Pastor properavit ad illum, indéque volâ manuum suarum hausit aquam, infantem baptizavit, baptizatúmque astris Cœlitum transmisit, utique sapienter & laudabilissimè.

At quid, si itinerantes (prout de facili contingere posset) aquâ omnino fuissent destituti, quid, inquam, in tali rerum articulo agendum, vel quid medii capessendum?

Mihi olim studiosus quidam Moralium hac super re interrogatus respondit, mulieri præcipiendum fuisse, ut lacrymaretur super caput infantis, simulque à D. Parocho fuisse proferendam formulam Baptismi; cui ego: sed quid, si mulier, utpote valdè duræ cervicis & cordis nequeat lacrymari? Respondit ille: percutienda erit, quousque fuderit lacrymas; oportet enim, ut pro salute animulæ innocentis hanc sustineat corporis afflictionem. Ratio hæc haud fuisset spernenda, si lacrymæ non essent materia certò inepta, nec forma necessariò proferenda ab eo, qui adhibet materiam. Sed instabam ulteriùs. Nunquid meliùs faceret D. Parochus exspuendô in faciem infantis, & mox formam proferendô?

Re-

Reſpondit ille: optimum conſilium, & omnimodis amplectendum. Verùm ex dictis hactenus facilè quisque concludet, ridendum potiùs eſſe hoc conſilium, quàm amplectendum; quandoquidem ſaliva, ceu materia prorſus inepta, nihil omnino ad valorem Sacramenti, ac per conſequens nec ad ſalutem infantis conducat. Hinc

12. R. Nec in ſalivâ, neque in lacrymis fuit baptizandum, ne quidem ſub conditione. Ratio eſt: quia formula Sacramenti nec conditionatè eſt proferenda, ubi deficit materia, nec apparet probabilis ſpes valoris vel fructûs inde percipiendi, prout cum *communi* DD. tenet La Croix *l. 6. p. 1. n. 260.* quem enim in finem id fieret? atqui nec lacrymæ, nec ſaliva ſunt aqua naturalis, prout fatentur omnes, & habetur *c. penult. de Baptis.* item *c. in quadam. de celebrat. Miſſarum.* ergo quemadmodum ne quidem ſub conditione abſolvendus eſt is, de quo conſtat, quòd non doleat, quacunque demum de cauſa id contingat; ita nec baptizandus eſt infans in ſaliva vel lacrymis. Quærenda tamen fuit aqua elementaris ex quacunque demum palude; vel ſi pluviæ cecidiſſent, nonnullæ ſaltem guttulæ fuiſſent à miniſtro ducendæ ſuper caput infantis cum debita prolatione formæ; quia hoc probabiliter ſufficit ad valorem Baptismi. Monet etiam

ſapienter Gobat. *cit. n. 264.* ut, ſi Parochus advertat, mortem imminere infanti, ſi deferretur ad templum, non autem ſic imminere, ſi non efferatur domô, curet illum non deferri ad Eccleſiam, ſed domi baptizandô referat illum ad beatiſſimam claſſem Chriſti fidelium.

Dices. Quid ſi autem properantes ad Eccleſiam tranſiîſſent puteum aut fluvium, nec potuiſſent inde haurire aquam, licuiſſétne infantem certò ſubmergendum projicere in puteum cum prolatione formæ, & hôc modo baptizare?

13 R. Non licuiſſet. Quamvis enim Thomiſtæ & Recentiores plurimi exiſtiment (contra Scotum & communiorem SS.) talem baptismum valere; communiſſimè tamen fatentur (prout videre licet apud Babenſtuber *tr. 8. p. 2. d. 1. a. 2. n. 20.*) hujusmodi projectionem infantis eſſe mortaliter illicitam in omni caſu; cùm videatur directa occiſio innocentis, ideóque intrinſecè mala: atqui non ſunt ullatenus facienda mala, ut eveniant bona, & quilibet tenetur magìs vitare peccatum mortale in ſe ipſo, quàm quærere ſalutem proximi, ait rectè Doctor ſubtilis 4. *d. 5. q. 3.* ergo non licuit. Si tamen ſtrophiolô, vel alio quocunque inſtrumentô, v. g. arundine, vel

vel perticâ &c. aliquot ſaltem guttulas inde haurire potuiſſent, iis meditantibus attentandus fuiſſet Baptiſmus.

Dices. Multi DD. quos refert la Croix *cit. n. 264.* tenent : talem projectionem eſſe probabiliter licitam ; quibuscum etiam ſentit Boſco *p. 1. diſp. 2. ſect. 1. concl. 7.* ergo Parochus in tali caſu tenetur projicere puerum ; quippe cui in tanto animæ periculo obligatur ſuccurrere omni mediô licito.

R. Doctores illos, quos refert La Croix *cit.* non loqui de ſubmerſione per ſe occiſiva, ſed ſolùm aſſerunt, infantem eſſe baptizandum (per actionem utique de ſe licitam) tametſi mors aliquo modo acceleraretur. Boſco quidem exiſtimat, ex ratione difficulter probari poſſe, hujusmodi projectionem eſſe illicitam, fatetur tamen ipſusmet *n. 93.* hoc à Theologis communiter negari. Quapropter & ego cum P. Gobat. *tr. 2. n. 262.* & aliis, huic non ſubſcribo, utpote gnarus, eſſe valdè periculoſum, in re tanti momenti recedere à communi. Hinc conſtanter nego, hoc medium eſſe licitum in ullo caſu. 14

* * *

CASUS SECUNDUS.

Sempronius tempore hyemali consuevit baptizare infantes aqua nonnihil calefacta, seu tepida, quin etiam nuper, cùm eidem oblatus fuit baptizandus infans cujusdam magni Domini, sacro fonti commiscuit aquam rosaceam, & ne tenellum quoquò modo affligeret, modicissimam aquam affudit super caput illius. An peccati condemnandus est Sempronius?

15 R. Sempronius non peccavit ex eo, quòd hyemali tempore baptizaverit in aqua nonnihil calefacta. Ita Illsung *tr. 6. d. 2. a. 3. n. 11.* Babenst. *ubi suprà a. 2. n. 5.* aliique plures. Ratio est: quia Sacramentum non debet obesse vitæ hominis, quod ad vitæ, peccatô Adami amissæ restaurationem institutum fuit. Immò, teste Illsung *l. c.* quædam Ritualia expressè monent, expedire, dum frigus est actius, ut Minister aquæ baptismali aliam calidam in pelvi misceat, atque inde infantes baptizet. Minùs est excusandus Sempronius, quòd S. fonti miscuerit aquam rosaceam, utpote nullatenus necessariam. Nihilominus hæc contra communem Ecclesiæ morem deordinatio politica non apparet adeò gravis; hinc non videtur culpam venialem excedere. Certò autem peccati mortalis condemnandus foret, si (quod tamen vix credendum) aquam tam modicam affu-

affudiſſet, ut verè non fluxiſſet ſuper caput infantis, vel etiam ſolâ aquâ roſacea illud humectâſſet ; quia hoc modô absque ſufficienti cauſa Baptismum reddidiſſet dubium, ideóque & Sacramentum periculo irreverentiæ ſacrilegæ, & prolem periculo æternæ damnationis expoſuiſſet, magìs ſollicitus pro vita corporis, quàm animæ ; quod non decet Paſtorem animarum.

Dices. Quantum igitur aquæ affundendum eſt, ut valeat Baptismus?

R. Tantum eſt affundendum, ut ſucceſſivè 16
fluat ſuper infantem, & is in morali hominum æſtimatione cenſeatur verè ablutus ; hoc etenim vult & ſignificat verbum *baptizo*. Quare ſententiam Vaſquez, Dianæ, & quorundam aliorum, aſſerentium, valere Baptismum collatum in una ſolùm vel altera guttula (eſto ſpeculativè probabilis videatur) extra caſum neceſſitatis neutiquam practicare licet, utpotè non verè tutam ; nam moraliter loquendo non dicimus verè ablutum, qui unicâ tantùm, vel alterâ guttula eſt aſperſus, prout obſervant Valentia, Mezger, Bonacin. Laym. *l. 5. tr. 2. c. 3. n. 1.* Kazenberger ubi ſuprà *c. 1. n. 17.*

Dixi tamen : *extra caſum neceſſitatis &c.* Enim verò, ſi infans eſſet tam debilis, ut absque periculo mortis ablui non poſſet, oporteret ſaltem nonnullis guttulis è manu, aut digito

fluentibus delinire caput, aut ſcapulas infantis; quia in hoc nullum apparet periculum. Immò ſi quod minimum interveniret, utique poſtponendum foret periculo æternæ damnationis, quam certò incurret non baptizatus. Vid. Gobat. *n. 255. & 263.* Herincx. *part. 4. tr. 2. diſp. 5. n. 22.*

CASUS TERTIUS.

CAja ex illicito, immò damnato coitu prægnans (conceperat enim à Conſanguineo in primo gradu) intempeſta nocte obruebatur doloribus partûs, & quia adverterat, infantem jamjam protendere aliquod membrum, licèt ignara quodnam eſſet, apprehensâ in tenebris aqua luſtrali, conabatur illud abluere cum prolatione formæ baptismalis, ne delictum hactenus incognitum, teneretur aliis manifeſtare. Tandem verò lamentis & ſuſpiriis Cajæ excitata quædam alia mulier, accurrit, & re comperta affudit rurſus aquam ſuper eundem pedem infantis, ſimúlque protulit formam baptismi. Quæritur jam 1. an Caja potuerit licitè hoc modo baptizare, an verò fuerit obligata implorare aliarum mulierum opem? 2. Utrùm altera mulier ſuperveniens bene baptizârit infantem nondum natum, in eodem membro ſeu pede? 3. Utrum D. Parochus infantem illum poſteà natum debuerit rebaptizare?

R.

R. Ad 1mum. Procul dubio licuit Cajæ 18
in tali periculo baptizare præfato modô : nihilominus graviter obligabatur ad implorandam aliarum fœminarum opem. Ratio eſt : quia ſecundùm *communiſſimam* DD. opinionem, quam tenent etiam Laym. Sporer, La Croix *l. 3. p. 1. n. 776.* quivis homo, ideóque & quælibet Mater tenetur pro conſervatione tum propriæ, tum etiam prolis vitæ, adhibere media ſaltem ordinaria ; atqui, implorare aliarum mulierum expertarum opem ad ſalvandum, vel etiam facilitandum partum, non eſt extraordinarium, ſed vel maximè ordinarium medium : ergo. Eſto etiam Caja ex tali invocatione timuerit periculum infamiæ, forſitan & capitis, meritò tamen poſtponi debuit periculo perdendæ utriusque, Matris ſcilicet, & prolis vitæ, immò & æternæ damnationis, cui prolem expoſuiſſet ; cùm ſit incertum ſatìs, an baptismus taliter collatus valeat. Adde, illam mulierum invocationem valdè remotè ſe habuiſſe in ordine ad pœnam capitis ; præſertim cùm potuerit hanc declinare, non quidem mentiendo, ſed diſſimulando Patrem proprium, & cum quadam reſtrictione mentali dictitando quemdam incognitum, prout jam ſæpiùs factum fuit, & licitè fieri ob graviſſimam cauſam, docet Gobat. *in appendice ad tr. 2. n. 9. & 21.*

19 R. Ad 2dum & 3tium, Mulierem supervenientem licitè baptizâsse, saltem sub conditione: & si infans supponatur posteà fuisse natus, denuo à D. Parocho sub conditione rebaptizari potuit, immò debuit. Ratio est: quia quotiescunque prudenter dubitatur, an Baptismus sit validè collatus, toties est repetendus, sin minùs absolutè, saltem sub conditione: atqui mulier in nostro casu superveniens huic spectaculo, prudenter dubitare potuit, utrum Mater, scilicet Caja, in tanta perplexitate, confusione & periculo constituta, fuerit sibi satìs præsens, & validè baptizaverit. Et quandoquidem multi DD. existiment, Baptismum in sola manu aut brachio collatum infanti nondum integrè effuso esse nullum; hinc etiam D. Parochus potuit prudenter dubitare de valore collati priùs Baptismi: ergo debuit sub conditione rebaptizare. Vid. Gobat. *n. 253.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

20 COlliges primò, eum peccare mortaliter, qui cùm posset adhibere materiam certam, aquam scilicet naturalem seu elementarem, adhibet dubiam. Ita *omes.* Ratio est: quia absque urgenti causa exponit salutem in-

infantis discrimini, simúlque Sacramentum periculo irreverentiæ sacrilegæ; quod sine peccato gravissimo fieri nequit. Idem tenent Doctores communiter de eo, qui sine necessitate utitur aqua turbida, fæculenta &c.; eò quòd huic Sacramento gravem irreverentiam irroget. Babenstub. ubi suprà *disp. 1. a. 2. n. 15.* Castrop. & alii.

Colliges 2. In casu, quô deficit aqua elementaris, adhibendum esse talem liquorem, qui propiùs accedit, & magìs videtur aqua elementaris. Quodsi etiam talis desit, adhibenda erit materia dubia, seu talis, quæ ab uno vel altero saltem censeatur materia sufficiens. Hinc idem Gobat, *l. proximè cit.* ait, in tali casu adhiberi posse aquam distillatam è rosis, herbis, fluentem ex arboribus, resolutam ex sale, lixivium, jusculum, cerevisiám, & glaciem non resolutam; ob rationem mox dandam. 21

Colliges 3. Baptizandum subinde esse infantem, etsi nondum sit egressus claustra ventris. Quòd autem communiter dicatur, renasci non posse, qui non est natus, ideò solùm contingit, quia regulariter loquendo infans ablui non potest, priusquàm nascatur. Hinc sapienter ait Gobat, *cit. n. 253.* quòd, si sit dubium, an parturiens sit editura prolem vivam, Confessarius vel Parochus ad illam vocatus debeat monere Obstetricem, ut, quamprimùm 22

mùm infans manum aut pedem protenderit, eundem aquâ aſpergat, ac baptizet ; vel, ſi credat, infantem moriturum intra Matrem, ſuadeat, ut conetur extrahere aliquam ejus partem ; vel denique, ſi poſſibile ſit, intra ventris abdita latentem, conetur manu, digito, vel aliô inſtrumento humectare, & cum debita formula baptizare ; quia cùm hoc Sacramentum ſit ſummè neceſſarium, adminiſtrandum eſt, quotiescunque apparet ſaltem probabilis ſpes valoris : at, in tali caſu apparet : ergo &c. La Croix *n. 292. & 293.*

23 Colliges 4. Ad valorem Baptismi neceſſum eſſe, ut aqua tangat corpus infantis immediatè ; ſecùs enim non diceretur ablutus. Hinc non valeret Baptismus, ſi ſolùm veſtes, aut faſcia, aut uterus prægnantis, in quo latet infans, abluerétur. Cæterùm monent DD. communiter, & cum illis Herincx *p. 4. tr. 2. diſp. 5. n. 22.* infantem ſemper eſſe abluendum in capite ; tum quia hoc eſt præcipuum hominis membrum ; tum etiam quia hoc refert antiqua Eccleſiæ conſuetudo. Quòd ſi in pectore aut ſcapulis abluerétur, videtur ſatìs certum, non ampliùs eſſe repetendum Baptismum ; ſi verò in alia parte minùs principali, utputa manu, pede, umbillico, vel capillis tantùm fuiſſet ablutus, Baptismus velut dubius foret repetendus. Clericatus, Babenſtuber, Kazenberger ubi ſuprà *c. 1. n. 17.*

Col-

Colliges tandem 5. Ad valorem Baptismi 14
perinde esse, sive corpus aquæ immergatur, sive eâ aspergatur, aut superinfundatur. Ita *communiter* Theologi, & habetur in Rituali Rom. Quamvis hoc præferat immersionem capitis in aquam, vel infusionem aquæ in caput Baptizandi. Similiter indifferens est ad valorem Baptismi, utrùm fiat una, vel etiam trina immersio, aut infusio. Ratio est : quia tam per unam, quàm per trinam infusionem vel immersionem fieri potest ablutio verè usualis. In praxi tamen observare oportet consuetudinem receptam cujuscunque Ecclesiæ, quæ ob diversas rationes occurrentes subinde unicam immersionem aut infusionem, subinde verò trinam adhibuit, & etiamnum adhibere consuevit, prout habetur *c. de trinâ, dist. 4. de consecr.* Quocirca videri potest & debet Rituale cujuslibet Diœceseos, nec sine urgenti causa ab eo est recedendum. Reiffenstuel *Theol. mor. tr. 14. dist. 3. n. 16. & 17.*

CON-

CONFERENTIA QUINTA.

De Forma, & Miniſtro Baptismi.

SUMMARIUM.

25. Legitima forma Baptismi eſt hæc: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.

26. In hac neceſſariò neceſſitate Sacramenti ſunt exprimenda quatuor, ſcilicet 1. Actus Baptizationis, 2. Perſona baptizanda. 3. Unitas Eſſentiæ D. & 4. Trinitas Perſonarum.

27. Cur potiùs Perſona baptizanda, quàm baptizantis ſit exprimenda?

28. Ordinarius & legitimus Miniſter Baptismi eſt Sacerdos &c. In caſu tamen neceſſitatis quivis homo validè baptizare poteſt.

29. Poteſtas baptizandi ſolenniter ex rationabili cauſa poteſt etiam Diacono committi.

30. Non repugnat, quin unus Miniſter ſaltem validè ſimul plures baptizet:

31. Et è contrariô plures ſimul eundem.

32. Nullus tamen ſeipſum baptizare valet.

33. Reſolvitur Caſus I. de infante baptizato cum hac formula: Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritûs ſancti.

34. Et quid, ſi Baptismus fuiſſet collatus hoc modô: ego te baptizo in nomine Dei Patris, Dei Filii, & & Dei Spiritûs ſancti?

35. Reſolvitur Caſus II. de Obſtetrice, quæ defectu intentionis debitæ plures infantes invalidè baptizaverat.

Digitized by Google

36. Quid Confeſſario hoc audienti faciendum?
37. Et quid, ſi Obſtetrix fuiſſet Saga, nec ſine periculo vitæ potuiſſet ſuum delictum manifeſtare?
38. Suggeritur aliud Conſilium in tali caſu amplectendum.
39. Reſolvitur Caſus III. de alia obſtetrice, quæ infantem nondum integrè egreſſum tentavit baptizare, poſteà verò natum rebaptizavit:
40. Quô non obſtante D. Parochus licitè eundem rebaptizavit ſub conditione.
41. Quandonam infantes ab Obſtetricibus baptizati ſint rebaptizandi?
42. Explicatur Canon, 12 Ritualis Paſſavienſis de iterando tali Baptismate.
43. Valet Baptismus, ſi dicatur: Ego te abluo, mundo &c. vel ſi loco *te* dicatur: ſuam Dominationem &c. Non tamen valet, ſi conferatur in nomine SS. Trinitatis, aut in nomine Chriſti.
44. Satisfit cuidam inſtantiæ in contrarium factæ,
45. Etiam in caſu neceſſitatis inter miniſtros Baptiſmi per ſe loquendo ſervandus eſt ordo, ita, ut Sacerdos Laico, vir fœminæ &c. ſit præferendus.
46. Nec nobis Fratribus minoribus vi Regulæ S. eſt prohibitum baptizare.
47. Nullus tamen Miniſter Diaconô inferior poteſt baptizare ſolemniter: & quas pœnas incurrat, qui hoc attentare præſumit?

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Forma, & Ministro Baptismi.

QUæres primò, quænam sit legitima formâ Baptismi?

25 R. Est sequens: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti amen.* Ita decisum habetur in Concilio Lateran. *c. firmiter de summa Trinit.* Item in Florent. & Trident. *ff. 7. de Bapt. can. 4.* Ratio desumitur ex illo *Matth. 28.* ubi Christus legitur mandâsse suis Apostolis, ut baptizarent *in nomine Patris* &c. Et quamvis non legatur præcepisse, ut baptizandô exprimerent Trinitatem Personarum explicitè, constat tamen ex perpetua Ecclesiæ traditione, & Conciliorum definitionibus, Christum hoc intendisse, & voluisse. Sed

Quæres 2dò. Utrum omnia illa allegata verba, vel quænam sint necessariò necessitate Sacramenti exprimenda?

R. Necessariò exprimi debent 4tuor, vide-
26 licet 1. Actus baptizationis; quod fit per ly *baptizo*. 2. Persona baptizanda; quod fit per ly *te*, 3. Unitas Essentiæ D. quod fit per ly

ly in nomine. & 4. tandem Trinitas Perſonarum ; quod fit per *ly Patris & Filii &c.* Ita communiſſimè Theologi. D. Thomas. Scot. *4. d. 3. q. 2.* Conſtat etiam, tum ex perpetuo uſu & praxi Eccleſiæ, tum etiam ex *c. ſi quis. de Baptis.* Ratio à priori alia dari non poteſt, quàm voluntas Dei. Cùm enim Baptismus ſit Sacramentum fidei, quô ingredimur Eccleſiam ; hinc voluit Chriſtus, ut in hujus ſuſceptione fieret explicita invocatio SS. Trinitatis, conſiſtentis in unitate Naturæ Divinæ, & Trinitate Perſonarum in eadem Natura ſubſiſtentium, ceu principaliſſimi & primarii objecti noſtræ fidei : & quia Forma debet verſari circa certam materiam, & materia proxima, ſcilicet ablutio, circa certam Perſonam ; hinc neceſſum eſt, ut per formam exprimatur & actus baptizationis, & perſona baptizanda ; ſecus enim foret nimis imperfecta & confuſa ſignificatio formæ.

Dices de eſſentia formæ non eſt, ut explicitè exprimatur Perſona Miniſtri, prout conſtat ex hac forma Græcorum : *baptizatur Servus Chriſti in nomine Patris & Filii & Spiritûs ſancti*, quæ à Concilio Florentino fuit agnita tanquam valida, & tamen in hac non exprimitur explicitè Perſona Miniſtri : ergo nec eſt de eſſentia, ut Perſona baptizanda, vel Trinitas Perſonarum exprimatur.

27 R. Negando Conſeq. Quamvis enim ſpectandô præcisè rationem, videatur eſſe paritas inter utrumque; quia tamen hoc unicè dependet x Dei arbitrio, hinc non tam rationi, quàm auctoritati, vel potiùs voluntati divinæ nobis per Eccleſiam intimatæ inniti debemus: atqui, tam Græca, quàm Latina Eccleſia ſemper expreſſit, & exprimendam cenſuit unitatem Eſſentiæ, & Trinitatem Perſonarum, nec non perſonam baptizandam, non item Perſonam Miniſtri baptizantis: ergo.

Quæres 3. Quisnam ſit Miniſter Baptismi?

28 R. Miniſter ordinarius Baptismi ſolenniter, aut privatim extra caſum neceſſitatis conferendi, 1. eſt ſolus Epiſcopus, vel Sacerdos curatus: in caſu tamen neceſſitatis baptizare poteſt quilibet homo ratione utens, & potens abluere, ſimúlque proferre debitam Baptismi formulam. Ita *Communis*. Conſtat ex *c. firmiter cit.* & *c. à quodam Judæo de conſecr. diſt. 4.* item *c. conſtat. eod. diſt.* Et habetur expreſsè deciſio facta in Concil. Florent. *decret. de Armen.* ibi: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare: in caſu autem neceſſitatis non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam Laicus & Mulier, immò etiam Paganus & Hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia.* Ratio prioris eſt: quia per Baptismum recipitur

tur Baptizatus in Collegium Eccleſiæ militantis: recipere autem in Eccleſiam, pertinet ad Præſidentem, & habentem auctoritatem in Collegio, qualem habet Epiſcopus, & Sacerdos curatus, ait Doctor ſubtilis. *4. d. 6. q. 1.* Ratio autem poſterioris eſt: quia Sacramentum Baptismi eſt omnibus ac ſingulis ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium; ergo omnino congruum fuit, ut in caſu neceſſitatis aſſumeretur quivis Miniſter, ne hujus defectu periclitarentur animæ; ſicut ob eandem rationem placuit Deo aſſumere materiam paſſim obviam, ſcilicet aquam naturalem.

Dixi tamen: *Miniſter ordinarius eſt Epiſcopus* 29
&c. Extraordinarius enim ex commiſſione Epiſcopi vel Sacerdotis curati poteſt eſſe Diaconus; huic quippe in ordinatione Epiſcopus dicit: *Diaconum oportet baptizare.* Et *c. Diaconos. diſt. 93.* dicitur: *Diaconi abſque Epiſcopo vel Presbytero* (id eſt, ait Gloſſa, abſque eorum conſenſu aut comiſſione) *baptizare non audeant*: ergo ſupponitur, quòd Diaconis ſaltem committi poſſit poteſtas ſolenniter baptizandi, id eſt, cum Ritibus & Ceremoniis in hunc finem ab Eccleſia in Rituali præſcriptis. Nec ad licitam comiſſionem requiritur extrema neceſſitas, ſed ſufficit quævis alia rationalis cauſa; ùt ſi Miniſter ordinarius eſſet infirmus, vel componendis concionibus, aut excipiendis

Confessionibus occupatus. Sic enim ait Herinx *disp. 6. n. 9.* Apostoli, ut prædicationi vacarent, videntur Baptismum commisisse Diaconis.

Quæres 4tò possitnè unus simul baptizare plures?

30 R. Potest saltem validè (non tamen licitè extra casum necessitatis) si simul plures perfundendô aquâ dicat: *Ego vos baptizo in nomine Patris &c.* Ita cum communi Scor. *4. d 6. q. 2.* Ratio desumitur à pari: quia potest unus simul plures consecrare hostias, vel etiam plures simul confessos v. g. in casu naufragii, aut tempore pestis absolvere, dicendo: *ego vos absolvo &c.* ergo similiter plures baptizare. Et in tali casu fierent plura Sacramenta; fieri namque posset, ut respectu unius valeret Baptismus, non item respectu alterius nolentis baptizari: quemadmodum in simili casu absolutio respectu dispositi esset valida, respectu indispositi autem invalida & nulla.

Quæres 5tò. Utrum plures simul possint baptizare eundem?

31 R. Cum distinctione. Vel enim supponuntur baptizare ita, ut unus affundat aquam, alter verò proferat formam; vel sic, ut quivis

vis baptizandum abluat, ſimúlque proferendo formam, independenter ab alio baptizare intendat? Si primum, Baptismus erit nullus; tum quia Eccleſia ſemper tenuit, Chriſtum voluiſſe, ut idem Miniſter ſimul abluat, & proferat formam; tum etiam, quia videtur forma falſificari, ſi miniſter dicat: ego te baptizo, ſeu abluo, & tamen non abluit. Si 2dum, rurſus diſtinguendum eſt, & dicendum, quòd, ſi unus abluentium priùs proferat & abſolvat formam, quàm alter, tunc ille alter nihil ampliùs efficiet; quia homo jam fuit baptizatus, ideóque incapax 2di Baptismi. Si verò uterque ex abluentibus formam ſimul in eodem inſtanti abſolvat, tunc uterque ſimul validè baptizabit: ferè quemadmodum ſi plures Sacerdotes ſimul proferendo, abſolvant formam conſecrationis ſuper eundem panem, omnes ſimul conſecrabunt; cùm non ſit major ratio, cur unus potiùs, quàm alter conſecret. Vide Herincx *cit. part. 4. tr. 2. diſp. 6. q. 2.* Babenſtub. *tr. 8. p. 2. d. 1. a. 5. à n. 13.*

Quæres 6tò. Poſſitnè idem homo, v. g. Catechumenus in fide ſatìs inſtructus, ſe ipſum validè baptizare?

R. cum *communi* DD. negativè. Ratio eſt: 32
quia in Baptismo (ait Doctor ſubt. *4. d. 6. q. 4.*) celebratur illa ſpiritualis generatio, de

qua veritas ait *Joan. 3. Oportet vos nasci denuo.* Sicut ergo in carnali generatione alius est, qui gignit, & alius, qui gignitur; ità & in Sacramentali generatione, alius debet esse, qui spiritualiter generat, & alius, qui spiritualiter generatur. Et ita claris verbis ab Innocentio III. decisum legitur *c. debitum. 4. de Baptis.* Vide Fraſſen. *T. 4. tr. 1. disp. 1. a. 2. n. 11.*

§. II.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de forma, & Ministro Baptismi.

CASUS PRIMUS.

Titius prolem ab Uxore sua inopinato effusam baptizavit sequenti formula: Ego te baptizo in nomine Patris: in nomine Filii, & in nomine Spiritûs sancti, Amen. *Vocatus dein D. Parochus, cùm narrante puerpera (quæ modum baptizandi gnaviter animadvertit) rem intellexisset, Puerum rursus rebaptizavit sub conditione. An bene?*

33 R. omnino bene. Licèt enim Reiffenstuel, Castrop. Laym. Salmantic. Babenstuber, & alii plures existiment, præfatam formulam esse validam (quod & probabilius videtur) Multi

Multi tamen, nominatim Buſenbaum, Herincx *diſp. 5. n. 44.* Illſung *tr. 6. diſp. 2. n. 18.* Kazenberger *c. 1. ſect. 1. n. 30.* cenſent eam eſſe ſaltem dubiam. Quare ſicut ſecundùm dicta ſuperiùs *n. 10.* materia, de cujus valore ſunt diſſentientes Doctorum opiniones, cenſeri debet dubia; ita ob eandem rationem dubia cenſeri debet hæc formula: atqui Baptismus dubius eſt certò iterandus ſub conditione, prout omnes fatentur; ergo.

Dices. Quid ſi autem baptizâſſet hoc modo: *Ego te baptizo in nomine DEI Patris, & DEI Filii, & DEI Spiritûs ſancti.* prout quædam Obſtetrix acatholica ex inſtructione ſui Prædicantis conſueviſſe legitur apud Gobat?

R. Videtur ſatis certum, quòd Baptismus 34
hoc modô collatus valeat: quandoquidem & Trinitas Perſonarum ſatìs exprimitur, & unitas Eſſentiæ D. per voculam in *nomine.* Hinc idem Gobat *tr. 2. n. 721.* ait: ego non juberem rurſum tingi, qui eſſet ſic ablutus; quia nec auctoritas, nec ratio permittit vocare in dubium. Fatentur tamen omnes, hunc modum baptizandi eſſe graviter illicitum; cùm ſit contra praxin & præſcriptum Eccleſiæ.

CASUS SECUNDUS.

SEmpronia Obſtetrix vetula morti proxima inter alia Confeſſario aperit, ſe per viginti annos obſtetricâſſe, & ob neceſſitatem quamplures baptizâſſe infantes, circa nullum tamen habuiſſe intentionem legitimam, quin potiùs baptismo oppoſitam. Et licèt fuerit uſa conſuetâ Baptismi formula: Ego te baptizo &c. *non tamen intendit baptizare in nomine Patris Divini, ſed in nomine Patris illius, qui genuerat prolem. Quæritur jam 1. quid cenſendum de valore hujus Baptismi? 2. quid Confeſſario agendum?*

35 R. ad 1mum. Baptismus eſt nullus. Ratio deſumi debet ex dictis *de Sacram. in gen. n. 29.* quia ad validam confectionem Sacramenti neceſſaria eſt intentio legitima Miniſtri, ſcilicet faciendi Sacramentum, vel ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, aut Chriſtus inſtituit: talem verò ſupponitur non habuiſſe Sempronia: ergo. Et licèt fuerit uſa legitima forma baptismi; quia tamen non eſt uſa illis verbis in ſenſu legitimo, ſed alieno; hinc nihil effecit, quemadmodum nihil efficeret Sacerdos, qui ſinè intentione conſecraret, vel proferens hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum &c.* intelligeret non Corpus Chriſti, ſed ſuum, ſibi proprium.

R. ad

R. ad 2dum. Sempronia ſuit à confeſſario 36
adigenda, ut vel ipſamet hunc ſuum defectum propalaret uni aut alteri, præſertim Parocho, vel certè ſibi (Confeſſario ſcilicet) daret licentiam propalandi, & deferendi, ad D. Parochum, in cujus Parochia exercuerat officium obſtetricis, quatenus hoc modô invalidè baptizati inveſtigarentur, & de nullitate ſui batismi admoniti (ſaltem privatim, & in occulto) denuo baptizarentur. Si hoc recuſet vetula, neganda erit abſolutio velut indiſpoſitæ, & nolenti ſatisfacere ſuæ obligationi in re graviſſima, ex qua pendet animarum ſalus.

Dices. At quid, ſi obſtetrix nequeat hoc ſuum delictum manifeſtare ſinè graviſſima infamia, vel etiam periculo vitæ, utputa ſi eſſet ſaga, & infantes baptizâſſet in nomine diaboli, vel (ut de quadam refert Laymann *l. 2. tr. 3. c. 3. n. 3.*) in nomine Zabuli, quid Confeſſario, vel obſtetrici confeſſæ agendum in caſu tam lugubri?

Reſpondet Laym. *l. cit.* à Confeſſario in pri- 37
mis fuiſſe tali mulieri explicandam gravitatem tot ſcelerum, & damnorum inde emergentium, & abſolvendam, poſteaquam ſua exhortatione excitârit in ipſa firmum propoſitum deſiſtendi à maleficiis, ac faciendi ea, quæ Con-

feſſarius judicaverit eſſe neceſſaria ejus ſaluti. 2dò. Nominatim inducendam (ſi queat) ad libentet ſubeundam mortem, pro ſua, aliorúmque à ſe deceptorum ſalute. 3tiò. Si verò non ſit ſpes impetrandi ab illa tam heroicam reſignationem, diſſimulandam obligationem ſe ſiſtendi judici; quandoquidem hanc obligationem ipſa probabiliter ignorat, ejus autem manifeſtatio paritura ſit plus mali, quàm boni. Hanc reſponſionem meritò approbat Gobat *cit. tr. 2. n. 220.* mox ſubjungens: Et quid, ſi in caſu Laymanni Confeſſarius diceret tali mulieri: ſi per te liceat, accedam judicem ſeu Principem, dicámque me aliquod ſecretum, ex quo pendeat ſalus multarum animarum, ipſi aperturum, ſi ſanctè promittat impunitatem? Fortè denique ipſa conſentiret in revelationem ſigilli, & ſinè dubio teneretur Princeps ſtare promiſſis. Ita Gobat, & bene.

38 Neque ego dubito, quin talis mulier conſentiret, aut certè conſentire deberet in tantum, ut Confeſſarius cum cautela jamjam memorata Principem accedat, dicátque cum debita reſtrictione mentali, mulierem illam baptizandô errâſſe, ſerióque fateri, ſe non baptizâſſe cum debita intentione, quam modò ex inſtructione Confeſſarii audivit, eſſe neceſſariam. Cæterùm, quòd ſit ſaga, vel

quòd

quòd in nomine Diaboli aut Zabuli tinxerit infantes, omnino reticeat, & dissimulet Confessarius: nec dubitet, quin & Princeps sit dissimulaturus strictius examen, & pro sua prudentia provisurus, ut suppleto (quantùm fieri potest) baptismate, huic tam ingenti malo succurratur. Et certè ad hoc videtur obligatus Judex vel Princeps Ecclesiasticus, ne scilicet ex severiori animadversione hujusmodi homines delinquentes omnino absterriti, delicta sua ne Confessario quidem detegere ampliùs audeant, sícque defectu manifestationis multi pereant, aut certè multorum æterna salus periclitetur. Quæ autem de Obstetrice diximus, prudens Confessarius facilè noverit applicare, casu quo Parochus ipse fatetur, se multis baptismum invalidè administrâsse, prout de quodam narrat Quintanadvennas *singular. tr. 1. sing. 19.* quem, si placet vide.

CASUS TERTIUS.

Caja Obstetrix vocata ad puerperam, invenit eam cum partu luctantem: cernens autem quòd infans brachium protendat, eò validè utráque manu apprehenso, imploravit cujusdam mulieris astantis opem, jussítque, ut aquam affunderet; quò facto Caja protulit formam Baptismi. Sed quia de hujus valore ipsamet dubitaverat, hinc eundem infan-

infantem paulò poſt in lucem editum, denuo aquâ benedicta perfundens, rebaptizavit. Quæritur jam 1. quid de valore prioris Baptismi? 2. An infans poſteà à D. Parocho potuerit vel 3. omnino debuerit rebaptizari, an verò ſolùm ſuppleri Cæremoniæ Baptismi?

39 R. ad 1mum. Si Caja non abluit brachium protenſum, ſed merè protulit formam, altera muliere aquam affundente, Baptismus fuit nullus, ob rationes datas *n. 31.* Et ità communiſſimè tenent DD. S. Thomas. Scot. *4. d. 9. q. 2.* Maſtr. Cleric. *hic deciſ. 31.* Debuiſſet ergo vel ipſamet Caja abluere brachium, aquam altera ſaltem manu ſuper illud deducendo; vel altera Coadjutrix, quæ ſupponitur affudiſſe aquam, ſimul etiam proferre conſuetam Baptismi formulam; & tunc probabiliter valuiſſet Baptismus. Quia tamen & hic Baptismus à multis vocatur in dubium, prout viſum eſt *n. 23.* hinc inſtante periculo Caja bene fecit, ſi ſub conditione eundem infantem paulò poſt in lucem editum rebaptizavit. Ex quibus facilè colliget quisque prudens, quàm ſapienter Celſiſſ. Princeps JOSEPHUS DOMINICUS Epiſcopus Paſſavienſis in Epiſtola ſua Paſtor. *Ad ſuſcipienda §. 1.* nuper ordinaverit, immò & mandaverit omnibus Parochis & Vicariis &c. ut Obſtetrices omnes, cæteràsque fœminas in abſen-

abſentia Obſtetricum ordinariarum puerperis aſſiſtere ſolentes rigorosè examinent, num materiam & formam Baptismi ab eis in caſu neceſſitatis conferendi debitè calleant: &c.

R. Ad 2dum. Dominus Parochus licitè 40
potuit eundem infantem rebaptizare. Ratio eſt : quia unusquisque licitè ſequitur ſtatuta ſuæ Diœceſeos : at, in Diœceſi Paſſavienſi *Can. 12. de Baptis.* aliísque multis ſtatuitur, ut infantes ab Obſtetricibus vel Laicis baptizati, denuo repabtizentur, ergo &c. Idipſum, teſte Gobar. *tr. 2. n. 171.* ſtatutum eſt in Diœceſi Mechlinienſi, Iprenſi, Auguſtana, Curienſi ; & meritò, cùm enim infantes à Laicis baptizari non debeant, niſi in caſu neceſſitatis : in tali autem plerumque ſoleant perturbari, vel propter inſtans periculum, vel propter lamenta parturientis, vel ob vigilias aût labores, quibus non rarò defatigantur mulieres, vel denique propter abundatiorem potum, quô hujusmodi vetulæ ſæpè ſeſe animare tentant ad faciliús lucrandum fœtum ; hinc à potiori prudenter dubitare licet, an non baptizandô commiſerint aliquem defectum ſubſtantialem, prout vel ex noſtro caſu facilè colligi poteſt, ubi narratur Obſtetrix pronuntiâſſe formam, & mandâſſe alteri, ut affunderet aquam.

R.

41 R. Tamen ad 3tium. Si Caja cæteroquin fuit integræ famæ, modúmque baptizandi bene edocta, reſtetúrque, ſe infantem, poſteaquam nâtus eſt, debitè baptizâſſe, ità, ut re bene examinata nullus deprehendi valeat error, & præſertim ſi etiam alii idem atteſtentur, infans non ampliùs debuit rebaptizari, ne quidem ſub conditione, ſed tantùm ſuppleri ceremoniæ. Ita ſatìs communiter DD. Herincx *diſp. 6. n. 45.* Coinck. Præpoſitus. Quintanad. Gobat. *cit. n. 183.* la Croix. *l. 6. p. 1. n. 321.* & alii. Ratio autem eſt, quia ubi non occurrit prudens dubium de valore Baptismi ſemel collati, nec ſub conditione repetendus eſt: at, in ſuppoſitione quòd nullus poſſit error deprehendi &c. nullum occurrit dubium de valore &c. ergo.

42 Nec refert, quòd in Paſſavienſi aliísque ſuprà mox enumeratis Diœceſibus vigeat conſuetudo, immô ſpeciali conſtitutione cautum ſit, ut infantes ab Obſtetricibus baptizati denuo rebaptizentur: licèt enim non rarò compertum ſit, hujusmodi mulierculas baptizandô errâſſe, propterèáque & Epiſcopus ſapienter ſtatuerit, ut in tali caſu Baptismus repetatur, & Parochus licitè hoc ſtatutum Diœceſanum exequatur, quia tamen jure divino cautum eſt (cui non prævalet humana conſuetudo vel conſtitutio) ne Baptismus ſemel validè collatus

tus reiteretur, profectò nequaquam præſumendum eſt, Epiſcopum voluiſſe, ut etiam in iis circumſtantiis, in quibus nullum exſtat prudens dubium de valore, iteratò conferatur Baptismus ſub conditione. Vide de hoc Gobat *cit. n. 353.* La Croix *l. c.* Kazenberger *c. 1. à n. 41.* Schmalzgruber *l. 3. Tit. 42. n. 56.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

COlliges ex dictis primo, validum eſſe Baptismum, ſi Miniſter pro ly *baptizo*, diceret: ego te *abluo*, *mundo* &c. vel ſi locô *te* diceret *ſuam Dominationem*, *aut Petrum* &c. vel denique ſi idioma latinum mutaret in vernaculum: quia hæc non eſt, niſi mutatio accidentalis, atque ideo, quamvis per ſe loquendo illicita, non tamen invalidat Baptismum. Quin immò, ſi Obſtetrix vel laicus latini idiomatis ignarus baptizet, oportet, ut vernaculâ linguâ utatur; quia ex hoc minus periculi eſt timendum. Secus dicendum foret, ſi Miniſter diceret: *ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti*, vel *in nomine SS. Trinitatis, ſanctæ Crucis*, vel etiam *in nomine Chriſti*, quia talis committeret errorem ſubſtantiale. 43

lem, prout ex dictis facilè colligitur, & communiter fatentur DD. Vide etiam, si placet, quæ diximus *de Sacram. in gen. n. 8. 16. & 17.*

Dices. Olim in primitiva Ecclesia baptizabantur fideles in nomine Christi, prout constat ex *actibus Apost. c. 19. & 10.* ergo etiamnum valeret Baptismus in nomine Christi collatus.

44 R. Trans. ant. neg. cons. Esto enim D. Thom. D. Bonaventura, Scot. *4. d. 3. q. 2.* alíique magni nominis Doctores probabile censeant, Deum in hac lege pro tempore primitivæ Ecclesiæ dispensâsse; eò quòd fuerit ratio dispensandi, nempe ut venerabile nomen Christi, quod tunc temporis multis erat valdè invisum & exosum, redderetur hominibus magìs amabile & commendabile; cùm tamen ratio hæc jamjam cessârit, non est, cur Deus pro moderno tempore dispenset in illa lege. Dixi etiam *Trans. ant.* Enim verò multi etiam graves Doctores, uti Bellarm. Vasq. Cornelius à Lap. & alii plures, videndi apud Clericat. *de Baptism. decis. 30. n. 5.* absolutè negant, Apostolos unquam in solo nomine JEsu Christi baptizâsse: per allegatos autem S. Scripturæ textus (ajunt) solùm innui, baptismum ab Apostolis fuisse administratum in nomine, id est, virtute,

tute, & auctoritate JESU, ut noſceretur eſſe diſtinctus à Baptismate Joannis; vel (quod verò ſimilius eſt) Apoſtolos ad expreſſionem SS. Trinitatis, ſecundæ Perſonæ addidiſſe nomen JESU, hoc modô: *Ego te baptizo in nomine Patris, & JEſu Chriſti ejus Filii, & Spiritûs ſancti.*

Colliges 2dò. Etiam in caſu neceſſitatis 45
ſervandum eſſe ordinem inter Miniſtros, ſaltem per ſe loquendô; ita, ut Parochus proprius alteri Sacerdoti, Sacerdos Diacono, & hic aliis Clericis ac Laicis ſit præferendus: ſicut & vir præferri debet fœminæ, & non excommunicatus excommunicato. Per accidens tamen aliquando oportet non ſervari ordinem prædictum, ut ſcilicet fœmina edocta modum baptizandi baptizet potiùs, quàm vir, immò potiùs quàm Sacerdos, in iis ſaltem circumſtantiis, in quibus pudoris gratiâ non decet virum accedere, utputa ſi infans nondum effuſus eſſet baptizandus ſolùm in protenſo brachio, manu, vel alia parte; quia Sacerdos vel quicunque alius, etſi de ſe ſuperioris ordinis foret, dum congruè nequit accedere, cenſetur moraliter abſens, ait Herincx *diſp. 6. n. 12.* Vide de hoc Rituale Rom. *de Miniſt. Bapt.*

Dices. Sed nunquid oportet laicum vel etiam fœminam præferri Fratribus Minoribus, quibus ſpecialiter vi ſacræ Regulæ *c. 11.* prohibitum eſt, ne fiant Compatres virorum aut mulierum?

46 R. Non oportet; quia per illa verba S. Regulæ: *& non fiant compatres virorum vel mulierum*, solùm prohibetur nobis, ne agamus Patrinum in Baptismate) prout teste Sannig *Tom. 3. dist. 2. q. 15. n. 11.* declaratum fuit in Capitulo generali annô 1499. Melchlinii celebrato. Nos autem Franciscani baptizare nunquam debemus, nisi urgeat necessitas, vel D. Parochus indulgeat aut velit, vel à nostris Parochia administretur.

47 Colliges 3tiò. Nulli Clerico, Diacono inferiori, multò minùs Laico, competere potestatem baptizandi solenniter. Ratio est: quia his non permittitur plus, quàm exigit necessitas: atqui necessitas solùm exigit substantiam, non item ceremonias Baptismi: ergo &c. Hinc *c. un. de Cleric. non ord. minist.* Clericus Diacono inferior solenniter baptizans, punitur pœnâ irregularitatis ipso facto incurrendâ. Hanc tamen pœnam probabiliùs non incurrit laicus solenniter baptizans: quia irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis: atqui in jure non legitur satis expressa irregularitas lata in laicum solenniter baptizantem: ergo &c. Vide Castropal. *tr. 29. disp. un. punct. 9. n. 11.* Schmalzgruber *h. t. n. 23.*

CON-

Digitized

CONFERENTIA SEXTA.

De Subjecto Baptismi.

SUMMARIUM.

48. Subjectum capax Baptismi est omnis homo vivens nondum baptizatus, etiam Parvulus.
49. Præcluditur quædam objectio Hæreticorum.
50. Etiam infans in utero Matris latens, si possit ablui, probabilissimè validè baptizatur.
51. Satisfit cuidam instantiæ contra hoc.
52. Proles infidelium in quatuor casibus licitè baptizantur.
53. Extra hos casus licitè baptizari, negant Thomistæ & RR. affirmant verò Scotistæ, quamvis fateantur, non expedire, ut baptizentur sinè consensu Parentum
54. Monstrum, de quo dubitatur, an sit homo, an baptizandum?
55. Et quid agendum, si dubitetur, an sit unus, an verò plures homines?
56. Quænam dispositiones requirantur in baptizando?
57. Resolvitur Casus 1 à quo baptizandus sit infans, quem Mater in alieno territorio peregrina effudit
58 Non peccaret talis Parens, tametsi infantem natum non Parocho loci illius, sed alieno offerret baptizandum in suo territorio.

59. Econtra Parochus puerperæ in territorio peregrino illicitè baptizaret hunc infantem non consentiente Parocho loci.

60. Resolvitur Casus II. de muliere prægnante, quæ, cùm non potuit fœtum eniti, suadente Confessario dissecta est à Chirurgo circa umbilicum, & statim obiit.

61. Talis Confessarius videtur malè consuluisse, non tamen incurrisse irregularitatem.

62. Si contingat, prægnantem mori ante partum editum, vel sectionem, os demortuæ aperiendum est, ne infans in utero latens defectu respirationis pereat, prius quam eximatur.

63. Resolvitur Casus III de quadam puella, quæ in infantia à Parentibus derelicta, prorsus ignorat, an unquam fuerit baptizata, propterea-que baptizanda est sub conditione.

64. Idem faciendum videtur circa infantes expositos, & inventos, nisi aliunde certis indiciis constet, eos validè fuisse baptizatos.

65. Sacerdos, immò & Episcopus extra suam Diœcesin illicitè administrat baptismum solemnem, sinè licentia alterius Episcopi, vel Parochi localis.

66. Similiter Parentes graviter delinquunt, offerendo prolem suam alieno Parocho baptizandam.

67. Amentes, an, vel quando sint baptizandi?

†

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Subjecto Baptismi.

QUæres primò, quinam homines sint Subjectum capax Baptismi?

R. Subjectum capax est omnis homo vivens, & nondum baptizatus, etiam parvulus. Ita Catholici omnes contra Anabaptistas & Pelagium. Estque velut dogma fidei decisum in Concilio Milevit. II. Nec non in Trident. *ſſ. 7. can. 12. & 13. de Bapt.* Constat insuper ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ, baptizantis parvulos. Ratio autem est: quia omnes homines, etiam parvuli nascuntur capaces Regni Cœlorum, quod propter peccatum originale nequeunt adipisci, nisi renascantur spiritualiter per lavacrum regenerationis: ergo & parvuli hujus sunt capaces. 48

Nec obstat, quòd parvuli sint incapaces intentionis: hanc etenim Ecclesia & Christus supplet; Qui sapienter voluit, ut, quemadmodum per voluntatem alienam, Adæ scilicet, constituti sunt peccatores; ita per voluntatem alienam, suam scilicet aut Ecclesiæ, 49

ad vitam ſpiritualem regenerentur D. Bonavent. 4. *d.* 4. *in expoſ. text.* Scot. 4. *d.* 4. *q.* 1. Boſco *p.* 1. *diſp.* 2. *ſect.* 4. *concl.* 1.

Quæres 2dò, poſſitnè baptizari infans etiamnum latens in utero Matris?

50 R. Regulariter loquendô baptizari nequit; eò quòd ita latens nequeat ablui, prout etiam ſupponit *c. ſi quidquid* 35. *de conſecr. diſt.* 4. Si tamen obſtetrix vel Chyrurgus ſupponatur tam peritus, ut manu, vel alio inſtrumento (ſcilicet metreuchyta ùt vocant) in uterum inſerta nôrit infantem ità latentem abluere, Baptismus probabiliſſimè valebit: quia ſicut in tali caſu vera fieret ablutio, ita & verus Baptismus. Boſco *l. cit.* Herincx *diſp.* 6. *n.* 23.

Dices. Qui ſecundùm Adam nondum eſt natus, nequit renaſci ſecundùm Chriſtum. *c. ſi ad Matris* 44. *de conſecr. diſt.* 4. Atqui talis infans nondum eſt natus ſecundùm Adam: ergo &c.

51 R. diſting. & explicando textum cit. cap. Qui nondum eſt natus, nequit renaſci, regulariter loquendo; & hoc ideò ſolùm, quia nequit ablui, conced. Dato, quòd verè abluatur, ùt ſupponimus, negatur. Certè enim infans è latere Matris exciſus poteſt, immò debet baptizari ſecundùm omnes, licèt non ſit natus. Cæterùm gratis fatemur, talem baptismum à multis revocari in dubium, ideóque eſſe ſub conditione repetendum, ſi infans poſteà

ſteà egrediatur clauſtra ventris. Vid. Babenſtuber *tr. 8. p. 2, diſp. 1, art. 2. n 23. fin.*

Quæres 3tiò. Utrùm liceat baptizare proles infidelium, id eſt, non baptizatorum, invitis eorum Parentibus?

R. Certò licet in quatuor ſequentibus caſibus. 1. Si prævideatur infans ſtatim moriturus, tunc enim ex charitate quivis tenetur mediante lavacro regenerationis ſpiritualis ſuccurrere periclitanti de ſalute animæ. 2. Si Parentes ſupponantur deſpoticè, ſeu ſerviliter ſubjecti Principi Chriſtiano; vel 3. ſi à Parentibus etiam non ſubjectis Chriſtiano Principi ſupponatur infans jam abſtractus (ſive per fas, ſive per nefas) nec ampliùs reverſurus ad eos cum periculo ſubverſionis. 4. Denique, ſi alteruter ex Parentibus Baptismum ſuſcipiat, & conſentiat etiam in Baptismum ſuæ prolis. §2

Extra hos quatuor caſus Thomiſtæ & RR. communiter negant, licitum eſſe baptizare proles infidelium, repugnantibus, ſeu etiam non conſentientibus eorum Genitoribus: Econtra Scotus *4. d. 4. q. 9.* Maſtrius, Boſco, Herincx & alii Scotiſtæ communiter non minùs probabiliter affirmant, per ſe loquendo licitè baptizari hujusmodi proles, ſaltem auctoritate publica, & de conſenſu Principis; eò quòd Parentes injuſtè reſiſtant, & abutantur patria poteſtate. Quia tamen ex tali Bap- §3

tismo plerúmque timenda ſunt graviora mala, utputa, quòd parentes infideles ſint rurſus ſubverſuri proles, vel omnino occiſuri, aut certè magis averſaturi Chriſtianam Religionem; hinc etiam Scotiſtæ communiter fatentur, non oportere, ut contra voluntatem Parentum infidelium proles baptizentur. Vide Maſtr. 4. *diſp.* 2. *à n.* 87. vel Boſco *cit. diſp.* 2. *ſect.* 4. *n.* 65. *& ſeqq.*

Quæres 4tò, utrùm etiam Monſtra ſint baptizanda?

Ante reſponſionem breviter adverto cum P. Laym. *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 13. reperiri monſtra in duplici genere, de quibus baptizandis difficultas oritur. Primò etenim reperire eſt monſtra ex peccato beſtialitatis nata (prout fuſiſſimè oſtendit Clericatus *de Baptiſ. deciſ.* 46. *& ſeqq.*) de quibus dubitatur, an ſint homines, an verò beſtiæ? 2dò. Reperiuntur ſubinde monſtra, de quibus dubitatur, ſintnè unus, vel verò plures homines. Hoc notato

54 R. 1. In monſtro, de quo dubitatur ſitnè homo an beſtia, inſpici debent membra principalia, videlicet caput & pectus, quæ, ſi humanam præſeferant formam, baptizandum eſt monſtrum ſaltem ſub conditione: ſecus, ſi præſeferant formam beſtialem. Quodſi caput appareat ferinum, reliqua verò conſtitutio corporis humana, Baptismus foret aliquamdiu differendus, donec ex aliis indiciis cer-

certiùs cognoscatur, sitnè homo, nec ne. Si tamen videatur subesse periculum mortis, baptizandum esset sub conditione.

55 R. 2dò. Quando occurrit dubium, sitnè monstrum unus homo vel duo, vel maximè attendendum erit ad diversitatem operationum humanarum, intellectûs scilicet & voluntatis, ut monet Doctor subtilis *4. d. 6. q. 2. §. de 4to membro.* Unde si appareant duo capita cum uno corpore, vel viciſſim duo corpora cum uno capite, & unus velit, alter autem nolit, prout aliquando contigisse narrat Scot. *l. cit.* deberet quodlibet caput aut corpus seorsim baptizari. Quodsi omnibus pensatis rursus maneat dubium, sitnè duo, vel unus homo, Baptismum aliquamdiu differre oportebit, usque dum magis constiterit de rei veritate. In casu tamen necessitatis posset hujusmodi monstrum baptizari cum unica ablutione & hac formâ: Ego vos baptizo in nomine Patris &c. Vide *DD. citt.* vel Frassen. *ubi suprà disp. 1. art. 2. n. 18.* vel Rituale Passav. *de Bapt. can. 11.*

Quæres 4tò, an, vel quænam dispositio sit necessaria ex parte baptizandi?

56 R. In parvulis, & perpetuò amentibus, velut incapacibus, nulla requiritur dispositio.

In adultis tamen (præter intentionem saltem habitualem, quam superiùs jam *confer. 3. n. 56.* diximus esse necessariam) requiritur 1.

quædam fides actualis de præcipuis saltem fidei mysteriis; item 2. si supponatur adultus inquinatus peccatis personalibus (peccatum quippe originale non est objectum pœnitentiæ) dolor supernaturalis, non quidem contritio perfecta, sed attritio saltem. Ita communiter Catholici. Ratio prioris desumitur ex illo *act. 8.* Ubi Philippus Evnucho baptismum postulanti respondisse fertur: *Si credis ex toto corde: licet &c.* Idipsum satis clarè docet Trident. *ss. 6. de justif. c. 6. & 8.* Ratio posterioris pariter colligitur ex illo *Act. 2.* ubi D. Petrus ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Unde idem Concil. Trid. *ss. 14. de pœnit. c. 1.* ait: *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali peccato inquinâssent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramentô ablui petivissent &c.* Cæterùm, quòd attritio sufficiat, inde patet: quia Baptismus est Sacramentum mortuorum, idcóque non præsupponit necessariò statum gratiæ in suscipiente, consequenter nec contritionem perfectam, sed sufficit attritio, modò sit supernaturalis; secùs enim foret improportionata formæ, gratiæ scilicet sanctificanti, ad quam disponit.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Subjecto Baptismi.

CASUS PRIMUS.

Titia partui propinqua suscepit peregrinationem ad Beatissimam Virginem Passaviensem, miraculis clarissimam, quatenus hujus patrocinio, & potenti intercessione impetraret facilem sui partûs expeditionem: quod & factum; nam in eodem loco feliciter (præter suam exspectationem) peperit. Dubitat jam, cuinam offerre debeat infantem suum baptizandum? Quid respondendum?

R. Cum distinctione. Vel enim Titia 57
multùm distat à suâ domo & Parochia, vel non? Si non distet ab ea, nisi duabus aut tribus horis, & absit periculum, infans deferri debet ad proprium Parochum. Ratio est: quia actus baptizandi solenniter est actus jurisdictionis parochialis, ideóque illi competit, qui gaudet jurisdictione in baptizandum, vel potiùs in Parentes baptizandi: at, proprius Parochus Titiæ gaudet hac jurisdictione, non verò ille, in cujus Parochia Titia peregrina peperit, ùt habet *c. de his, de sepulturis. & c. 1. & 2, eodem tit, 6.* ergo Titia per se loquendo: offer-

offerre debet suum infantem proprio Parocho baptizandum, si ab hoc non multùm distet. Verùm, si supponatur distare tantùm, ut huic sinè magno incommodo, vel evidenti periculo deferri nequeat, tutâ conscientia potest eum offerre Parocho loci, in quo peperit: quia in tali casu Parochus proprius nequit esse invitus rationabiliter.

Dices. Quidsi autem nec hujus loci Parocho, sed omnino alieno offerret infantem suum baptizandum, peccaretnè?

58 R. Non peccaret: tum quia Parochus loci non habet jurisdictionem in infantem, qui nondum est Christianus: neque in genitricem, utpote peregrinam & viatricem. Tum etiam, quia glossa *in cap. Nec numerus 10. q. 3.* expressè dicit: *Transeuntes, & qui non habent domicilium, posse, ubi voluerint, eligere locum Baptismi. Barbosa de offic. & potest. Paroch. p. 2. c. 18. n. 7.* Tamb. Sanchez, quos refert, & sequitur Clericatus *decis. 43. n. 4.*

Dices iterum. At quid, si Titiam peregrinantem comitatus fuisset proprius Parochus, nunquid licitè baptizâsset infantem?

59 R. Cum P. Gobat *Theol. exper. tr. 2. n. 135.* Negativè. Ratio est: quia non supponitur existere in propria, sed in aliena Parochia. Et quamvis actus jurisdictionis voluntariæ in alieno territorio plerumque licitè exercetur, etiam

etiam irrequisitô Ordinario loci, ùt bene docet Layman *l. 1. tr. 4. c. 5. n. 4.* Quia tamen Baptismus est actus solemnis, & requirens materiam, in quam accipiendam jus non competit alieno Parocho; hinc Parochus Titiæ absque licentia Ordinarii, vel Parochi localis, illicitè baptizaret.

CASUS SECUNDUS.

Sempronia periclitabatur in partu: jámque res eò devenerat, ut Medici desperarent de salute Matris simul & prolis. Sed cùm Chyrurgus quidam satis peritus & famosus promisisset, se secaturum Semproniam in umbilico, prolemque sinè periculo exempturum, hortante simul Confessario, Sempronia sectionem admisit: sed prole exempta quantocyùs obiit. Occasione hujus casus quæritur. 1. Utrùm Sempronia fuerit obligata ad ferendam sectionem? 2. Utrùm Confessarius bene fecerit, sectionem suadendo, an verò incurrerit irregularitatem?

R. ad primum cum distinctione. Vel enim affulsit vera, aut saltem verè probabilis spes conservandi vitam Matris simul & prolis, vel non? si non; Sempronia non fuit obligata, nec obliganda ad ferendam sectionem. Immò talis sectio in his circumstantiis, velut per se tendens ad mortem Matris innocentis fuis-

60

fuisset illicita, ideóque nullatenus attentanda; cùm non sint facienda mala, ut eveniant bona. Et in hac hypothesi omnino vera est sententia Laymanni, Graffii, Vict. Franc, Lugo, Herincx, & aliorum plurium, absolutè negantium, esse licitam sectionem prægnantis.

Si autem apparuisset certa, aut certò probabilis spes, servandi Matrem simul & prolem, Sempronia probabiliùs fuisset obligata ad ferendam hanc lanienam; tum quia in tali suppositio sectio fuisset honesta ac licita; tum etiam quia Mater pro salute spirituali prolis tenetur sufferre corporis incommoda, esto videantur duriora, modò de se licita.

Cæterùm, quòd saltem subinde Mater prægnans secari queat sinè periculo vitæ, diffusè ostendunt Raynaudus *tom. 14. de Ortu infantium per sectionem Cæsaream c. 5. n. 2. & seqq.* Boudevv. *p. 2. q. 20* Gobat *in Append. ad tr. 2. n.* (mihi) *21. & seqq.* aliíque plures, pluribus experientiis remonstrantes, hujusmodi sectiones fuisse sæpiùs attentatas, eventu felicissimo. Testatúrque idem Gobat, nobilem Matronam fide dignissimam sibi narrâsse, se in difficilibus suis puerperiis usam fuisse opera certæ obstetricis, quæ bis secuerat in duplici parturitione unam, eandémque Matrem, ac felicissimè ex ejus utero eduxerat duas proles; cùm

cùm ob corporis conſtitutionem eniti nequiret modò naturali ullum fœtum. Et nihilominus dicta Mater bis ſecta vivebat, & iterum erat prægnans. Ut tamen talis ſectio licitè fiat, ſapienter monet Zacchias in ſuis *QQ. Medico legal. tom 2. l. 9. tit. 2. q. un. n. 28.* obſervandas eſſe ſequentes conditiones, videlicet. 1. Quòd Mater habeat vires ſubſiſtentes pro toleranda ſectione. 2. Quòd non ſit minor annô vigeſimo, neque major quadrageſimo. 3. Quòd non ſit valetudinaria, & uterinis morbis obnoxia. 4. Quòd Chyrurgus ſit valde peritus. Vide de hoc Clericatum *de Baptiſ. deciſ. 41. à n. 3.*

R. ad 2dum. Videtur Confeſſarius non adeò bene feciſſe ſuadendô ſectionem, eò quòd procul dubio reſpectu Semproniæ ſectio illa fuerit periculoſiſſima, prout eventus, & mors quantocyùs ſubſecuta monſtravit. Si tamen Medici, aliivè prudentes judicâſſent, nullum ſubeſſe periculum, reprehendi non debuiſſet Confeſſarius, quòd ob ſalutem ſpiritualem infantis ſuaſerit inciſionem: quamvis in ſimilibus caſibus periculoſis, ubi de vita agitur, Confeſſarium deceat tacere potiùs, quàm multa loqui, aut ſuadere remedium tam periculoſum. 61

Irre-

Irregularitatem tamen probabiliùs non incurrit, non enim ex defectu lenitatis; cùm non concurrerit ad homicidium tanquam Minister justitiæ: neque ex delicto; quia hæc, cùm sit pœna gravis, supponit culpam gravem: Confessarius autem delictum grave non commisit: ergo &c. Vide Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 10. n. 4.* Reiffenstuel *Theol. moral. tr. 13. dis. 3. n. 55.*

62 Opportunè hìc insinuandum censeo, quod Gobat, la Croix *l. 6. p. 1. n. 293.* Clericatus, aliíque plures monent, videlicet, ut, si contingat prægnantem mori, antequam fœtum enixa est, ejusdem os aperiatur, ne infans in utero latens defectu respirationis necessariæ pereat priùs, quàm eximatur: quod si alii præsentes, vel ex ignorantia, vel etiam ex oblivione negligant, Confessarius fieri curet, & moneat.

CASUS TERTIUS.

Caja adhuc parvula à suis Parentibus derelicta, venit ad quemdam pagum, ubi velut ignota ex misericordia suscepta est, & educata ab aliquo, qui eidem nomen Cajæ imposuerat. Cæterùm an unquam fuerit baptizata, vel à quibus prognata Parentibus; prorsus ignorat, propterea àque dum nuper postulavit inscribi Albo Archi-Confraternitatis Cordigerorum

rum

rum S. P. N. Franciſci, ſuum cognomen edicere non potuit. Quæritur, an Caja ſit baptizanda?

R. Eſt baptizanda ſub conditione. Ratio 63
eſt: quia Rituale Rom. *tit. de parvulis baptizand.* præcipit, ut infantes expoſiti & inventi, ſi re diligenter inveſtigata de eorum Baptismo non conſtet, baptizentur ſub conditione: atqui non conſtat de Baptismo Cajæ: ergo eſt baptizanda: præſertim cùm hoc Sacramentum ſit ſummè neceſſarium ad ſalutem, & ad alia Sacramenta recipienda. Vide Herincx *p. 4. tr. 2. diſp. 6. n. 46.* la Croix *l. 6. p. 1. n. 318.*

Dices. Sed quid de infantibus expoſitis, ſeu etiam inventis cum ſchedula collo alligata, vel etiam appenſa, teſtante de Baptismo & nomine infanti impoſito?

R. Secundùm probabiliorem DD. opinio- 64
nem etiam tales baptizandi ſunt ſub conditione, niſi aliunde certioribus judiciis conſtet, eos fuiſſe validè baptizatos. Ita præter DD. proximè citt. tenent Scot. 4. *d. 4. q. 8.* Gobat *n. 397.* noſter Kazenberger *in Supplem. Sacram. P. Sporer c. 1. ſect. 2. n. 72.* Ratio eſt: quia ùt ſuperiùs *Confer. 5. n. 40.* viſum eſt, Baptismus ab Obſtetrice collatus vocatur in dubium, & plerumque ſaltem, ſi non ſemper, eſt ſub conditione reiterandus: ergo multò magis Baptismus talis infantis expoſiti revocari poteſt in dubium, eò præſertim, quòd hujusmodi infantes plerúm-

que baptizentur ab ipsa Matre, quæ subin est vel juvencula, baptizandi modum minimè gnara, aut certè vel metu infamiæ, vel doloribus partûs angustiata, & perplexa in tantum, ut nesciat, quid in talibus circumstantiis agat, vel egerit. Et quid, si infans fuisset expositus à Judæo, vel alio Baptismum prorsus execrante, schedulâque appositâ solùm ad declinandam suspicionem à Parente?

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

65 COlliges primò, tam Diaconum, quàm Sacerdotem, immò & Episcopum in aliena Diœcesi illicitè baptizare, sinè licentia Episcopi, vel Parochi proprii. Estque hoc peccatum ex genere suo mortale. Ratio est, quia tali modo injustè usurpatur, & invaditur jus alienum, & quidem in puncto valdè notabili, contra constit. *Caus. 13. q. 1. can. 1.* ubi Papa Dionysius ait: *Unicuique jus proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat.* Excusari tamen potest Secerdos 1. ob licentiam rationabiliter præsumptam Parochi. Item 2. ob parvitatem materiæ, si nempe id faciat semel vel iterum, Parocho non contradicente, nec multùm de hujusmodi baptizatione curante, prout

prout bene docent Gobat, Herincx, Babenstuber *tr. 8. p. 2. d. 1. a. 5. n. 10.*

Colliges 2dò. Etiam Parentes graviter pec- 66
care, si prolem suam alieno Parocho absque licentia proprii baptizandam offerant. Ratio est: tum quia violant legem charitatis cooperando alterius peccato; tum etiam quia contra justitiam adversantur juri proprii Parochi, immò & Ecclesiæ ordinationem transgrediuntur. Laym. *l. 5. tr. 2. c. 7. n. 2.*

Colliges 3tiò. Etiam à nativitate amentes 67
sinè lucidis intervallis, esse baptizandos; tum quia tales æquiparantur infantibus; tum etiam quia his æquè ac illis Baptismus est necessarius ad salutem. Quodsi à nativitate longo tempore amentes, sed aliquando sui compotes exstiterint, attendi debet, an in eo statu ostenderint voluntatem suscipiendi Baptismum, vel non? si prius; baptizandi sunt. Si posterius; non sunt baptizandi ob defectum intentionis. Tandem, si dubitetur, an aliquando intenderint baptizari, baptizandi erunt sub hac conditione: *Si Baptismum aliquando desideraſti, ego te baptizo &c. &c.* modò non constet, talem actu existere in statu disgratiæ, & Baptismus differri nequeat in aliud commodius tempus. Bonacina *de Baptis. disp. 2 q. 2. punct. 6. n. 21.* Mastrius *Theol. Moral. disp. 17. n. 43.*

CONFERENTIA SEPTIMA.

De Baptismi necessitate, effectu, ac cæremoniis.

SUMMARIUM.

68. Extra casum Martyrii Baptismus fluminis est omnibus hominibus simpliciter necessarius.
69. Solvitur quædam instantia.
70. Nec sufficit in adulto quodcunque votum baptismi.
71. Hujus effectus primarius est remissio omnis culpæ, & pœnæ propriè dictæ: secundarius est character &c
72. In Baptismo solemni necessariò adhibendæ sunt cæremoniæ, ab Ecclesia in Rituali respectivè proprio præscriptæ: quæ tamen
73. In casu necessitatis licitè omittuntur.
74. Baptismus regulariter est conferendus in Ecclesia, exceptis prolibus Regum ac Principum.
75. Estque in Baptismo solenni adhibendus Patrinus.
76. Quinam sint excludendi ab officio Patrini.
77. Quid agendum, ubi infans est rebaptizandus.
78. Et quid, si Baptismus adulti sit reiterandus?
79. Resolvitur Casus I de Parocho, qui omittendo cæremonias Baptismi graviter peccavit.
80. Et quid, si unam solùm, vel altetam omisisset?
81. Infantem sibi oblatum in Ecclesia filiali, ubi non habetur baptisterium, an licitè baptizâret

ani-

animo ſupplendi cum tempore cæremonias in Eccleſia matrice?

82. Reſolvitur Caſus II. de quodam Barone, qui petiit prolem ſuam domi baptizari, & quidem ſine aſſiſtentia Patrini, quem abſentem exſpectavit.

83. Si non fuit periculum in mora differendus erat Baptismus, vel alius ſubſtituendus, qui nomine abſentis prolem levaret.

84. Neque proles Nobilium baptizandæ ſunt extra Eccleſiam, niſi alicubi vigeat conſuetudo.

85. Reſolvitur Caſus III. de Baptismo, in quo plures volebant agere munus Patrini, & quid Parocho in tali caſu agendum?

86. Adultus in principiis fidei ſatis inſtructus peccat, ſinè cauſa differendo ſuſceptionem Baptismi.

87. Sicut & Parentes graviter peccant, ſi proli ſuæ de Baptismo non provideant.

88. Parocho graviter incumbit, diligentem gerere curam libri Baptismalis.

89. Et quid agendum, vel in eodem libro ſcribendum, Caſu quo Mater illegitimæ prolis nominat Patrem, ipſe autem denominatus negat, ſe eſſe talem?

§. I.

Præmittuntur, & breviter reſolvuntur Quæſita, ſcitu neceſſaria ad debitè reſolvendos Caſus de Ritu & Ceremoniis in Baptismo adhibendis.

QUæres primò, an, vel quibus Baptismus ſit neceſſarius ad ſalutem?

68 R. Extra caſum Martyrii (de quo ſuprà *n. 5.*) Baptismus eſt ſimpliciter neceſſarius neceſſitate medii, omnibus hominibus ab Adamo deſcendentibus, parvulis quidem in re, adultis autem in re, vel ſaltem in voto. Ita velut de fide deciſum legitur in Concil. Milevit. Carthag. & Trident. *ſſ. 7. de Baptis. can. 5.* ibi: *ſi quis dixerit Baptismum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem; anathema ſit.* Ratio autem eſt: quia illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii, ſinè quo (non obſtante quacunque ignorantia, vel etiam impotentia) finis, ſcilicet ſalus æterna, obtineri non poteſt; atqui ſtante moderna DEI ordinatione; ſinè Baptismo in re vel ſaltem in voto, obtineri nequit ſalus æterna; cùm Chriſtus *Joannis 3.* abſolutè proteſtetur: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: ergo. Ità Scot. *4. d. 4. q. 6.* cum *communiſſima* DD.

Dices.

Dices, Idem Chriſtus Dominus *Joann. 6.* pari modô dixit : *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis* : & tamen ex his verbis nequaquam licet inferre, ſumptionem Evchariſtiæ eſſe neceſſariam neceſſitate medii ; ergo ſimiliter ex allegatis Chriſti verbis non probatur, Baptismum eſſe ſimpliciter neceſſarium.

R. Neg. conſ. Diſparitas petenda eſt ex 69
dverſitate utriusque Sacramenti ; cùm enim Evchariſtia ſit Sacramentum vivorum, ſupponens in homine gratiam ſanctificantem primam, eô ipſo ſupponit jus ad hæreditatem æternam : ſed hôc ipſo ſumptio hujus nequit eſſe ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria, ſicut Baptismus, qui eſt Sacramentum mortuorum, non ſupponens gratiam primam in ſubjecto, conſequenter nec jus ad gloriam. Deinde non omnes ſunt capaces refectionis ſeu nutritionis ſpiritualis, ad quam Evchariſtia per ſe ordinatur ; conſequenter præceptum Chriſti de ſumptione hujus nequit intelligi univerſaliter, & ſinè ulla limitatione : econtra omnes homines ſunt capaces regenerationis ſpiritualis, immò vult Deus omnes homines ſalvos fieri, & ſpiritualiter regenerari : ergo omnes ad Baptismum obligat. Adde, Eccleſiam ſemper hoc præceptum intellexiſſe velut illimitatum, ſeu pro omnibus datum, non item illud de ſumptione Evchariſtiæ.

70 Dictum tamen fuit, Baptismum fluminis *ſaltem in voto* eſſe ſimpliciter neceſſarium adultis ; in hujus enim defectu ſufficit Baptismus flaminis, prout pulchrè explicat Doctor Seraph. *4. d. 4. a. 1. q. 1.* Quocirca tamen bene animadvertit Herincx *cit. part. 4. t. 2. diſp. 7. n. 3.* non ſufficere quodcunque votum : qui enim Baptismum ſimpliciter deſideraret, non idcirco juſtificaretur : ſed requiritur votum conjunctum, ſeu contentum in actu amoris Dei ſuper omnia, vel in contritione charitate perfecta, cui competit vis infallibiliter juſtificandi, ùt Theologi communiter docent in *tract. de grat.*

Quæres 2dò, quinam ſint effectus Baptiſmi?

71 R. Effectus primarius, quem per ſe confert, niſi ponatur obex, eſt remiſſio omnis culpæ, tam originalis, quàm actualis, antè Baptiſmum commiſſæ, itèmque omnis pœnæ propriè dictæ. Ita rurſus velut de fide decſum habetur in Concil. Florent. itémque Trid. *ſſ 5. in decr. de peccat. origin. Can. 5.* ubi de baptizatis ait : *innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ità, ut nihil prorſus eos ab ingreſſu Cœli remoretur* : at, ſi quæ culpa, vel quæ obligatio poſt Baptismum remaneret, procul dubio eos remoraretur ab ingreſſu Cœli : ergo. Præter hunc autem effectum principa-

marium, ſecundariò quaſi confert etiam characterem ceu ſignum Ovium Chriſti, ſimúlque conjungit hominem cum Chriſto ceu capite, ſubjicit jurisdictioni Eccleſiæ, ac tandem aperit januam Cœli. Vid. S. Bonavent. *cit. d. 4. a. 1. q. 1. & 2.* Filliuc. *tr. 2. n. 101.*

Quæres 3tiò, an, vel quænam cæremoniæ ſint adhibendæ in admin ſtratione Baptismi?

R. In Baptismo ſolemni ſunt omnino ad- 72
hibendæ cæremoniæ in Rituali præſcriptæ. Ità *omnes.* Et conſtat ex Trid. *ſſ. 7. de Sacram. in gen. Can. 13.* ubi ſic habet: *ſi quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Eccleſiarum paſtorem mutari poſſe; anathema ſit.* Et certè ratio naturalis dictat, juſto Eccleſiæ mandato eſſe obtemperandum: atqui juſtè præcipit adhiberi cæremonias, tum ut Sacramenta cum majori ſolemnitate pro ſua dignitate adminiſtrentur; tum etiam, ut cum majori reverentia, diſpoſitione & attentione ſuſcipiantur: ergo. Quænam autem ſint illæ cæremoniæ, dabunt & docebunt Ritualia cuivis Diœceſi propria.

Rurſus tamen dictum fuit: *in Baptismo ſo-* 73
lemni &c. quia cùm neceſſitas non habeat legem (ùt commune fert adagium) hinc inſtante periculo, ne v. g. infans decedat ſinè Bap-

tismo, administrari potest ac debet omissis cæremoniis ; prout cavetur in Rituali Passav. *de Baptis. can. 7.*

Quæres 4tò, quô loco administrandus sit Baptismus ?

74 R, Est administrandus in Ecclesia. Ità *cum communi* Gobat. *tr. 2. n. 491.* La Croix *n. 334* Kazenberger *in supplem. 2 P. Sporer. Theolog. Sacram. tr. 1. c. 1. sect. 3. à n. 97.* Qui unanimiter Ministrum baptizantem extra Ecclesiam sinè necessitate, condemnant peccati mortalis ; eò quòd Ecclesia hoc severè prohibeat, *Clement. un. de Baptis.* & res ipsa sit magni momenti, quippe ex cujus neglectu varii abusus de facili possent irrepere, prout experientia docuit. Excipiuntur tamen in eadem constitutione proles Regum atque Principum, quæ in Aula licitè baptizantur. Vid. Clericat. *de Baptis. decis. 30. n. 9.*

Quæres 5tò, sitnè etiam adhibendus Patrinus in Baptismo ?

75 R. Est adhibendus in Baptismo solemni. Ità statuitur variis juribus, præsertim in Trid. *ss. 24. c. 2.* Rationem congruentiæ subministrat Doctor Angel. S. Thom. *q. 67. art. 7.* dicens : quemadmodum in generatione naturali parvulis datur nutrix ; ità oportet, ut in spirituali detur aliquis, qui fungatur vice nutricis, scilicet in rebus animæ salutem concernentibus imbuendo parvulum. Munus itaque Patrini est, ut in defectu Parentum clien-

tem

tem ſuum inſtruat in rudimentis fidei, & moribus Chriſtianis; quod ſi culpabiliter negligat, peccabit graviter: quamquam hoc ratò contingat; eò quòd communiter à Parentibus, Ludimagiſtris, vel aliis Pædagogis ſatis inſtruantur, prout rectè advertunt Suarez, Herincx. *diſp. 7. n. 26.*

Quæres 6tò, quinam ab officio Patrini ſint arcendi, ſeu non admittendi?

R. Non ſunt admittendi ſequentes, 1. Mo- 76
nachi, ùt habetur *c. Monachi. de conſecr. diſt. 4.* Nobis quoque Fratribus Minoribus vi Regulæ *S. c. 11.* ſpecialiter interdicitur munus Patrini, 2. Arcendi ſunt non Baptizati; item 3. Hæretici, utpote de quibus ſupponi nequit, quòd unquam ſint in ſe ſuſcepturi curam ſpiritualem infantis. 4. Ob eandem rationem admitti non debent publicè excommunicati, aut interdicti, nec publicè criminoſi aut infames, neque inſani, vel ignorantes rudimenta fidei, prout cavetur in Rituali Rom. *tit. de Patrinis.* Hinc ſpecialiter conſtat (ait Herincx *cit. p. 4. tr. 2. diſp. 7. n. 28.*) excludi pueros ante uſum rationis, veluti qui nec ſpondere, nec inſtruere poſſunt; id, quod etiam cavetur in Concilio Pariſienſi. *lib. 1. c. 54.* teſte Illſung *tr. 6. diſp. 2. a. 6. n. 24.* 5tò. Tandem permitti non debet, ut Parens ſuſcipiat prolem propriam *c. pervenit ad Nos c. 30. q. 1.* quia Patrinus ordinatur in defectum & ſubſidium Parentum: ergo

ab

ab his debet eſſe diſtinctus. Vid. *Rituale Paſſav. de baptis. can. 5.* vel Clerciat. *deciſ. 4. n. 2. & ſeqq.*

Quæres 7timò, quænam ſint obſervanda, dum Baptismus iteratur.

77 R. 1. Si rebaptizandus eſt infans jam ſemel dubiè v. g. in caſu neceſſitatis baptizatus, tunc ceſſante periculo deferendus eſt ad Eccleſiam, adhibendæ cæremoniæ, & Baptismus repetendus ſub conditione; ùt jam ſuprà dictum. Si autem de Baptismo nullum exſtet prudens dubium, ſolæ cæremoniæ in Eccleſia erunt ſupplendæ, juxta præſcriptum Catechiſ. Rom. Pauli V. *de Baptis. p. 2. c. 2. n. 43.* & Ritual. Paſſ. *can. 12.*

78 R. 2. Si verò rebaptizandus ſit adultus, ſibi conſcius peccati mortalis perſonalis, debet 1. elicere con-vel attritionem ſupernaturalem. 2. Debet peccata poſt dubium Baptismum commiſſa ſubjicere clavibus, & ab illis abſolvi ſub conditione, ut, ſi fortè Baptismus fuit validus, ſatisfaciat præcepto confeſſionis ſacramentalis. 3. Poteſt talis adultus rebaptizari privatim, à quolibet perito, ſine Patrino, & aliis cæremoniis Eccleſiæ. Ita Tambur. Mezger, quos citat & ſequitur Babenſtuber *tr. 8. p. 2. d. 1. a. 6. n. 34.*

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Ritu, seu Cæremoniis Baptismi.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos hactenus plures baptizavit infantes, sed quia Cæremoniarum series in Rituali præscripta eidem videbatur longa nimis, præsertim verò illa adjuratio: Ergo maledicte Diabole &c. *sæpiùs repetendâ; hinc non nisi semel insufflavit; semel infantem cruce signavit, & unicam tantùm orationem recitavit, subjuncta illa adjuratione:* Ergo maledicte Diabole &c. *reliquas verò insufflationes, crucis signationes, orationes & adjurationes omisit. Jam verò dubitat, an, vel qualiter peccaverit?*

R. Probabiliùs peccavit mortaliter, toties quoties præfatas cæremonias omisit sinè necessitate. Ratio est: quia Titius meritò præsumitur contemnere Ecclesiæ cæremonias pro Baptismi administratione præscriptas, dum illas, vel saltem plures ex illis sinè necessitate omittit: at hoc graviter repugnat virtuti Religionis, propterea que Tridentinum *cit. n. 72.* anathema te ferit eos, qui dicunt, Ecclesiæ Catho- 79

tholicæ ritus contemni posse: ergo. Ex quo Nugnus, Gobat *n. 469.* & la Croix *l. 6. n. 339.* inferunt, etiam illum mortaliter delinquere, qui sinè necessitate unam solùm notabilem cæremoniam Baptismi negligit.

80 Dixi: *Notabilem Cæremoniam;* qualis est v.g. Unctio Chrismatis &c. Nam qui unam solùm vel alteram non notabilem omittit, venialiter solùm peccat, ùt rectè observat Gobat *l. cit.* mox subjungens, quemlibet sub gravi veniali peccato teneri, observare cæremonias seu ritus receptos in Diœcesi, in qua administrat hoc Sacramentum: secus enim in Ecclesiam inveheretur confusio.

Dices. Quid si autem Parocho vel Capellano in Ecclesia filiali, ubi non habetur Chrisma, nec Baptisterium, offeratur infans baptizandus, an licitè illum baptizabit animô supplendi suo tempore cæremonias in Ecclesia matrice, dum infans ad eandem fuerit deportatus?

81 R. Si infans facilè posset deportari ad Ecclesiam matricem, peccabit graviter baptizandô in filiali omissis cæremoniis: si verò supponatur, tam facilè deportari non posse, vel quia Ecclesia filialis à Matrice multùm distat, vel quia Cœlum pluvium seu nimbosum, aut tem-

tempore hyemali rigidum, nec subsit periculum scandali, vel inducendi morem contrarium *Clementinæ citat.* arbitor (ait Gobat *n. 504.*) fore nimis rigidum Theologum, qui hoc opus charitatis damnaret noxæ lethalis: si quis ne venialis quidem, haberet me adstipulatorem. Quia verò inter præcipuas cæremonias Baptismi est Chrismatio & Unctio, existimo, utramque meritò esse posteà supplendam. Ità Doct. *cit.* cui lubens adstipulor.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius L. Baro novæ prole beatus à Superis, in patrinum postulavit alium quendam Virum illustrem, & magni nominis, sed absentem; & quia hic antè unam alteramvè hebdomadam venturus non speratur, hinc Sempronius petiit à suo D. Parocho, vellet interim domi baptizare prolem non solemniter, & sinè assistentia Patrini, tum verò primùm, cùm hic advenerit, in Ecclesia supplere cæremonias. An licitè hoc faciet D. Parochus?

R. Si subsit periculum, ne infans moriatur, aut ne ex delatione ad Ecclesiam infirmitatem contrahat, utique licitè baptizabitur domi, etiam prætermissis solennitatibus, ùt communiter fatentur DD. & constare debet ex dictis *n. 74.* At verò si nullum subsit periculum

culum, non oportet baptizare intermiſſis ſolemnitatibus, ſed exſpectare, donec cum decente ſolemnitate Baptismus adminiſtrari valeat, tametſi unum aut ſesqui menſem exſpectandum foret, ait Laymann. *l. 5. tr. 2. c. 6. n. 9.* ubi tamen invigilandum, ne ex ingruente infirmitate infans ſinè baptismo decedat.

Dices. At quid, ſi ſubeſſet aliquale, non tamen grande periculum, dabitnè hoc cauſam ſufficientem privatim baptizandi, & ſolemnitates differendi usque ad adventum Patrini illuſtris?

83 R. Non deſunt, qui id affirmant. Verùm Pax Jord. Hurtadus, Toletus, Suarez *tom 5. in 3. p. d 33. ſect. 1. n. 2.* Palao *tr. 19. pu. 8. n. 4.* meliùs negant, extra verè gravem neceſſitatem, aut periculum mortis id eſſe licitum; quandoquidem Eccleſia ſeverè præcipit, & inculcat adhibendas cæremonias. Nec apparet, cur propter exſpectationem Patrini differantur ſolæ cæremoniæ: quia revera talis non ampliùs poterit agere compatrem, ſecundùm communem DD. opinionem, quam tenent etiam Armilla, Angelus, Navarrus *c. 22. n. 40.* cùm infans jam fuerit baptizatus, & ſpiritualiter regeneratus. Quare videtur magis expedire, ut vir ille illuſtris moneatur

tur, quatenus velit aliquem denominare, qui suo nomine levet infantem solenniter baptizandum.

Dices. Permulti Doctores tenent, constitutionem Clement. quâ permittitur, ut proles Regum ac Principum baptizentur in Aula, extendi posse etiam ad proles Comitum, Baronum, immò omnium obtinentium jurisdictionem temporalem; eò quòd sit favorabilis, propterea que latè interpretanda, *argum. l. Beneficium. ff. de Constit. Princip.* ergo etiam extra casum necessitatis infans Sempronii nostri licitè baptizaretur domi absque solemnitatibus.

R. Esto multi hoc doceant, plures tamen 84
contradicunt: quia præfata constitutio non est extendenda ultra proprietatem verborum: atqui nomine Regum ac Principum propriè loquendo non veniunt quivis jurisdictionem temporalem obtinentes: ergo &c. Hinc communiter monent DD. in praxi standum esse consuetudini receptæ in qualibet Diœcesi: atqui in nostra hac inclyta Diœcesi Passavienſi non videtur consuetudine receptum, ut proles Nobilium baptizentur domi suæ, præsertim sinè solemnitatibus. Quin immò, constat mihi certò, Celsissimum nostrum *JOSEPHUM DOMINICUM* quadrienniô ab hinc non permisisse, ut quædam Baronissa domi baptizaretur, sed jussisse, eandem more aliorum

deferti ad Ecclesiam: ergo. Testatur etiam la Croix *l. 6. p. 1. n. 337.* in Archi-Diœcesi Colonienſi id non permitti. In Constanti. enſi autem (teste Gobat *tr. 2. n. 492.*) permittitur quidem nobilibus, ut eorum filii baptizentur extra Ecclesiam; sed non, nisi in Sacello vel Oratorio. Ex quibus prudens Minister facilè concludet, sibi in hoc puncto cautè procedendum; præsertim cùm permulti doceant, esse peccatum mortale, baptizare extra Ecclesiam sinè necessitate, vel consuetudine legitimè præscripta, vel etiam sinè dispensatione. Videatur Illsung *tr. 6. disp. 2. art. 6. n. 29.*

CASUS TERTIUS.

CUidam D. Parocho haud nuper delatus fuit infans Caji baptizandus, quem præter Obstetricem comitabantur vir unus, & duæ aliæ mulieres, volentes singuli levare infantem. Vir dicebat, sibi hoc competere, eò quòd hactenus semper egerit Patrinum prolium Caji: è contra una mulier asserebat, se à Patre, altera dicitabat, se à Matre fuisse rogatam, ut prolem levaret. Quid jam agendum in hoc casu?

85 R. Non debet D. Parochus admittere omnes, neque utramque fœminam, sed vel solum virum, vel præter virum unam tantùm mulierem. Ita enim statuitur *c. Non plures. dist.*

dist. 4. de consecr. item in Trid. *ss. 24 c. 4. de reform. matri.* ubi dicitur: *Unus tantùm, sive vir, sive fœmina: vel ad summum unus & una debent baptizatum suscipere*; quocirca Laymann aliique rectè dicunt, oportere, ut in Baptismo masculi vir, in Baptismo autem fœmellæ fœmina munus Patrini obeat. Cæterùm, si Parentes assignent unum vel plures Patrinos ineptos, vel etiam si dignosci nequeat, quem, vel quos designaverint, relinquitur arbitrio D. Parochi, ut ipse designet, prout statuitur in Rituali Passav. *de Baptis. can. 6.* sequentibus verbis: *Quòd si plures duobus sese tanquam patrinos sistere velint, nec possit Parochus à Parente baptizandæ prolis, aut ab Obstetrice, aut ab alio quopiam certò cognoscere, duos illos, qui libro sint inscribendi, & spiritualem cognationem contracturi, liberum sit Parocho, ex pluribus duos ad hoc munus maximè idoneos deligere, & eos patrinos declarare.* Quænam autem conditiones requirantur, ut Patrinus contrahat cognationem spiritualem, diximus *de matrim. n. 137.* poréstque de hoc videri Laym. *cit. c. 9.* Clericatus *de matrim. decis. 23. à n. 10.* Schmaltzgruber *h. tit. n. 34. & seqq.*

§. III.
Corollaria ex dictis inferenda.

86 COlliges primò, adultum, qui semel est satis instructus in fide, vel qui potest brevi sufficienter instrui, diu absque peccato non posse differre, seu negligere Baptismum. Ità omnes. Ratio est: quia quivis, dum commodè potest, tenetur intrare Ecclesiam, & fieri membrum mystici Corporis Christi: neque enim sufficit in Ecclesia tantùm mori, sed necessum est in ea vivere; nam idcircò Christus instituit Ecclesiæ Rectores & Pastores: atqui Ecclesiam intrare, aut membrum mystici Corporis Christi evadere nemo potest, nisi per viam Baptismi: ergo &c. Fatendum tamen est, eum, qui parùm differt Baptismum, non statim graviter delinquere. Quandonam autem dilatio censenda sit notabilis, debet prudenter dijudicari, spectatis causis occurrentibus; quæ, si rationabiles sint, nullum erit peccatum, aliquantò diutiùs differre Baptismum juxta earum exigentiam: quâ ratione S. Ambrosius, Nazianzenus, aliique nonnulli graves & SS Viri, licèt satis instructi, leguntur Baptismum per sat longum tempus distulisse. Vide Herincx, ubi suprà *disp. 7. n. 12.*

Col-

Colliges 2dò, Parentes sub mortali obliga- 87
ri, ut suis prolibus tempestivè provideant de Baptismo. Ratio est. Tum quia ità fert communis consuetudo, ne citra legitimam causam diu differatur Baptismus infantium; tum, etiam, quia valde repugnat pietati & charitati Parentum, permittere, ut sui liberi diu maneant membra Diaboli, quando facili negotio procurare possent, ut fierent membra Christi. Quòd si Parentum, aut etiam Tutorum negligentiâ vel incuriâ id contingat, Parochi ceu Pastoris Ecclesiæ erit, corrigere, & supplere hujusmodi defectum, prout cavetur in Rit. Rom. Pauli V. Videatur Babenstuber *tr. 8. p. 2. d. 1. à 6. n. 6.* aliique plures.

Colliges tandem 3tiò, Parocho incumbere, 88
ut gerat diligentem curam libri baptismalis. Res quippe est graviſſimi momenti; quando quidem ex illo libro petitur testimonium ætatis pro Ordinibus, Professione, Matrimonio, jejunii inchoatione necessaria, liberatione à Tutela, Minorennitate; item testimonium de cognatione spirituali, déque Parentibus. Quantæ verò ex hujus defectu non rarò natæ sint difficultates, & incommoditates, multiplex sanè docuit experentia. Unde Possev. Quintanadv. *singul. tr. 2. singulari 2.* aliique plures peccati mortalis damnant Parochum, qui scienter & ex negligentia frequenter, seu plures baptizatos non scribit. Et Concilium

Trid. ſſ. 24. Cap. 2. *de Reform. matrim.* vult, arbitrio Ordinarii puniri negligentes. Idcircò oportet, non ſolum annum, menſem, ac diem, unà cum nomine & cognomine Patrini vel Patrinorum, Parentum, & ipſius etiam baptizati; ſed inſuper ipſam horam, in qua natus fuit infans, accuratè deſcribere, prout nuper in noſtra hac Diœceſi ſapientiſſimè ordinatum & mandatum fuiſſe, audivi à quodam R. D. Parocho, mihi perquàm noto, qui idipſum hactenus accuratè obſervavit.

Dices adhuc. Sed quid aget Parochus, caſu quo Mater prolis illegitimè nominat Patrem, ipſe verò denominatus negat ſe eſſe Parentem?

89 R. Cũ P. Gobat *Theolog. exper. tr. 3. n. 592.* in tali caſu non eſſe abſolutè ſcribendum nomen illius denominati Parentis, ſed cum quadam cautela & clauſula in libro baptizatorum ſcribendum erit hoc modô: *Pater ejus* (ſcilicet prolis) *eſt v. g. Petrus, ùt dicit Mater.* Nec improbandum cenſeo, quod nupertimè in ſimili caſu à quodam Domino Parocho factum eſſe intellexi, qui prolis baptizatæ cognomen, unà cùm nomine, & cognomine Patris, à Matre ſuſpecta dictitati, libro baptiſmali inſerere noluit, donec causâ maturiùs diſcuſsâ, à Judice legitimo certus Parens declararetur.

CON-

CONFERENTIA OCTAVA.

De Sacramento Confirmationis.

SUMMARIUM.

1. Confirmatio est verum, & propriè dictum Sacramentum N L.
2. Fuit à Christo Domino instituta in ultima Cœnâ.
3. Materia remota hujus est Chrisma &c.
4. Forma hæc est: signo te signo crucis, & Confirmo te. &c.
5. Minister ordinarius est Episcopus.
6. Extraordinarius ex commissione Papæ, potest esse simplex Sacerdos.
7. Ad validam hujus Sacramenti susceptionem ex parte subjecti requiritur. 1. Intentio 2. Baptismus. Ad licitam verò. 3 etiam status gratiæ.
8. Nullum tamen exstat præceptum graviter obligans ad hujus Sacramenti perceptionem.
9. Cæremoniæ circa hoc observandæ enumerantur sex.
10. Resolvitur Casus I. de quadam muliere, quæ filiolum suum quinquennem obtulit confirmandum, propriísque sustentabat manibus.
11. Confirmatio talis pueri, facta ab Episcopo in maxilla, & non in fronte, probabiliùs fuit nulla.
12. Resolvitur Casus II. de studioso, qui vult suscipere ordines, dubitat tamen, an sit confirmatus.

13. Talis probabiliter non peccat graviter, esto confirmationem petere dissimulet,

14. Resolvitur Casus III. de illo, qui non confirmatus tenuit puerum cujusdam Viduæ, quam modò vult ducere in uxorem.

15. Cur talis non exponat Sacramentum matrimonii periculo nullitatis ?

16 An plures simul eundem tenentes, cognationem spiritualem contrahant, disputant Doctores utrinque probabiliter.

17. Confirmatio vel solò oleo simplici, vel solo balsamo, vel Chrismate quidem, sed non benedicto facta, est nulla.

18. Non est differenda confirmatio pueri, posteaquam adeptus est usum rationis.

19. Etiam parvulis, & aliis morituris, immò & amentibus, per se loquendo debet, vel saltem potest utiliter administrari.

20. Adultus contemnendo hoc Sacramentum, peccat mortaliter.

21. Item peccant graviter, qui hoc Sacramentum sæpiùs suscipiunt.

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Sacramento Confirmationis.

QUæres primò, quid sit Confirmatio?

R. Est Sacramentum, quô homo viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo cum Chrismate, & præscripta verborum forma ad fidei robur consequendum. Ita Concil. Florent. *In decret. Eugen.* Ex quo patet, Confirmationem esse verum, & propriè dictum Sacramentum novæ legis; cùm sit signum sensibile, collativum gratiæ sanctificantis ex opere operato &c. Meritò proin Hæretici oppositum asserentes anathematizantur à Concilio Trid. *ss. 7. can. 1. de Confir.* Vide D. Bonav. *4. d. 7. a. 2. q. 1. n. 21.*

Dices. Nullibi clarè constat ex S. Scriptura de institutione hujus Sacramenti: ergo à Catholicis malè asseritur.

R. Etiam nullibi clarè constat ex S. Scriptura, esse duò tantùm, aut tria Sacramenta, ùt asserunt hæretici. Sufficit proin, institutionem hujus Sacramenti constare ex traditione, usúque perpetuo jam inde à Christo D. & Apostolis derivato, esto non constaret clarè

ex S. Scriptura. Quin immò in Scriptura S. clarè habetur *Act. 18. & 9. c.* Apoſtolos Fidelibus impoſuiſſe manus, ut reciperent Spiritum ſanctum : at, quòd Apoſtoli tunc fecerunt per manûs impoſitionem, idem facit hodie Eccleſia per Chrismatis unctionem, ſeu Confirmationem, prout docent Innocent. III. *c. un. de Sacr. unct. §. fin.* Et Innocent. IV. *epiſt. ad Epiſc. Tuſculanum.*

Dicendum igitur eſt, & cum Eccleſia firmiter tenendum, hoc Sacramentum fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum in ultima cœna, quia (teſte Fabiano Papa *in epiſt. 2. c. 1.*) tunc deſignavit ejus materiam & formam. docuítque Apoſtolos conficere Chrisma ; quamvis etiam ſatendum, illud conſummativè & completè fuiſſe inſtitutum poſt reſurrectionem, quando Chriſtus *Joan. 20.* Apoſtolis tradidit poteſtatem, hoc Sacramentum aliis adminiſtrandi. Ita Herincx. *p. 4. tr. 2. diſp. 9. n. 10.* Babenſtuber, *tr. 8. p. 2. a. 1. n. 6.*

Quæres 2dò, quænam ſit hujus Sacramenti Materia ?

3 R. Materia Confirmationis remota eſt Chrisma, confectum ex oleo olivarum & balſamo, atque ab Epiſcopo benedictum, ùt habetur *c. cùm veniſſet. de Sacr. Unct.* Proxima autem Materia eſt Unctio cum Chrismate facta ab Epiſcopo in fronte hominis baptizati ad modum crucis. Ità Catholici *omnes* cum Scot

4

4. d. 7. q. 1. Et habetur decisum tum in Concilio Florent. tum etiam in Trid. *ff. 7. can. 2. de Confir.* Vide Clericatum *decis. 54.* ubi pulcherrimas affert rationes mysticas, ob quas Christus voluit adhiberi Chrisma confectum ex oleo, & balsamo.

Quæres 3tiò, quænam sit forma hujus Sacramenti?

R. Forma, quâ Ecclesia latina utitur, est hæc: *signo te signô crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, amen.* Ità rursus *cum communi* Scot. *l. c.* Laym. Cleric. & alii. Cæterùm, an omnia hæc verba sint de essentia & necessitate Sacramenti, multùm disputant, & inter se diffidentes DD. quibusdam affirmantibus, aliis verò negantibus. Mastrius, Bosco, Herincx, aliique Scotistæ satis probabile existimant, hæc sola verba: *signo te in nomine Patris &c.* vel: *confirmo te in nomine Patris & Filii &c.* sufficere ad valorem. Fatentur tamen omnes, omnia præmemorata verba, esse de necessitate præcepti, ità, ut Episcopus ea, vel eorum aliqua omittendo peccet mortaliter. Ratio est: quia exponeret Sacramentum periculo nullitatis, sequendô sententiam minùs tutam relicta tutiore, & quidem sinè necessitate, quod certè non vacat culpâ gravi. Mastrius *4. disp. 2. n. 236. & seqq.* Kazenberger *in supplem. Theol. Sacram.*

cram. P. *Sporer c.* 2. *ſect.* 1. *n.* 18. Suarez, La Croix, Caſpenſis & alii.

Quæres 4tò, quisnam ſit Miniſter hujus Sacramenti?

5 R. Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus. Ità rurſus Catholici *omnes*. Et habetur deciſum nedum in Concil. Florent. ſed etiam in Trid. *ſſ.* 7. *can.* 3. *de confirm.* Item *ſſ.* 23. *can.* 7. Quamvis autem ratio à priori alia dari nequeat, quàm beneplacitum divinæ voluntatis; congruum tamen videtur ex eo, quia, ùt ait Doctor Seraph. S. Bonavent. *cit. d.* 7. *a.* 1. *q.* 3. *num.* (quibus) 16. Apoſtoli, eorúmque Succeſſores, Epiſcopi, ſunt Prælati in Eccleſia principales: Prælati autem duplex eſt officium, ſcilicet inferiores in gradu ſuo ſtatuere, & collocare in ordine, & murum opponere ſe, ſive gregem ſuum defendere, ideò ipſi ſoli (Epiſcopi) ordines faciunt, & corroborant. Ità ſanctus D.

6 Dixi: *Miniſter ordinarius* eſt Epiſcopus; nam extraordinarius ex ſpeciali commiſſione S. Pontificis poteſt eſſe ſimplex Sacerdos; qua ratione *c. pervenit. diſt.* 95. legitur Gregorius magnus Sacerdotibus Sardiniæ poteſtatem confirmandi delegâſſe. Eandem poteſtatem Adrianus VI. conceſſit Fratribus Minoribus in India degentibus, teſte Herincx *cit. diſp.* 9. *n.* 43. Hinc Concil. Florent. *in decreto de Armenis*, ait: *Legitur tamen aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodum*

cauſa,

causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrâsse confirmationis Sacramentum.

Quæres 5tò; quænam dispositio requiratur ex parte Subjecti?

R. Ad validam hujus Sacramenti susceptionem, præter intentionem saltem habitualem, insuper requiritur Baptismus, velut janua ad reliqua Sacramenta, ùt constat ex *c. 1. & 2. de Presbyt. non baptiz.* Ad licitam verò susceptionem est etiam necessarius status gratiæ. Ità *communis.* Ratio est: quia confirmatio est Sacramentum vivorum: ergo supponit hominem spiritualiter viventem, seu prædituni gratia sanctificante. Vide *Catechism. Roman. de Confirm. §. 14.* 7

Quæres 6tò, deturnè obligatio, vel præceptum aliquod hoc Sacramentum suscipiendi?

R. Non exstat præceptum; quia nullibi constat de hoc: proindéque per se loquendò nullus fidelium obligatur ad hujus susceptionem, prout communissimè fatentur DD. Nihilominus supposita institutione divina, ipsa ratio naturalis dictat, hoc Sacramentum non esse contemnendum, aut vilipendendum. Cúmque magna utilitas & fructus multiplex inde proveniat, utputa 1. Gratia sanctificans, 2. Character militum Christi, & 3. jus ad percipiendas gratias actuales, quibus veram 8

fidem

fidem invictè & intrepidè propugnemus; idcircò à DD. Parochis, aliísque animarum Pastoribus excitandi, & cohortandi sunt fideles, ut hoc Sacramentum non negligant, sed potiùs debita cum reverentia, ac dispositione illud suscipere conentur. Scot. 4. d. 7. q. 2. D. Bonavent. ead. dist. Mastr. 4. disp. 1. n. 369. Clericat. decis. 60. n. 12.

Quæres 7timò, quibuscum cæremoniis hoc Sacramentum sit administrandum, & recipiendum?

9 R. Breviter cum P. Herincx cit n. 64. Kazenberg. aliísque Doctoribus, observandas esse sex sequentes cæremonias. 1. Episcopus ob reverentiam Sacramenti debet indui habitu pontificali. 2. Frons confirmati obliganda est fasciâ, seu vittâ linea cruce notata, & quidem ad aliquot dies gestanda, ne sacrum Chrisma irreverenter aliis rebus inhæreat, aut illiniatur: nec frons interim lavari debet. Potest tamen, si ratio subsit (ait post Præpositum Busenbaum hìc dub. 3. Resp. 2. n. 3.) fascia statim auferri, & frons ablui (id, quod etiam in hac nostra Diœcesi practicari hisce meis oculis perspexi) vitta tamen debet comburi, vel honestè asservari, nec ad profanos usus adhiberi, propter contactum Chrismatis; neque solvens illam contrahit cognationem. 3. Episcopus confirmato infligit alapam, dicens

pax

paxtecum, partim ut confirmatus recordetur, se hoc Sacramento armari ad ferendas pro Christo injurias; partim etiam, ut recordetur ipsius Sacramenti suscepti, quô adscriptus est militiæ spirituali. 4. Observanda est circumstantia loci, qui, si commodè fieri potest, debet esse Ecclesia: & 5. circumstantia temporis sacri, quod deberet esse tempus Paschæ aut Pentecostes. Quia tamen defactò plerúmque maximus fit concursus hominum, & ob distantiam locorum non omnes confluere possunt ad sedem Episcopalem; hinc Celsissimus noster laudabiliter solet hoc Sacramentum administrare tempore visitationis, subinde etiam in domo parochiali, vel alio loco decenti & accommodo, licèt extra Ecclesiam. 6ta tandem cæremonia est, ut adhibeatur Patrinus & quidem juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem distinctus à Patrino Baptismi, qui confirmatum teneat, humeris, aut certè humero dextro ipsius imponendô manum; cui etiam post patrinum Baptismi incumbit cura spiritualis, in defectu Parentum. Cæterùm, quinam ad hoc munus Patrini sint admittendi vel non, diximus suprà de Baptismo, *n. 76.* Est enim quantùm ad Patrinum Baptismi & confirmationis par ratio.

* * *

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Sacramento Confirmationis.

CASUS PRIMUS.

Titia pia, ac devota Mater filiolum suum quinquennem detulit ad locum Confirmationis, eundémque velut parvulum & frustum hominis, propriis sustentabat manibus. Quia verò Episcopus ob populi tumultum retrò se excitatum inopinatò respexerat, contingit, ut locô frontis maxillam præfati parvuli inungeret sacro Chrismate. Qua ratione jam dubitat Titia, & quærit 1. An bene fecerit, offerendo, & propriis manibus sustentando suum filiolum? 2. Quid de tali Confirmatione sibi tenendum?

10 R. ad 1mum. Si Titia rationabiliter timuit, ne defectu occasionis vel Ministri filiolus suus longo tempore vel omnino in perpetuum deberet carere beneficio hujus Sacramenti, haud quaquam foret redarguenda ex eo, quòd tam parvulum obtulerit confirmandum. Licèt enim (ùt constat ex praxi) Ecclesia laudabiliter exigat in confirmando usum rationis, tum ut hoc Sacramentum majori cum reverentia sulci-

ſuſcipiatur, tum etiam ut evitetur periculum iteratæ ſuſceptionis, tum denique ut ipſe confirmatus poſſit aliquo modò fidem ſuam profiteri; hæc tamen praxis & conſuetudo Eccleſiæ non obligat, præſertim in illis locis, ubi hoc Sacramentum ratò adminiſtratur, prout paſſim ſentiunt DD. & ſupponere videtur Catechismus Rom. *loc. proximè cit.* Verùm, in hac noſtra Diœceſi, ubi Zeloſiſſimus noſter, ac Celſiſſimus Princeps JOSEPHUS DOMINICUS ſingulis annis quà domi, in Civitate ſcilicet Paſſavienſi, quà ruri etiam in viſitationibus, incredibili, & nunquam ſatis depredicanda vigilantiæ paſtoralis & ſolertiæ contentione hoc Sacramentum adminiſtrat, Titiam minùs laudabiliter egiſſe judico, dum ante adeptum rationis uſum filiolum ſuum admovit Sacramento huic, contra Eccleſiæ praxin & conſuetudinem. Magis adhuc culpanda videtur ex eo, quòd propriis manibus illum ſuſtentandò egerit quaſi pattinam; quia cùm Patrinus ab Eccleſia ſubſtituatur in defectum Parentum, ab his omnino diverſus ſit, oportet, prout jam ſupra de Bâptismo *n. 76.* dictum fuit.

R. ad 2dum. Confirmationem factam in maxilla, probabiliùs eſſe nullam. Ità Diana, quem citat, & ſequitur Clericatus *de Confirm. deciſ 56.* Etenim quòd Unctio in fronte ſit de eſſentia hujus Sacramenti, omnino veroſi- 11

milius est, si non certum. Immò opinionem contrariam Diana coord. *tom. 1. tr. 2. Resol. 6. n. 2.* non veretur appellare falsam & erroneam, eò præsertim ex capite, quòd omnes sancti Patres, Pontifices, & Canones de hac S. Unctione loquentes semper asserant, esse faciendam in fronte. Et licèt Ecclesia nondum definiérit Unctionem frontis esse de essentia hujus Sacramenti, id tamen docet praxis, & nunquam interrupta antiquissima observantia Ecclesiæ. Adde, eodem jure præscribi, Unctionem esse faciendam in figura crucis, & in fronte: ergo utrámque censet essentialem. Vide Clericatum, in praxi Ecclesiæ versatissimum *l. cit. n. 2.* ubi pro eadem opinione allegat S. Thomam, Suarez, Sylvest. Laymann, & alios.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius cogitat proximè suscipere Ordines Minores, cùm verò dubitet, an unquam fuerit confirmatus, hinc quærit, an teneatur, priùs quàm ordines præfatos suscipiat, petere Sacramentum Confirmationis? Quid respondendum?

12 R. Si Sempronius merùm negativè dubitet, ità, ut non supperat rationabile fundamentum credendi, se esse confirmatum, potest, immò debet absolutè petere priùs Confirmationem; partim quia Ecclesia vult Confirma-

firmationem præmitti Ordinibus ; partim etiam, quia in dubio factum non præsumitur; ergo nec Confirmatio. Si verò Sempronius dubitet positivè, eò quòd occurrat una, alterave ratio judicandi, se non fuisse confirmatum, & tale dubium vinci nequeat, debet petere, ut ab Episcopo confirmetur, non quidem absolutè, ne Sacramentum forsitan iteratò suscipiat, sed sub conditione, *si nondum sit confirmatus.* Ratio est: quia Tridentinum *ss. 23. de Reform. c. 4.* vult, ac præscribit, ut prima Tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint. Et meritò: quippe indecens foret, ad dignitatem, & altiores gradus Ecclesiæ, seu etiam in Ministrum aut Præconem fidei promoveri talem, qui mediante Sacramento Confirmationis in vera Fide nunquam fuit corroboratus. Quia tamen Confirmatio non est ità necessaria sicut Baptismus; hinc, ut licitè petatur, vel administretur sub conditione, requiritur majus dubium, quàm pro repetitione Baptismi, prout rectè advertunt Nugnus, Bardi, Gobat. *cit. tr. 2. n. 763.* & la Croix *l. 6. p. 1. n. 303.*

Dices. Sed quid, si Sempronius noster susciperet Ordines Minores, non petita priùs Confirmatione, peccaretnè graviter?

R. Non peccaret graviter; quia non potest 13
ostendi præceptum graviter obligans ad susceptionem Confirmationis. Concilium enim

Trident. mox allegatum (ùt notat Barboſa in hunc locum) potiùs monere videtur, quàm præcipere, ut non initientur prima Tonſurâ, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint: ergo cùm aliunde ſupponatut dubium, an Sempronius non fuerit jam confirmatus, dicendum, quòd ſuſcipiendô minores Ordines diſſimulatâ confirmationis petitione, graviter ſaltem non peccaret. Caſtrop. Salmantic. Suarez, Navarrus, Babenſtub. ubi ſuprà *a. 3. n. 9.* Reiffenſtuel. *Theol. mor. tr. 14. diſt. 3. n. 49.*

CASUS TERTIUS.

CAjus non confirmatus tenuit ad confirmationem puerum, cujus Matrem Viduam modò vult in uxorem ducere. Dubitat tamen, & quærit, an propterea non contraxerit cum præfata Vidua cognationem ſpiritualem matrimonio repugnantem?

14 R. Probabiliſſimè non contraxit cognationem, ideòque turò poteſt ducere Viduam illam. Ita Sanchez *de Matr. l. 7. d. 60. n. 20.* Lugo *lib. 3. de Confir. 6. 5. q. 1.* Clericat. *deciſ. 50. n 5.* quem ſequitur Matthæuec. *in Cautel. Confeſſ. l. 4. c. 3. fin.* Ratio potiſſima deſumitur tum ex *cap. in Baptismate. de Conſecr. diſt. 4.* tum etiam ex Pontificali *Rom. tit. de Confirm.* ubi dicitur: *Nullus, qui non ſit confirmatus, poteſt eſſe in Confirmatione patrinus.* Et quòd ly *non poteſt* ha-

habeat vim irritandi actum, tenent plurimi tum Canoniſtæ, tum etiam Theologi ampliſſimi nominis, videndi apud Clericatum, *l. cit.* Quibus accedit Em. Card. de Lauræa *de imped. Matr. diſp. 28 n. 102. & ſeqq.* Idcircò, cùm tantæ prudentiæ, ſcientiæ, & experientiæ in Romana Curia Auctorem habeamus, docentem, à Patrino non Confirmato nullam contrahi cognationem ſpiritualem, absque hæſitatione dicendun, quòd Cajus noſter ſinè ſcrupulo poſſit ducere præfatam Viduam; eô, præſertim, quòd juxta Regulas Juris odioſa ſint reſtrigenda, & contra eum, qui potuit clariùs dicere legem, facienda interpretatio.

Dices, Multi Doctores tenent, à Patrino etiam non confirmato contrahi impedimentum cognationis ſpiritualis: ergo Cajus ducendô Viduam hanc, exponet Sacramentum Matrimonii periculo nullitatis, utique non absque ſacrilegio.

R. Neg. Conſeq. Eſto enim multi hoc te- 15
neant, quia tamen plures id negant, hôc ipſo manet quodammodo dubium ſpeculativum, utrum Cajus contraxerit impedimentum: atqui in dubio, an impedimentum præſertim juris humani fuerit contractum, manet melior conditio poſſidentis ſuam libertatem cum qualibet contrahendi, & Eccleſia velut pia

Mater tale matrimonium, utpote ſubjectum ſuæ poteſtati, tacitè approbat, ſicut approbat matrimonium contractum coram Parocho exiſtimato; & jurisdictionem certò tribuit, quando miniſter cum jurisdictione probabili, & titulo colorato abſolvit: ergo Sacramentum nullatenus exponitur periculo. Vide Carden. *Criſi theolog diſſ. 2. n. 529.* Kugler *de Matr. n. 1533.* Viva *ad 1. propoſ. ab Innocent. XI. dam. n. 29.*

Dices adhuc. At quid, ſi plures, licèt contra præſcriptum Tridentini, ſimul teneant eundem infantem ad confirmationem?

16 R. Utrum in tali caſu omnes deſignati cognationem contrahant, multùm diſputant, & inter ſe diſſident DD. prout videre licet apud Sanchez, Clericat. *cit. deciſ. 60.* & alios. Ego utrámque ſententiam judico probabilem, probabiliorem tamen affirmativam, quòd ſcilicet ſinguli contrahant. Non tamen dubito, quin in caſu mox dato ſinguli poſſent ducere Viduam, ob rationes numero præcedenti datas.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

17 COlliges primò, Confirmationem eſſe nullam, ſi fiat vel ſolo balſamo, vel ſolo oleo ſimplici, vel chrismate quidem, ſed non bene-

benedicto. Ratio patet ex præmiſſis ; quia materia eſſentialis hujus Sacramenti eſt Chriſma ab Epiſcopo benedictum : ergo hoc deficiente, deficit pars eſſentialis, & per conſequens ipſum Sacramentum, Valet tamen Confirmatio collata in chriſmate veteri, ſeu priori jam anno benedicto ; quia adhuc manet chriſma benedictum ab Epiſcopo, ideóque materia eſſentialis, quamvis Epiſcopus graviter peccaret utendô veteri chriſmate, ùt communiter tenent DD. & cum illis Scotus ubi ſuprà Boſco *part. 1. diſp. 1. ſect. 3. à n. 40.*

Colliges 2 dò, condecens eſſe, ut dum puer 18
explevit ſeptimum annum ætatis, vel ante illam quoque putatur aſſecutus uſum rationis, confirmatio ejusdem non diu differatur ; tum quia digniùs eam ſuſcipiet adhuc innocens, ſeu gratiam baptismalem ſervans illæſam ; tum etiam, quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum in remedium, quô homo à gravioribus lapſibus præſervetur.

Colliges 3 tiò, hoc Sacramentum per ſe lo- 19
quendô eſſe adminiſtrandum etiam Parvulis, aliíſque in mortis articulo conſtitutis, idque ob gratiæ ampliationem inde participandam, vi cujus homo ad conflictum ſpiritualem armatur. Eſto etiam tales ſupponantur nunquam pugnaturi, quia tamen hæc arma ſunt præmunientia, & melius eſt, hominem muniri ante læſionem, quàm pòſt ; hinc nec parvuli, nec

morituri entes ſunt fraudandi hoc Sacramento: idipſum concedendum eſt amentibus, modò non conſtet, tales amentiam incidiſſe in ſtatu peccati mortalis, vel ante amentiam contra hoc Sacramentum excepiſſe. D. Thom. S. Bonavent. ubi ſuprà *diſt. 7. c. 3. q. 1. n. 31.* Laym. *l. 5. tr. 3. c. 5.* Filliuc. *tr. 3. c. 2. n. 34. & ſeqq.*

20 Colliges 4tò, Adultum, qui hoc Sacramentum contemnit, ſeu ex contemptu non recipit, peccare mortaliter. Ita cum *communi* Caſtropal. *tr. 20. pu. 8. n. 6.* Herincx *diſp. 9. n. 55.* Babenſtub. *tr. 8. p. 2. diſp. 2. cit. 4. 3. n. 8.* Ratio eſt: quia gravem injuriam infert Sacramento, ejusdémque inſtitutori Chriſto. Quocirca tamen notandum, illum reputari contemnere, qui ideò non recipit, quia Confirmationem nihili facit, vel reputat aliquid vile, puerile, & ſuâ perſonâ indignum. Qui verò diſſimulat ſuſcipere Confirmationem ſolùm ex tepiditate, & torpore ſpiritûs, quia hìc & nunc non placet, licèt haberet occaſionem optimam ſuſcipiendi, non idcircò dicitur contemnere; multa etenim animæ lucra prætermittimus, utpote audire Miſſam die feriali, vel percipere S. Communionem die feſtivo &c. quin reputemur ea contemnere. Quamvis cum Suarez, Conink, Palao cit, & aliis fatendum videatur, hujusmopi torporem ac negligentiam circa Confirmationem rarò vacare omni culpa, etiam veniali.

Col-

Colliges 5tò, peccati mortalis condemnan- 21
dos, & arguendos esse illos, qui hoc Sacramentum sæpiùs susciperè non verentur: quod utinam non nimis frequenter fieret ex damnabili cupiditate aliquid recipiendi à Patrino. Ratio autem hujus corollarii patet: quia cùm hoc Sacramentum sit initerabile ob characterem indelebilem, animæ semel impressum, necessum est, ut, quoties iteratur, toties frustretur, non sinè gravissimo sacrilegio. Quapropter vehementiùs objurgandi, immò & puniendi sunt stolidissimi illi Mercatores, qui ob modicum, sæpe etiam inaniter speratum lucrum temporale, non verentur & Dei gratia, & animam suam perdere. Nihilominus iterantes Confirmationem, etiam scienter, non incurrunt irregularitatem; cùm hæc non incurratur, nisi sit in jure expressa: nullibi autem legitur in jure expressa irregularitas in iterantes Confirmationem: ergo cùm aliunde constet, odiosa esse restringenda, dicendum, quòd non incurratur. Scotus *4. d. 7. q. 5.* Reiffenstuel ubi suprà *n. 53.* cum communiori DD.

CONFERENTIA NONA.

De inſtitutione, materia, forma, & effectibus extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

22. Extrema Unctio eſt verum, & propriè dictum Sacramentum N. L.

23. Immediatè à Chriſto D. inſtitutum, ſed poſt reſurrectionem primùm.

24. Materia remota hujus eſt oleum olivarum, ab Epiſcopo benedictum; proxima verò conſiſtit in Unctione infirmi.

25. Quæ in quinque ſaltem ſenſibus fieri debet.

26. Legitima forma, in Eccleſia latina uſurpanda, ſita eſt in ſequentibus verbis: per iſtam ſanctam Unctionem &c.

27. Non omnia verba totius formæ ſunt de eſſentia Sacramenti.

28. Probabiliùs tamen eſt de eſſentia hujus, ut forma proferatur modò deprecatorio.

29. Effectus ſpecialis primarius conſiſtit in remiſſione peccatorum venialium, finaliter reſtantium in ægroto. Inſuper

30. Ad ſingulas Unctiones confertur gratia.

31. Reſolvitur Caſus 1. de infirmo delirante ex morbo, quem D. Parobus rectè unxit, licèt reſtiterit in tantum, ut etiam oleum S. excuſſerit manibus Miniſtri.

32. Quid circa oleum ità dispersum agendum?

33. Si residuum oleum benedictum non amplius sufficeret pro reliquis infirmis, licebit huic affundere aliud non consecratum: & quomodo?

34. Resolvitur Casus II. de Capellano, qui per errorem cuidam D. Parocho loco olei infirmorum, transmiserat oleum Catechumenorum; propterea quæque tenebatur errorem suum corrigere.

35. An, vel quando repetenda sit Unctio facta oleo Catechumenorum?

36. Resolvitur Casus III. de Ministro, qui cujusdam sensus unctionem intermiserat, simúlque in forma erravit.

37. Qui extra casum necessitatis unicum tantùm sensum inungit, peccat mortaliter.

38. Non item, si in casu necessitatis id agat.

39. Quando infirmus caret aliquo sensu; pars illi sensui propior est ungenda.

40. Valet extrema unctio, tametsi minister non ungat in modum Crucis, nec ordinem servet inter sensus: per se loquendo tamen peccat.

41. Unctio extrema collata cum hac formula: indulgeat tibi Deus quidquid deteliquisti, est nulla, ideóque repetenda.

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de materia, & forma extremæ Unctionis.

QUæres primò, quid sit extrema Unctio?

22 R. Est verum, & propriè dictum Sacramentum N. L. quô aliquæ partes corporis infirmi inunguntur oleô benedicto sub præscripta verborum forma, ad salutem animæ & corporis. Ita Mastr. *4. disp. 6. n. 18.* aliique communiter. Quòd autem extrema Unctio sit Sacramentum, habetur (contra Waldenses, Galvinistas, Lutheranos, aliósque hæreticos) tanquam de fide decisum, tam in Concilio Florent. quàm Tridentino. *ss. 14. can. 1.* ubi oppositum asserentes anathematizantur. Ratio autem hujus decisionis sumitur, tum ex epistola S. Iacobi Apost *c. 5.* ubi ait: *infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleô, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Tum etiam ex communi omnium Catholicorum DD. & SS. Patrum consensu, nec non ex perpetua, jam inde ab Apostolis deri-

derivata praxi & consuetudine Ecclesiæ; cui se opponere, errare est.

Quæres 2dò, quandonam hoc Sacramentum sit institutum, & à quo?

R. Est immediatè à Christo D. institutum, 23
& quidem 2. probabiliùs primùm post resurrectionem, etsi fortè (inquit Herinex) modus benedictionis servandæ circa oleum, uti circa chrisma, sit à Christo in ultima cœna traditus. Ratio prioris est: quia secundùm dicta *de Sacram. in Gen. n. 6.* omnia Sacramenta sunt immediatè instituta à Christo: ergo & hoc. Hinc Tridentinum *cit. can. 1.* ait: *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse verum, & propriè dictum Sacramentum, à Christo D. institutum, & à B. Jacobo promulgatum &c. anathema sit.* Ratio autem posterioris inde desumitur: quia Sacramentum extremæ unctionis supponit potestatem Episcopalem, aut certè Sacerdotalem, tum benedicendi oleum, tum etiam remittendi peccata; cùm sit quodammodo completivum, & consummativum Sacramenti Pœnitentiæ ad peccatorum reliquias ultimatò extirpandas: atqui Apostoli non acceperunt potestatem Episcopalem ante ultimam cœnam: potestatem autem absolvendi primùm obtinuerunt post resurrectionem *Joan. 20.* ergo dicendum, quòd hoc Sacramentum priùs non fuerit institutum, sal-

tem

R. Est probabile (saltem speculativè lo- 25
quendô) ad valorem sufficere unicam Unctionem, cum hac formula exprimente omnes quinque sensus: *Per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, adoratum, gustum, & tactum deliquisti.* Nihilominus extra casum necessitatis, dum videlicet tempus & occasio suppetit, necessariò debent fieri saltem quinque Unctiones, scilicet quinque sensuum, puta oculorum, aurium, labiorum, narium & manuum. Ratio primi est: quia nec Scriptura S. nec Concilia plus requirunt pro valore, quàm Unctionem infirmi, sicut in Baptismo ablutionem: ergo quemadmodum ad valorem Baptismi sufficit unica ablutio, ità probabiliter ad valorem hujus Sacramenti sufficit unica Unctio. Hac de causa nostrum Rituale Pataviense *de Sacr. extr. Unct. can. 11.* ait: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensûs organum, magis ad unctionem expositum ac detectum, dicendo: per istam sanctam unctionem, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c.* Idipsum statuit & in Pastorali Frising. *pag. 135.* & Mechliniense teste Trassen & Herincx *n. 22.* Hoc autem malè præscriberetur, si ne probabiliter quidem ad valorem sufficeret unica Unctio: ergo &c. Ratio 2di datur hæc: quia extrema Unctio instituta est ad tollenda finali-

ter

ter peccata venialia, & peccatorum reſiquias, proindéque convenienter applicatur illis partibus corporis, in quibus peccatorum radix reſidet: atqui hæc reſidet in prædictis quinque ſenſibus, à quibus omnis malitia tranſit ad cor; nihil enim eſt in intellectu, quod non priùs fuit in aliquo ſenſu; ergo neceſſariò, neceſſitate præcepti graviter obligantis, debet fieri Unctio ſaltem in quinque ſenſibus. Et licèt Florentinum Concilium dicat, unctionem eſſe faciendam etiam in renibus ac pedibus, hanc tamen non eſſe eſſentialem, ſatis colligitur ex Catechismo Rom. juſſu Pauli V. edito, dum monet, unctionem renum decentiùs omitti in fœminis: immò & in viris juxta receptiſſimam praxin locô renum ſolet inungi pectus. Hinc Rituale Paſſavienſe nullam prorſus facit mentionem de ungendis renibus, & *can. 8.* docet mulierem puerperam, aut fluxu laborantem, in pedibus ungendam non eſſe: ſicut ob eandem cauſam honeſtatis unctio pectoris in mulieribus intermittenda eſt. Vid. Illſung. *tr. 6. d. 7. n. 4.* Gobat. *tr. 8. n. 792.* Clericat. *deciſ. 66. n. 7. & ſeqq.*

Quæres 5tò, quænam ſit legitima forma hujus Sacramenti?

26 R. Forma legitima in Eccleſia latina (Græca enim utitur alia, licèt non ſubſtantialiter diver-

diversa) sub gravi culpa per se loquendo usurpanda est hæc: *per istam sanctam Unctionem, & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum (auditum &c.) deliquisti, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti &c.* Ità *omnes.* Ratio alia à priori dari nequit, quàm beneplacitum divinæ voluntatis, nobis satis manifestatum, dum & Concilium Florent. & Tridentinum, itémque Rituale Romanum eandem formam præscribunt. Circa hanc tamen duo restant dubia breviter resolvenda. 1. Utrum omnia allegata verba sint de essentia? 2. Utrum forma hæc debeat necessariò esse deprecatoria? Ad quorum primum

R. Non omnia verba sunt de essentia, sed probabiliter sufficiunt hæc: *per unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti.* Ita satis *communiter* Doctores. Mastr. ubi suprà *n. 41.* Kazenberger *c. 2. sect. 3. n. 72.* Illsung. Babenstub. & alii. Ratio est: quia illa sola verba sunt essentialia, sive de necessitate formæ, quibus præcisè positis obtinetur, & sine quibus non sufficienter obtinetur essentialis significatio; atqui prædictis præcisè verbis obtinetur significatio à Christo intenta (puta effectûs primarii): non item, si aliqua eorum omittantur: ergo reliqua non sunt de necessitate Sacramenti, esto sint de necessitate præcepti. 27

28 R. Jam ad 2dum. Probabilius est de essentia Sacramenti, ut hæc formula proferatur modò deprecatorio & non auctoritativo, seu indicativo. Ità contra multos tenent S. Bonavent. 4. d. 23. a. 1. q. 4. Mastr. Frassen. Illsung. *cit. disp. 7. n. 8.* Clericat. *decis. 68. n. 7.* & alii satis communiter. Ducuntur hac potissimùm ratione. Quia S. Jacobus vult, ut Presbyteri *orent* super infirmum. Tum etiam quia hoc Sacramentum principaliter fuit institutum pro infirmis, qui cùm propriis viribus, & præsertim vigore ad præstanda pietatis exercitia regulariter loquendo sint destituti, vel maximè indigent sublevari orationibus Sacerdotum. Plures rationes congruentiæ videri possunt apud DD. *citt.*

Quæres 6tò. Quosnam effectus conferat extrema Unctio?

29 R. Effectus primarius *communis* omnibus aliis Sacramentis est gratia sanctificans: *specialis* autem, quem confert, est remissio peccatorum venialium finaliter restantium in ægroto; hicetenim effectus specialiter exprimitur in forma proximè recensita. Unde dicit D. Jacobus: *Et si in peccatis sit, remittuntur ei:* quod DD. etiam intelligunt de remissione pœnarum peccatis debitarum; quamvis non semper omnium. 2dò. Alleviat infirmum, &

& abstergit peccatorum reliquias, id est, tollit animi languorem, torporem, mœrorem, tristitiam, fastidium, & anxietates, aliásque consimiles pravas affectiones, quæ ex peccatis commissis, eorúmque recordatione oriri natæ sunt, & peccatorem in barathrum desperationis abducere. 3tiò tandem 2dariè conducit extrema Unctio ad recuperandam corporis sanitatem, non quidem absolutè & semper, seu infallibiliter, sed quasi conditionatè, *si animæ saluti expediat*, ùt loquitur Apostolus; nec mirandum: Sacramenta enim non conferunt suos effectus, nisi in ordine ad spiritualem animæ profectum. Vid. Reiffenstuel *Theol. mor. tr. 14. dist. 11. à n. 17.*

Quæres 7mò, utrum ad singulas unctiones conferatur gratia, vel verò primùm in ultima Unctione?

R. Probabiliùs confertur ad singulas Unctiones; quia quælibet Unctio habet essentialiter completam significationem sui effectûs: ergo quævis confert peccatorum remissionem: atqui Sacramenta non aliter remittunt peccata, quàm causando gratiam remissivam peccatorum: ergo dicendum, ad quamlibet Unctionem conferri gratiam, vi cujus remittuntur peccata commissa per sensum taliter inunctum. Fatendum tamen est, quòd, si 30

ſubinde vi hujus Sacramenti dimittatur peccatum mortale per accidens, illud ad primam ſtatim Unctionem remitti debeat, quandoquidem juxta modernam DEI ordinationem nullum peccatum mortale cum gratia ſanctificante ſit compatibile in eodem ſubjecto, ne quidem per momentum. Scot. 4. *d.* 23. Fraſſen. *tom.* 4. *diſp.* 3. *q.* 2. *n.* 19.

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici de materia & forma extremæ Unctionis.

CASUS PRIMUS.

Titius Parochus vocatus ad infirmum maligna febre correptum, invenit eundem mirum in modum delirantem. quare cùm nec Sacramentum Evchariſtiæ, multò minùs Pœnitentiæ potuiſſet eidem miniſtrare, voluit ſaltem impertiri extremam Unctionem. Verùm, ubi propiùs acceſſit, infirmus vaſculum, in quo Sacrum oleum continebatur, manibus D. Parochi excuſſit, horribilitérque ejulavit; crediderat enim ſe interfectum iri Dubitatur jam 1. *An D. Parochus bene fecerit?* 2. *quid circa oleum ſacrum fuerit agendum?*

R. Ad

R. Ad 1mum. Titius Parochus bene fecit: 31
quia cùm juxta *communem* Doctorum opinionem suprà *de Sacram. in gen. n. 10.* insinuatam, hoc Sacramentum habeat vim, saltem per accidens conferendi gratiam primam, non solùm potuit, sed etiam debuit in tanto periculo, & defectu aliorum Sacramentorum administrari, quatenus infirmus, fortè in statu disgratiæ constitutus, & solùm attritus, hoc mediante recuperaret gratiam primam, & vitam æternam, qui sinè Sacramento incurrisset æternam damnationem. Nec obstat, quòd supponatur repugnâsse, immò & S. oleum excussisse: id enim ex insania & delirio fecisse piè præsumendum est, nec dubitandum quin habitualiter saltem fuerit ità dispositus, ut si nôsset periculum, procul dubio lubens voluisset amplecti hoc quasi unicum aut certè saluberrimum salutis æternæ remedium: atqui juxta constitutionem Ritualis Rom. & Passavienſis *can. 5.* extrema Unctio administranda est etiam illis, qui petîerunt, vel verosimiliter petiîssent: ergo &c. Oportuisset tamen Titium cautiùs procedere, & siquidem prævidisset periculum, curare, ut infirmus ab aliis vel teneretur, vel etiam ligaretur interim, dum Sacramentum administraret, ne oleo sacro tanta fieret irreverentia. Hinc

32 R. Ad 2dum. Oleum ſacrum fuit quàm diligentiſſimè colligendum, & mediante lana bombycina, aut lino mundo in ſacrum vaſculum reponendum, partes verò, ſeu loca illa, quibus erat aſperſum, ſolerter debent vel radi, vel lavari ; idque ob reverentiam olei ſacri, quod quidem lumen naturaliter congenitum, & prudentia facilè dictabunt cuivis fideli Miniſtro.

Dices. Sed quid agendum, ſi oleum reſiduum non ampliùs ſufficeret pro reliquis infirmis per annum ungendis?

33 R. Si aliunde non poſſit obtineri oleum infirmorum, poteſt, ac debet reſiduo affundi & commiſceri aliud, licèt non conſecratum, ſed hoc *in modica quantitate* (ùt loquitur Rituale Rom.) ſic, ut quantitas reſidua olei conſecrati ſemper ſit major, & ſuperet quantitatem olei non conſecrati, quod affunditur (eſto etiam oleum affuſum ſucceſſivè, tandem ſuperaret oleum conſecratum, quod erat reſiduum) Ratio autem eſt: quia per plures additiones ſucceſſivas minores non amittitur benedictio; quin potiùs, cùm ſit prima additio minor, hæc participat benedictionem, & totum illud mixtum manet undequaque benedictum: quô fit, ut dum advenit 2da addirio rurſus in minori quantitate, hæc denuo

parti

participet benedictionem à quantitate olei benedicti præexistentis. Quòd autem hoc licitè fiat, exstat declaratum à S. Congregatione Cardinalium 23. Septemb. 1682. ùt videre est apud Garden. *Cris. Theol. dissert. 2. n. 485.* Unde hæc opinio non subjacet damnationi; cùm sit verè tuta, prout bene docent Card. *l. cit.* Viva *ad propos. 1. ab Innocent. XI. proscriptam n. 26.* Clericatus *decis. 65.* La Croix *l. 6. p. 2. n. 2092.* Secus dicendum de opinione, asserente, etiam una commixtione fieri posse additionem olei non consecrati in majori quantitate, quàm fuerit residuum consecratum: hæc enim non est verè probabilis, multò minùs tuta, propterèaque damnationi obnoxia. Vide *DD. cit.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Capellanus à suo R. D. Decano jussus tempore paschali distribuere olea sacra singulis D. D. Parochis, per errorem vasculum signatum O. I. (id est, Oleum infirmorum) implevit oleo Catechumenorum, proindéque eidem D. Parocho transmisit duo vascula, impleta oleo Catechumenorum, addità tertio vasculo Chrismatis, sinè oleo infirmorum; jam verò erroris à se commissi conscius & certus, angitur, petítque scire, an teneatur hunc errorem corrigere, etiam cum aliquali confusione

propria, an verò possit D. Parochum relinquere in bona fide? Quid respondendum?

34 R. Sempronius graviter obligatur hunc suum errorem corrigere, monendo D. Parochum, eidémque, si habeat, submittendo oleum infirmorum, non obstante aliquali confusione propria indè forsitan emersura. Ratio est hæc; quia juxta probabiliorem Doctorum opinionem nec oleum Catechumenorum, nec Chrisma sufficit ad valorem hujus Sacramenti. Quamvis enim hæc sint oleaab Episcopo benedicta, quia tamen cum diis longè diversis cæremoniis ac benedictionibus consecrantur, hinc probabiliùs specie moali differunt ab oleo infirmorum, quod est materia extremæ Unctionis: qua de causa Cardenas mox *cit. dissert. 2. n. 494.* existimat, opinionem, quæ tenet, unctionem extremam extra casum necessitatis licitè ministrari cum Chrismate, subjacere damnationi, eò quòd per talem praxin Sacramentum reddatur dubium, cum periculo sacrilegii, & animi detrimento spirituali haud exiguo: atqui certum est, famam propriam, præsertim ubi confusio tam est exigua, postponendam esse reverentiæ Sacramenti, & saluti spirituali proximi, qui ex tali errore graviter damnificaretur; ergo Sempronius tenetur &c.

Di-

Dices. Sed quid, si præfatus D. Parochus jam aliquos unxisset oleo Catechumenorum?

R. Non est necessum, ut unctio repetatur; 338
tum quia probabile est, jam valuisse priorem; tum etiam, quia hoc Sacramentum non est usque adeò necessarium; tum denique quia talis Unctio fieri non potest sinè aliquali scandalo aut murmure in Populo. Ita Laym. *l. 5. tr. 8. c. 2 n. 3.* Babenstuber. *tr. 8. p. 6. d 7. a. 2. n. 3.* Cotonius, Diana, & alii plures. Censeo tamen Unctionem repetendam, casu quo infirmus aliud Sacramentum non potuisset suscipere; eò quia in talibus circumstantiis sin minùs absolutè necessaria, certò tamen utilissima evadit, propterèaque apud prudentes non est timendum periculum scandali.

CASUS TERTIUS.

CAjus Presbyter dum nuper infirmum oleo sacro perliniret, ex quadam perplexitate, seu etiam mentis distractione, intermisit unctionem manuum, & dum pervenit ad pedum unctionem, usus est hac formula: per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid per tactum

deliquisti : *qua ratione non nihl anxius quæris, quid sibi tenendum de tali Unctione ?*

36 R. Probabiliter valet, ideóque per se loquendo, non est necessariò repetenda ; tum quia juxta probabilissimam opinionem Scoti & aliorum, Unctio singulorum sensuum non est de necessitate Sacramenti ; tum etiam, quia hoc non est usque adeò necessarium. Nihilominus si Minister talem defectum advertat vel sub ipsa Unctione, vel immediatè pòst, dum adhuc præsens est infirmo, tenetur sub gravi culpa supplere defectum ungendo sensum priùs præteritum seu intermissum ; quia juxta *omnes*, dum fieri facilè potest, Sacramenta debent ritè, completè, & integrè administrari : ergo quemadmodum in aliis Sacramentis debent suppleri defectus, ità & in hoc. Si tamen supponatur Minister jamjam discessisse ab infirmo, & ad eundem tam facilè reverti non posse, opportebit rem committere Deo : nec videtur obligatus cum notabili difficultate ad redeundum, nisi aliud suadeat necessitas aut periculum infirmi in casu, quo is alterius Sacramenti non est capax.

§. III.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

COlliges ex dictis primò, Ministrum gra- 37
viter peccare, qui extra casum necessitatis vel unica solùm uteretur formula, vel unicum solùm inungeret sensum, vel denique Unctionem unius ex quinque sensibus deliberatè intermitteret. Ratio patet : quia talis ageret contra præscriptum Concilii Florentini, & Ritualis Romani, quod secundùm opinionem Clericati *cit. decis. 66. n. 19.* & aliorum, in hoc puncto habet vim legis graviter obligantis. Adde, quòd talis exponat Sacramentum periculo nullitatis.

Dixi tamen : *extra casum necessitatis.* Ete 38
nim in casu, ubi Sacerdos rationabiliter timet, ne infirmus planè decedat priùs, quàm singulas Unctiones perfecerit, præsertim si nullum aliud Sacramentum percepit, potest ac debet uti unica unctione vel solius Capitis, vel plurium quidem sensuum cum unica formula dicendo : *per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, gustum, &c. &c. deliquisti* : melius quippe est, in tanto periculo ministrari Sacramentum quodammodo dubium, quàm omnino nul-

lum.

lum. Mastr. *cit. disp. 6. n. 49.* Frassen. *disp. 3. q. 2. n. 9.* Illsung. *disp. 7. n. 4.*

Dices. Sed quid agendum, si infirmus careat aliquo sensu v. g. visu, aut manibus &c.?

39 R. Juxta præscriptum Ritualis Rom. & Passav, *can. 9.* ungenda est pars corporis hujusmodi sensui proxima, puta, palpebræ, aut brachium. Nec refert, quod v. g. Cæcus à nativitate nunquam potuerit peccare visu, propterèaque forma videatur quodammodo falsificanda &c. Esto enim non potuerit peccare visu exteriori corporis, certè tamen potuit peccare visu mentis, vel potiùs inordinato desiderio videndi, prout post D. Thomam notant Gobat, Laym. Clericatus *decis. 67. n. 10.* aliique plures.

40 Colliges 2dò, Unctionem extremam valere, tametsi Minister non ungeret in modum crucis; item tametsi ungendo non servaret ordinem inter sensus præscriptum. Ratio primi est; quia nec S. Jacobus, nec Concilium Florent aut Trident. ullam faciunt mentionem de efformanda cruce, licèt cæteroquin exactè materiam ac formam hujus Sacramenti descripserint, citra veniale peccatum tamen efformationem crucis intermitti non posse absque necessitate, colligitur ex *cap. Nunquid. de Consecr. dist. 5.* Ratio autem 2di est hæc: quia per inversionem Ordinis inter

Unctio-

Unctiones ſenſuum ab Eccleſia præſcripras non tollitur perfecta & integra ſignificatio Sacramenti. Graviter tamen delinquere talem miniſtrum cenſent Bonacin. *diſp. 7. q. un. punct. 5. n. 20.* Caſtropal. *tr. 26. diſp. un. punct. 3. n. 11.* aliique plures; eo quòd in Materia gravi agat contra conſuetudinem Eccleſiæ,

Colliges 3tiò, invalidam, ideóque repe- 41
tendam fuiſſe Unctionem illam, quam Sacerdos miniſtraverat cuidam mulieri cum hac formula; Indulgeat tibi Deus, quidquid *dereliquiſti.* Ità Gobat. *tr. 8. n. 811.* Clericat. *deciſ. 68. n. 19.* Kazenberger *cit. n. 73.* Ratio eſt: quia vocabulum *dereliquiſti* ſive grammaticaliter ſive moraliter ſpectetur, reddit ſenſum ſubſtantialiter diverſum à vocabulo *deliquiſti*: ubi autem fit mutatio ſubſtantialis, Sacramentum evadit nullum, prout conſtare debet ex dictis de *Sacram. in Gen. n. 7.* ergo &c.

CON-

CONFERENTIA DECIMA.

De Miniſtro, & Subjecto extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

42. Miniſter extremæ Unctionis eſt ſolus Sacerdos.
43. Quilibet Sacerdos eam validè, ſolus tamen Paſtor ſeu Parochus ſuis ſubditis licitè adminiſtrat:
44. Qui etiam ſub gravi culpa ſubditis poſtulantibus tenetur illam adminiſtrare.
45. Quibus cum cæremoniis ſit miniſtranda: Et
46. Quomodo peccet, qui preces vel alias cæremonias negligit?
47. Plures Miniſtri ſimul validè eam adminiſtrarent:
48. Non tamen licitè extra caſum neceſſitatis.
49. Hoc Sacramentum ſolis adultis, graviter decumbentibus, & aliquando perſonaliter lapſis eſt adminiſtrandum.
50. Nec ſæpiùs durante eodem periculo, bene tamen ſi novum ſuperveniat periculum mortis.
51. Per ſe loquendo nullus tenetur extremam Unctionem ſuſcipere.
52. Bene tamen per accidens ſubinde oritur obligatio ſuſcipiendi.

53. Re-

53. Resolvitur Casus I. de Parocho, qui simul vocatus ad baptizandum infantem, & infirmum providendum, bene fecit, priùs properando ad infantem, si is supponatur fuisse in æquali periculo mortis.

54. Non tamen bene feciſſet, si apud infantem nullum aut minùs periculi fuisset timendum.

55. Per se loquendo Parochus non tenetur ministrare extremam Unctionem cum periculo vitæ.

56. Resolvitur Casus II. de Cooperatore, qui, ne sæpiùs cogeretur adire verulam, eidem ministravit extremam Unctionem simul cum viatico, tametsi nullum deprehenderit in ea periculum mortis.

57. Esto non necessarium, congruum tamen est, ut Pastor sæpiùs inviſet ac consoletur oviculam infirmantem.

58. Resolvitur Casus III. de infirmo, qui malè recusavit extremam Unctionem, eò quòd putârit, sibi certò moriendum, si eam admitteret. Unde

59. Non erant audiendi Parentes, postulantes ut D. Parochus hunc infirmum sacrô oleo perliniret, dum actu gravi sopore erat sepultus.

60. Extrema Unctio non est ministranda infantibus, nec perpetuò amentibus.

61. Neque sanis.

62. Neque eidem infirmo sæpiùs in una die.

63. Respondetur cuidam instantiæ ex more Græcorum petitæ.

64. Agentes curam infirmi, seu infirmarii per se loquendo non peccant graviter, tametsi negligant eidem procurare extremam Unctionem.

* * *

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad ritè decidendos Casus practicos de Ministro, & Subjecto extremæ Unctionis.

QUæres primò, quisnam sit Minister extremæ Unctionis?

42 R. Est solus Sacerdos. Ità *omnes Catholici*. Et patet ex Concilio Trid. *ſſ. 14. cap. & can. 4. de extr. unct.* ubi oppositum asserentes anathemate feriuntur. Ratio autem congruentiæ inde desumitur: quia extrema Unctio quodammodo substituitur Sacramento Pœnitentiæ ad obtinendam plenam remissionem peccatorum: ergo convenienter ordinatum fuit à Christo Domino, ut is solùm valeret orare: *Indulgeat tibi Dominus*, qui potest dicere: *Absolvo te*, ait Herincx *disp. 9. n. 27.* atqui solus Sacerdos potest dicere: *Absolvo te*: ergo etiam &c. Hac de causa B. Jacobus voluit, ut inducantur Presbyteri, qui orent super infirmum, ungentes eum oleo.

Quæres 2dò. An quilibet Sacerdos possit hoc Sacramentum administrare?

43 R. Validè quivis potest; quia hæc potestas fundatur in charactere sacerdotali, jurisdictio autem non est de substantia hujus ministerii. Nihilominus solus Pastor animarum, aut

aut alius, habens ab illo licentiam expressam, vel tacitam, vel rationabiliter præsumptam, licitè illud administrat suis Ovibus. Ratio est: quia hoc ministerium spectat ad officium Pastoris: ergo ut licitè fiat, requiritur jurisdictio, sicut in aliis Sacramentis; solus autem Pastor habet jurisdictionem: ergo &c. Datô tamen, quòd Parochus vel non posset, vel etiam nollet administrare, nec alteri dare licentiam, quivis Sacerdos, etiam Religiosus absque peccato aut periculo censuræ hoc ministerium assumeret; quia in tali casu Ecclesia censetur dare licentiam, quippe quæ non vult patrocinari malitiæ Pastoris, aut filios suos tam salubri remedio destitui. Herincx *cit. n. 30.*

Quæres 3tiò, utrum Parochus teneatur suis subditis hoc Sacramentum administrare?

R. Si petant, tenetur vel per se, vel saltem per alium administrare: quia suis Ovibus non solùm de simpliciter necessariis, sed etiam de valdè utilibus, & communiter ministrari solitis mediis ad salutem tenetur providere; ob hujusmodi enim officia præbentur beneficia & stipendia Beneficiatis: atqui extrema Unctio est utilissimum remedium salutis, & hujus administratio reputatur inter communia obsequia Parochianis debita. Ergo. Navarrus, *Man. c. 24. n. 131.* Suarez *disp. 24. sect. 2. n. 1.* 44

Quæres 4tò, quibuscum Cæremoniis sit administranda extrema Unctio?

45 R. Miniſtrari debet cum Cæremoniis in Rituali Diœceſano præſcriptis, nec ab his ſinè neceſſitate recedendum eſt. 1. Itaque Sacerdos debet eſſe indutus ſtolâ & ſuperpelliceo. 2. Debet adhibere vel alium Clericum, vel ſaltem (juxta conſuetudinem jam receptam) Ædituum, aut alium Sæcularem (nunquam tamen fœminam) qui ſibi miniſtret & reſpondeat: quo deficiente poteſt, ac debet ſibimet reſpondere. 3. Debet vel ſolus, vel cum aliis infirmo adſtantibus dicere Pſalmos pœnitentiales cum Litaniis, vel ſi mora non ſuppetat, Pſalmum *Miſerere*, ùt habet Rituale Paſſavienſe. 4. Debet præſtare Unctiones ſecundùm ordinem in Rubricis præſcriptum, ídque pollice dextro priùs intincto, & madente oleô ſacro, modô tamen hominibus accommodato, ità, ut non ungat ipſam pupillam oculi, aut linguam, ſed palpebras, labia &c. Manus etiam Sacerdotum ſunt ungendæ exteriùs; quia interiùs jam ſemel fuerunt unctæ & conſecratæ ab Epiſcopo in Ordinatione, poteſt tamen tempore peſtis, vel alterius contagioſæ infirmitatis, unctio perfici mediante virgula argentea, vel alio conſimili inſtrumento. 5. Denique peracta qualibet Unctione debet Miniſter ſenſum inunctum, vel potiùs oleum ſacrum abſtergere lanâ bombycina, vel alia ſimili materia munda, hanc verò poſtmodum comburere, & cineres projicere in Sacrarium, ùt habet Rituale Rom.

Rom. & communiter monent DD. Saa. Laym. *ubi suprà c. 8. n. 3.* Castropal. *tr. 26. punct. 8. à n. 11.* Kazenberger *in Supplement. P. Sporer. cit. c. 2. sect. 4. n. 118.*

Dices. Sed quomodo peccat, qui præfatas Cæremonias omittit?

R. 1. Qui sinè sacris vestibus eam ministrat, 46
peccat mortaliter, juxta Suarez, Baldum, Bonacin. Palaum & alios *communiter*. In casu tamen necessitatis, ubi ægrotus aliud Sacramentum non suscepisset, nec Sacerdos ad manus habet vestes sacras, ego cum P. Gobat, *Theol. exper. tr. 8. n. 928.* non dubitarem, esse ministrandam sinè vestibus sacris. 2. Similiter peccati mortalis reatum incurrit Sacerdos, qui omnes preces in Rituali præscriptas, tam præcedentes, quàm etiam subsequentes unctionem sinè necessitate omitteret. Ità Tambur. *l. 6. c. 1. §. 4.* Bonacin. *disp. 7. q. un. pun. ult. n. 7.* Palao *cit.* & alii, at verò solos Psalmos pœnitentiales vel Lytanias, etiam extra casum necessitatis omittere, non est, nisi veniale peccatum, secundùm opinionem Gobat *cit. n. 924.* & aliorum, 3. Nec gravius videtur delinquere, qui alium ministrum non adhibet. Quomodo autem peccet, qui intermittit unctionem unius, vel etiam plurium sensuum, diximus mox superiùs *n. 37.*

Digitized by Google

Quæres 5tò, An hoc Sacramentum valeat miniſtrari à pluribus ſimul, ità, ut unus hunc, alius alium ſenſum ungat?

47 R. Probabiliter quidem valeret, extra caſum tamen neceſſitatis mortaliter peccarent ſimul miniſtrandô. Ità *omnes.* Ratio primi eſt: quia hoc Sacramentum non eſt quid unum indiviſibile, ſed potiùs aggregatum ex pluribus unctionibus, ità, ut ſingulis ſua correſpondeat forma: ergo quemadmodum Evchariſtia ſub utráque ſpecie poteſt conſecrari à diverſis miniſtris, quorum unus panem, alter conſecret calicem; ità & Sacramentum extremæ Unctionis à diverſis ſimul confici valet &c. Ratio autem 2di eſt: quia juxta Trident. *de Sacram. can. 13.* non eſt licitum in adminiſtratione Sacramentorum recedere à Ritu ab Eccleſia approbato: Ritus autem Eccleſiæ fert, ut hoc Sacramentum ab uno ſolo Miniſtro, non verò à pluribus ſimul miniſtretur. Adde, à multis dubitari, an valeat miniſtratum à pluribus ſimul: ergo hôc modo Sacramentum exponeretur periculo nullitatis: atqui hoc extra caſum neceſſitatis ſemper eſt mortaliter illicitum: ergo &c. Herincx *diſp. 9. n. 34.* Boſco *part. 4. diſp. 9. ſect. 2. n. 39.*

48 Dixi: *extra caſum neceſſitatis.* Duos etenim Caſus DD. communiter excipiunt, ùt videre licet apud Maſtr. Clericat. *deciſ. 70.* & alios paſſim. Primus eſt: Si Sacerdos poſt unctionem unius vel alterius ſenſus ſubitò moreretur,

tur, tunc alius ob integritatem Sacramenti deberet ſupplere reliquas, non tamen repetere jam factas. 2dus caſus eſt: ſi infirmus credatur priùs moriturus, quàm unus Miniſter compleat omnes unctiones. Cenſent tamen Diana, Gobat *cit. n. 877.* aliíque multi, conſultius eſſe, ut in hoc caſu unus idémque Sacerdos velociùs perliniat ſingulos ſenſus cum hac formula: *per iſtas ſanctas* Unctiones *indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum, auditum &c. deliquiſti &c.* Quod vel maximè obſervandum, & practicandum erit, caſu quo non, niſi unicus Sacerdos infirmo aſſiſtit, prout regulariter fieri aſſolet in Eccleſia Latina.

Quæres 6tò, quibusnam hoc Sacramentum ſit adminiſtrandum?

R. Eſt adminiſtrandum ſolis adultis, gra- 49
viter decumbentibus, qui aliquando perſonaliter peccârunt, vel ſaltem creduntur peccâſſe. Ità cum *communi* DD. Scot. *4. d. 23. §. de ſecunda* Boſc. *cit.* Fraſſen, Herincx, Babenſt. & alii. Conſtat etiam tum ex Conciliis, tum etiam ex Ritualibus, & perpetua Eccleſiæ praxi. Rationem congruentiæ inſinuavimus ſuprà *n. 23.* quia videlicet extrema Unctio eſt quodammodo ſupplementum Sacramenti Pœnitentiæ, & per ſe inſtituta ad remittenda finaliter peccata venialia, & tollendas peccatorum reliquias: ergo illis ſolùm debet adminiſtrari, qui prudenter creduntur aliquando peccâſſe perſonaliter. Hac de cauſa Doctores probabi-

lius existimant, hoc Sacramentum nunquam fuisse ministratum B. Virgini, ùt videri potest apud Clericat. *decis. 78.* Illsung. *tr. 6. disp. 7. n. 13. & alios.*

Quæres 7 timò, possitnè hoc Sacramentum sæpiùs administrari eidem infirmo?

50 R. Durante eodem periculo mortis illicitè administraretur: superveniente tamen novo periculo, sive ex eadem, sive ex alia infirmitate, licitè iteratur, & toties quidem, quoties novum, moraliter interruptum, supervenit periculum. Ità Doctores *satis communiter*, D. Bonavent *4. dist. 33. p. 2. q. 4.* Maltr. Gobat &c. Et habetur clarè decisum in Concil. Florent. & Trid. *de extr. unctione cap. 3.* item in Catechism. Rom. *§. 11.* Disposuit autem sapienter Christus, ut durante eodem periculo semel tantùm ministraretur hoc Sacramentum, ut scilicet infirmus hoc inaudiens, majori cum devotione & spiritûs fervore ad hujus susceptionem sese præparet: similiter congruè videtur dispositum, ut superveniente novo periculo posset iterari; quia hoc Sacramentum non tam respicit infirmitatem, quàm infirmitatis periculum sublevandum: ergo si novum instet periculum, infirmus de novo est armandus ad luctam. Necessum tamen minimè est, prout sapienter advertit noster Herincx *cit. n. 51.* ut infirmus plenè recuperet sanitatem, & denuò incidat in simile periculum, sed satis est, jam de novo instare periculum; quin immò, tametsi antiquum

peri-

periculum, non tamen ità urgens, cum antiqua ægritudine perſeveret (ùt frequenter accidit in Aſtmaticis, Hydropicis, Phthiſicis, in quibus perſeverante radice ægritudinis, ſæpe notabiliter variatur ſtatus morbi, ut modò extra periculum videantur, mox iterum in periculo mortis) accedente novo periculo poſſunt denuo inungi absque ſcrupulo, idque ob rationem proximè datam. Vide Rituale Paſſav. *can. 6.*

Quæres 8vò, utrum Fideles teneantur ſuſcipere extremam Unctionem?

R. Per ſe loquendò nullus tenetur; cùm nulibi oſtendi queat præceptum graviter obligans. Deinde hoc Sacramentum non tam eſt neceſſarium, quàm utile: at hôc ipſo non videtur graviter delinquere, qui illud negligit, tametſi haberet occaſionem commodam, modò id non faciat ex contemptu: ergo. Meritò tamen Doctores talem condemnant peccati ſaltem venialis contra charitatem erga ſe ipſum, eò quòd videatur quodammodo incurius, aut certè minùs ſollicitus de ſua ſalute. §1

Dictum fuit: *Per ſe loquendo nullus tenetur &c.* §2 Per accidens enim poteſt oriri obligatio in duobus præcipuè caſibus. 1. Si ex tali neglectu magnum oriretur ſcandalum in populo, prout facilè contingere poſſet, ſi Parochus ipſe, vel alia perſona ſacra hoc recuſaret. 2. Si infirmus conſtitutus in ſtatu peccati mortalis, non poſſet amplius confiteri, nec ſacram Synaxim ſuſci-

ſuſcipere. Ità cum aliis pluribus Clericatus *deciſ. 81. n. 23. & 24.* Quamvis hic ultimus Caſus vix unquam poſſit contingere in praxi, prout bene notant Suarez & Boſco *cit. diſp. 9. ſect. 3. n. 155.*

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici de Miniſtro, & ſubjecto extremæ Unctionis.

CASUS PRIMUS.

Titius animarum Paſtor eodem tempore poſtulabatur ad infirmum extremè decumbentem, & ad baptizandum infantem, ad quem etiam mox properavit, poſtpoſitô infirmo; tum quia is erat pauperculus, nec potens premere pollicem, tum etiam quia longiùs diſtabat; tum denique quia apud hunc timendum erat periculum infectionis. Unde contigit, ut infirmus planè decederet ſine conſuetis Eccleſiæ Sacramentis. Quæritur jam, an Titius bene fecerit?

53 R. 1. Si infans ſupponatur fuiſſe in æquali periculo, nec ab alio baptizari potui, ita, ut fuerit timendum, ne moreretur ſinè Baptiſmate, Titius bene fecit, properando priùs ad infantem: ſiquidem ordinata charitas poſtulat, ut cæteris paribus priùs ſuccurramus magìs indigenti: atqui ope Paſtoris magìs indiguit infans, quippe qui ſe ipſum nul-

lo

lo modô juvare potuit, fortè nec ab alio juvari: econtra infirmus potuit ſe ipſum juvare, per actum contritionis, vel amoris Dei ſuper omnia: ergo &c.

R. Tamen 2dò. Suppoſitô, quòd apud infantem non fuerit timendum periculum ſalutis, Titius malè fecit, & per ſe loquendô peccavit mortaliter, negligendo infirmum. Neque ipſum excuſat periculum infectionis, multò minùs inopia infirmi, vi cujus non erat ſolvendo; certum quippe & exploratum videtur, Paſtores animarum etiam cum periculo vitæ propriæ teneri ad adminiſtranda ſuis ſubditis Sacramenta neceſſaria, utì eſt Sacramentum pœnitentiæ, præſertim in articulo mortis: in hunc ſanè finem conducuntur, & ob hujuscemodi officia ipſis conferuntur beneficia, prout communiſſimè tenent DD. La Croix, ubi ſuprà *n. 2112.* Gabriel, Nugnus, Sylv. quos refert, & ſequitur Clericatus *deciſ. 71. n. 17.* ergo non obſtante periculo infectionis Titius tenebatur &c. §4

Dixi tamen: *Sacramenta neceſſaria &c.* ſatis etenim probabile eſt, Parochos, aliósque animarum Paſtores nec ex juſtitia, nec ex charitate teneri cum certo, aut certè rationabiliter præſumpto periculo vitæ, ſubditis ſuis adminiſtrare Sacramenta non neceſſaria ad ſalutem; quare cùm extrema Unctio non ſit Sacramentum neceſſitatis, dicendum, quòd §5

ob hanc ſolam miniſtrandam Titius ſtante tali periculo non fuerit graviter obligatus properare ad infirmum, modò is ſupponatur jam fuiſſe confeſſus, & ſacro Viatico refectus, nec aliunde conſtet, quòd denuo inciderit in peccatum mortale. Amicus, Palao, Gobat *à n. 902.* Cleric. *n. 20.* Maſtrius, *4. diſp. 6. n. 144. & 145.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Cooperator vocatus ad vetulam quandam annorum pondere potiùs, quàm infirmitate gravatam ac decumbentem, cum abſolutione unà ſimul SS. Euchariſtiam eidem impertivit. Quia verò ſat longo itinere diſtabat ab Eccleſia; hinc ne eaſdem ſæpiùs cogeretur metiri vias, etiam extremam unctionem adminiſtravit, quamvis nullum prorſus indicium mortis potuerit deprehendere in illa. Jam verò dubitat, an bene fecerit?

56 R. Eſto etiam Sempronius nullum in Vetula mortis indicium deprehenderit, nihilominus extremam Unctionem licitè eidem adminiſtrare potuit, tum quia juxta commune adagium ſenectus ipſa eſt morbus, propterèaque nimio annorum pondere gravati in continuo mortis periculo verſantur. Profectò multiplici experientia conſtat, multos ſolo ſeniô confectos exſpirâſſe, tum etiam, quia ut hoc Sacramentum licitè adminiſtretur, ſufficit adeſſe probabile mortis periculum, nec requi-

quiritur omnino certum : multò minùs differendum eſt usque ad extremum quaſi halitum infirmi, eò præſertim, quòd hoc Sacramentum ſit ſecundariò ſaltem inſtitutum, ut alleviet infirmum. Hinc non ſolùm Rituale Rom. ſed & Concilium Mediolanenſe IV. expreſsè præſcribit, ut ſeniô confectis præbeatur hoc Sacramentum, *licèt non ſint ægroti* : ergo cùm aliunde ſupponatur, Vetulam hanc longiùs ab Eccleſia diſſitam fuiſſe, Sempronius minimè culpandus videtur ex ſuo facto. Vid. Herincx *cit. n. 41.* Gobat. *n. 852.* Kazenberg. *c. 2. n. 99.*

57 Cæterùm, quamvis per ſe loquendô nulla ſit obligatio ſæpiùs inviſendi infirmum poſteaquam is SS. Eccleſiæ Sacramentis ſemel ritè ſuit munitus ; condecens tamen, & paſtorali ſollicitudini valde congruum eſſe, nemo eſt, qui ambigat, vel non videat. Hinc Rubricæ Ritualis Paſſav. monent, ut meminerint Paſtores, infirmos ſuos poſt adminiſtrationem hujus Sacramenti (ſcilicet extremæ Unctionis) ſubinde viſitare, & conſolari in Domino, in eo enim vel maximè temporis articulo partes boni Paſtoris, zelosíque animarum Curatoris exigunt, ut ſit charitate inflammatus, firmatus conſtantiâ, in fervore circumſpectus, invictus in labore, ait Celſiſſimus noſter JOSEPHUS DOMINICUS Princeps & Epiſcopus Paſſav. in ſua, auro, cedróque digniſſima Epiſtola paſtorali *§. 5. de Proviſ. infirm.*

CA-

CASUS TERTIUS.

CAjus graviter decumbens, renuit ſuſcipere extremam Unctionem, quiâ certò credit, ſibi moriendum fore, ſi hanc admitteret. Cùm verò evidenter conſtet hanc Caji reſiſtentiam ſolùm oriri ex ſiniſtra perſuaſione; hinc Parentes inſtantiſſimè petunt & rogant D. Parochum, quatenus filio ſuo Cajo dignaretur adminiſtrare extremam Unctionem, dum gravi ſopore ſepultus quodammodo teneretur. Quæritur ergo 1. Utrum Cajus peccet, recuſandô hoc Sacrameotum? 2. An Parentes ſint audiendi?

§8 R. Ad 1mum, Cajus peccat graviter, non quidem contra præceptum de ſuſcipienda extrema Unctione: cùm nullum exſtet, ſecundùm dicta *n. 41.* ſed potiús contra fidei veritatem, credendô ſiniſtrè, hoc Sacramentum vergere in mortem. Non tamen peccaret graviter reſpuendô hoc Sacramentum ideò, quòd crederet, poſt hujus ſuſceptionem ſibi non ampliùs fore licitum ducere choreas, vel pedibus nudis terram contingere, aut induere calceos &c. prout teſte Gobat *cit. n. 818.* nonnulli ineptè fecerunt; quia talis error non eſt tam pernicioſus, nec reverentiæ ſacramenti, aut veræ fidei contrarius, utì prior. La Croix ubi ſuprà *ni 2118.* Clericatus *deciſ. 81. n. 31.* rectè monens, Parochis, vel etiam Confeſſariis incumbere, ut ponderoſis ſermonibus hujusmodi aniles fabulas, & ſiniſtras, vel omnino perverſas

las existimationes infirmis eximant, eosdémque ad fructuosam susceptionem disponere satagant.

R. Ad 2dum, non fuisse audiendos Parentes, sed potiùs conandum Parocho, ut suaviter disponeret Cajum ad voluntariam susceptionem hujus Sacramenti; quod quidem meô judicio, haud difficulter obtinebit, si Cajus sit homo bonæ voluntatis: sin autem supponatur homo perversus, & suæ salutis incurius, qui nec DEI monita, nec salutaria D. Parochi consilia audire vult, profectò exiguum perciperet fructum, tametsi eidem gravi sopore obruto administraretur hoc Sacramentum. Vid. *DD. mox citt.* 59

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

COlliges primò, hoc Sacramentum non esse administrandum infantibus, usum rationis nunquam adeptis, nec perpetuò amentibus; quia de talibus supponi nequit, quòd unquam peccaverint personaliter. Et licèt nonnulli probabile censeant, Sacramentum valere etiam infantibus ministratum; eò quòd saltem augmentum gratiæ inde capere queant, id tamen practicandum nunquam est; tum quia praxis seu consuetudo Ecclesiæ repugnat, tum 60

tum etiam quia in hoc Rituali Paſſavienſi *can. 3. de extr. Uncti on.* expreſsè interdicitur. Quo non obſtante miniſtrari poteſt ac debet temporaliter tantùm amentibus, ſicut & Puellis, aut Pueris, qui aliquando uſi ſunt ratione, eſto nunquam ſumpſerint ſacram Synaxin. Vid. Rituale *l. cit.*

61 Colliges 2dò, extremam Unctionem non eſſe adminiſtrandam ſanis. Ratio deſumitur tum ex fine primario hujus Sacramenti, qui eſt remiſſio peccatorum venialium finaliter reſtantium, & alleviatio *infirmi;* tum etiam quia B. Jacobus Apoſtolus id ſatis innuit, dum ait: *Infirmatur quis ex vobis &c. &c.* Nec ſufficit quæcunque infirmitas, ſed debet eſſe gravis, ità, ut infirmo timeatur de morte, prout expreſsè docent Concil. Florent. ac Trident. *hìc c. 3.* Hinc juxta præſcriptum Rit. Paſſav. *can. 2.* & *communem* DD. ſententiam, ſacrô oleo liniendi non ſunt milites prælium mox ingreſſuri, nec malefactores ad furcam vel Rotam &c. damnati: quia tales revera infirmi non ſunt. Poſſet tamen illis miniſtrari, ſi jam fuiſſent lethaliter vulnerari; qua ratione poteſt inungi, qui ſumptô veneno mortem exſpectat; item Puerpera, è qua fœtus eſt extrahendus, vel cui ob ſpecialem rationem timetur mors in partu. Ità cum aliis pluribus la Croix *cit. n. 2108.*

Col-

Colliges 3tiò, hoc Sacramentum non eſſe 62
ſæpiùs miniſtrandum in una, eadémque die eidem infirmo, ſed interponendam eſſe notabilem temporis moram, quatenus conſtet, periculum mortis in infirmo verè renovatum fuiſſe. Et certè eundem infirmum ſæpiùs in una eadémque die inungere, foret contra receptam Eccleſiæ praxin. Utrum autem ſufficiat intervallum unius hebdomadæ, diſputant DD. putátque Barboſa *de officio & pot. Paroch. c. 22. n. 28.* apud Gobat *n. 889.* ſufficere, eò quia intra tantum temporis ſpatium judiciô Medicorum conſtare poteſt, infirmum incidiſſe novum periculum, qui ante octiduum videbatur evaſiſſe. Nec ego de hoc dubito, præſertim ſi novum, à priori diſtinctum periculum ſuperveniat, utputa dum v. g. Hydropicus vel Phthiſicus ſubitaneo lapſu, aut alio ſimili caſu lethaliter vulneratur. Vid. Kazenberget *cit. c. 2. n. 111. & 112.*

Dices. Græci ſæpiùs ungunt ſuos infirmos, **tametſi novum non incidant periculum: ergo neceſſum non eſt, ut novum periculum exſpectetur.**

R. Neg. conſ. Nam illas Græcorum unctio- 63
nes (ſi tamen ſupponantur adhiberi velut ſacramentales) Herincx *cit. n. 50.* meritò nominat abuſus. Pignatelli tamen, Clericatus *deciſ. 79. n. 16.* aliíque multi exiſtimant, Græcos

cos hiſce Unctionibus non ſemper uti veluti habentibus vim Sacramenti, ſed velut quibusdam ritibus, habentibus virtutem expiandi peccata venialia, ſicut nos utimur aquâ luſtrali; quod vel inde patet, quia etiam ſanos inungere conſueverunt.

64 Colliges 4tò, eos, qui curam infirmorum gerunt, non peccare mortaliter, licèt absque rationabili cauſa extremam Unctionem illis procurare intermittant, dummodo abſit contemptus, vel grave ſcandalum, vel caſus extraordinarius neceſſitatis, ubi nimirùm infirmus hujus Sacramenti capax, aliud ante vitæ ſuæ finem non poteſt ſuſcipere. Ità Laym. *l. 5. tr. 8. c. 7. n. 2.* Babenſtuber *tr. 8. p. 6. d. 7. a. 1. n. 5.* Ratio eſt: quia ſicut infirmus ipſe hoc Sacramentum ſinè peccato mortali poteſt non ſuſcipere; ità curam ejus gerentes poſſunt ſinè mortali peccato id illi non procurare; quod tamen nequaquam intelligendum eſt de Parocho negligente infirmum: huic enim non eſt liberum, miniſtrare Sacramenta, vel non miniſtrare ſubditis rationabiliter petentibus, ſed tenetur ſub gravi peccato illis ſuccurrere, ſi petant, ídque ob rationem ſuprà *n. 44.* datam.

CON-

CONFERENTIA UNDECIMA.

DE

Inſtitutione SS. Sacramenti Evchariſtiæ, ejusdémque materia.

SUMMARIUM.

1. Evchariſtiæ Sacramentum quid ſit?
2. Eſt inſtitutum à Chriſto Domino in ultima Cœna.
3. Eſt etiam unum unitate integritatis, non ſimplicitatis.
4. Materia, ex qua conficitur, eſt panis triticeus uſualis, & vinum de vite.
5. Quinam cenſeatur panis verè triticeus in noſtra Patria?
6. Et quid de pane ſiligineo tenendum?
7. Panis uſualis debet eſſe confectus ex aqua naturali, & igne toſtus, atque azymus in Eccleſia latina.
8. Ad validam conſecrationem calicis ſufficit quodcunque vinum de vite, non item ad licitam.
9. Sufficit etiam vinum miraculosè productum ex aqua.
10. Vino conſecrandò in ipſo Sacrificio ex præcepto Eccleſiæ commiſcenda eſt modica aqua naturalis.

11. Quæ probabiliùs mediatè ſolùm convertitur in ſanguinem Chriſti vi conſecrationis.

12. Reſolvitur Caſus I. de Sacerdote, qui hoſtias fieri curavit partim ex tritico, partim etiam ex Siligine, propterea minùs laudandus.

13. Idipſum etiam à fortiori tenendum de hoſtiis ex mero ſiligine confectis.

14 Et quid, ſi cum tritico pauca ſolùm grana ſiliginea ſint commolita.

15. In caſu neceſſitatis, an fas ſit conſecrare hoſtiam minorem, vel panem fermentatum.

16. Reſolvitur Caſus II. de Sacerdote, qui perveniens ad conſecrationem, advertit vinum aceſcere, & in congelationem vergere.

17 Modica congelatio non eſt multùm curanda.

18 Et quid ſi vinum inveniatur ità alteratum, ut dubitare liceat, ſitnè adhuc vinum, vel verò acetum?

19. Reſolvitur Caſus III. de Sacerdote, qui ſemel conſecravit vinum nimis lymphatum, id eſt, aquâ nimia permixtum.

20. Alia vice conſecravit vinum, dubitans an guttula aquæ calici immiſſa verè fuerit eidem commixta.

21 Quantum aquæ ſit affundendum vino, ut cenſeatur modicum.

22 Ad dignoſcendum panem verè conſecrabilem vel maximè attendendus eſt uſus Religionis & Populi, an ſcilicet, vel qualem panem habeat pro triticeo atque uſuali.

23. Referuntur aliquot panes non uſuales, ceu materiæ certò ineptæ ad conſecrandum corpus Domini.

24 Item aliæ certò ineptæ ad conſecrandum Sanguinem.

25. Suc-

25 Succus ex uvis immaturis expressus, seu mustum, sicut & vinum congelatum sunt materia valida, non item licita consecrationis.

26. Satisfit cuidam instantiæ in contrarium.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad resolvendos Casus practicos de materia Evchariſtiæ.

QUæres primò, quid sit Sacramentum Evchariſtiæ?

R. Est Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi veraciter contenti sub speciebus panis & vini consecratis, ad spiritualem animæ refectionem. Ita *communissimè* DD. Idipsum docet Scotus *4. d. 8. q. 1.* etsi paulò aliis verbis.

Dicitur autem hoc Sacramentum *Evchariſtia* (quod græcô vocabulo idem significat, ac *bona gratia*, vel *gratiarum actio*) quia hoc Sacramentum est signum sensibile Christi Domini, qui ceu fons & origo totius gratiæ sub ipso realiter continetur: quam ob causam etiam

omnium aliorum Sacramentorum dignissimum meritò reputatur ab universali Ecclesiâ, veluti tradit Concilium Tridentinum *SS. 3. de Eucharistia. c. 3.*

Quæres secundò, quandonam hoc Sacramentum fuerit institutum, & à quo?

2 R. Fuit ab ipso Christo Domino immediatè institutum in ultima Cœna; nam ibi Christus consecravit corpus & sanguinem suum, consecratúmque sub speciebus panis & vini distribuit Apostolis, mandans, ut idem facerent in sui commemorationem, prout habetur Math. *c. 26.* Marci 14. Luc. 22. *1. Cor. 11.* itémque ex Concil. Trid. *l. cit c. 2.*

Quæres tertiò, sitnè Sacramentum Evchariſtiæ unum, vel plura?

3 R. Est unum, non quidem unitate simplicitatis & indivisibilitatis, sed unitate integritatis, atque perfectionis; quô non obstante dici potest, ac debet multiplex numerô, juxta multiplicationem ac pluralitatem numericam specierum consecratarum. Ità Doctor subt. *4. d. 8. q. 1.* quem sequitur Mastrius 4. *Disp. 8 à n. 65.* alíque Scotistæ communiter contra nonnullos alios. Ratio prioris est hæc: quia, si non esset unum, sed plura Sacramenta, necessariò fatendum foret, dari plura, quàm septem Sacramenta N. L. quod repugnat fidei, & definitioni Concilii Trid. *SS. 7. can. 7.* Quod autem sit unum, unitate integritatis tantùm,

&c

& non indivisibilitatis, inde patet: quia Eucharistiæ Sacramentum constat pluribus partibus, speciebus scilicet panis ac vini, à se utique divisibilibus, atque separabilibus: quia tamen utraque species per modum convivii ordinatur ad unam totalem refectionem spiritualem animæ; hinc bene dicitur esse unum unitate integritatis. Ratio autem posterioris est hæc: quia Sacramentum Eucharistiæ non est solum corpus & sanguis Christi (quod utique est unum numero duntaxat) sed ipsæ species consecratæ, quatenus sunt signum sensibile corporis & sanguinis Christi, realiter sub eisdem contenti, constituunt Sacramentum Eucharistiæ: atqui species panis ac vini multiplicantur numerô: ergo etiam numerô multiplicatur Sacramentum hoc. Verùm plura de his discutienda relinquimus Scholasticis, nobis enim moralia duntaxat sectari præfixum est.

Quæres quartò, Quænam sit materia hujus Sacramenti?

R. Materia ex qua fit & consecratur Sacramentum Eucharistiæ, est panis triticeus usualis, & vinum de vite. Ita *communiter* omnes Catholici, & habetur expressum in Concilio Florentino *decreto unionis.* Ratio congruentiæ inde desumitur: quia hæc duo sunt aptissima ad significandam integram refectionem animæ, simúlque solus panis triticeus ab omnibus habetur pro vero pane, & propterea communiter solet adhiberi ad reficiendas corporis vires.

4

5 Dictum fuit: *panis triticeus usualis*: qualis in hac noſtra patria indubitanter habetur is, qui conficitur ex illa ſpecie frumenti, quam germanico ideomate communiter appellare ſolemus Waitzen, Feſen, oder Kehrn, Ratio eſt: quia hæc ſpecies frumenti verè dicitur triticum, ex quo optimus, & uſitatiſſimus panis confi itur: ergo.

Dices: Etiam ex ſiligine, id eſt, Korn oder Rocken, uti appellant Germani, conficitur panis uſualis: ergo etiam hic ſufficit ad conſecrationem.

6 R. D.ſting. illatum, Ergo hic ſufficit ad conſecrationem validam, trans. ad conſecrationem etiam licitam, neg. Conſ. Etſi enim hic panis in Germania noſtra ſatis ſit uſualis, etiam inter homines melioris conditionis; nihilominus multi exſtimant, hunc panem, ex ſiligine ſcilicet confectum, non eſſe triticeum, idéoque nec ſimpliciter uſualem, ſed ſolùm uſurpari ab hominibus in defectum triticei, ac verè uſualis, ſicut ſubinde pauperiores ob eundem defectum uſurpant panem ex hordeo vel aliis leguminibus confectum; hinc res manet quodammodo dubia, aut ſaltem controverſa: atqui reverentia hujus auguſtiſſimi Sacramenti poſtulat, ut nunquam conficiatur, niſi ex materia certa, ſeu certò ſufficiente ad valorem: ergo ſolus panis ex tritico vulgo Waitzen, non item ex ſiligine, ſeu Korn, confectus adhiberi debet, ac poteſt licitè. Videatur Tanne-

rus

rus tom. 4. disp. 5. dub. 3. n. 102. Gobat, theolog experim. tr 3. n. 29. Laymann. l. 5. tr. 4. c. 2. Sporer Theol. Sacram. p. 2. c. 3. à n. 137.

Porro, ut panis triticeus validè ac licitè 7
consecretur, necessariò debet esse confectus ex aqua naturali, & igne tostus, atque substantialiter incorruptus, nec non 2. azymus in Ecclesia talrem latina. Ità DD. citt. aliíque communissimi, Ratio prioris est: quia sola farina non dicitur panis, nisi sit aqua naturali confecta, & igne tosta: enimverò massa farinacea confecta ex aqua rosacea, oleo, butyro, vino, aut alio liquore &c. jam non ampliùs censetur panis, sed potiùs placenta, vel aliud quid simile: consequenter talis materia invalidè simul & illicitè consecraretur. Ratio autem secundi desumitur ex Concilio Florentino, in quo statuitur, ut Sacerdotes latini in azymo tantùmconsecrent, Græci verò in fermentato; uterque enim panis sufficit ad valorem. Quo non obstante græci peregrinantes inter latinos, ubinon habent propriam Ecclesiam, licitè se conformant Ecclesiæ latinæ, consecrando in azymo, :sto ad hoc non sint obligati absolutè, idemmet viciſſim dicendum de Sacerdotibus latinis forè peregrinantibus inter græcos, Ratio hujus inter Theologos satis receptæ opinionis est quia quilibet peregrinus licitè se accommodat particularibus institutis cujusque Ecclesiæ probatæ, licèt per se loquendo (se

cluso scilicet contemptu & scandalo) ad hoc non teneatur. Reiffenstuel *cit. dist. 4. n. 17.*

Quæres quintò, quale vinum sit materia consecrationis?

8 R. Ad validam consecrationem sufficit omne vinum de vite, uvis scilicet maturis expressum, & substantialiter incorruptum, cujuscunque demum speciei sit aut coloris: ut tamen licitè consecretur, debet vinum esse simplex, purum, & perfectum. Ratio prioris est: quia omne & solum vinum de vite habet (juxta communissimam hominum opinionem) veram rationem & substantiam vini, nec ullibi constat Christum D. unam potiùs speciem præ alia instituisse aut demandâsse: ergo ad valorem sufficit omne & solum vinum de vite, modo supponatur substantialiter incorruptum. Ratio autem posterioris est: quia cùm hoc Sacramentum sit omnium dignissimum, utpotè continens Deum ipsum velut Auctorem & fontem omnis puritatis, omnino condecens est, ut ex materia, quantum fieri potest, purissima, aut certè defæcata conficiatur. Unde Herincx noster *part. 4. tr. 3. disp. 2. n. 27.* rectè ait, graviter peccari posse consecrando ut in pane, ita & in vino minùs puro, propterèque culpandos esse quosdam Sacerdotes ha in re incurios, dum hostias à vermiculis turpiter corrosas aut fœdatas, vinum fœcibus infectum &c. adhibent. Videatur de hoc Gobat. *tract. 3. n. 24. & seqq.*

Di-

Dices: Vinum miraculosè productum ex aqua, quale fuit illud in nuptiis Chananæis à Christo productum, juxta communem DD. reputatur pro materia valida consecrationis: atqui non est vinum de vite: ergo.

R. Conc. Maj. dist. min. non est vinum de vi- 9
te quoad modum producendi, id est, non est eo-
dem modo productum, quô producitur vinum
de vite, concedo non est vinum de vite quoad
substantiam, id est, habens veram substantiam
vini, æque ac illud à vite productum, neg.
min. cum conseq.

Quæres sextò, an, vel qua necessitate vino consecrando commiscenda sit aqua in sacrificio Missæ?

R. Est necessariò admiscenda aqua modica 10
naturalis, non quidem necessitate sacramenti,
quippe quod validè saltem conficeretur sinè
admixtione aquæ, sed necessitate præcepti Ec-
clesiastici, Ità cum *communissima* DD. Scotus.
Constat etiam satis tum ex Concilio Florent.
in Decreto de Armenis; tum etiam ex Triden-
tino *SS. 22. c. 7.* ubi dicitur, *præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice of-
ferendo miscerent;* ubi idem Concilium hujus
constitutionis mox subdit triplicem rationem
congruentiæ, tum 1. quòd Christum Domi-
num ità fecisse credatur; tum quòd de latere
ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sa-
cramentum seu mysterium hìc recolitur. Et 3.
cùm *Aqua* in Apocalypsi B. Joannis *populi* di-

cantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

Quæres adhuc septimò, Utrum aqua immediatè, vel verò mediatè duntaxat vi consecrationis convertatur in sanguinem Christi?

11 R. Ad hanc quæstionem speculativam cum communi SS. & TT, contra Recentiores probabiliùs aquam vino mixtam mediatè tantùm, quatenùs scilicet priùs conversa in vinum, & non immediatè converti in sanguinem vi consecrationis. Ratio potissima hujus opinionis videtur esse hæc: quia sola materia calicis convertitur in sanguinem: atqui materia calicis est vinum, non verò aqua; secus enim ambæ species essent seorsim consecrabiles: ergo aqua probabiliùs non est immediatè, sed mediatè duntaxat consecrabilis. Et certè juxta Trident. *SS. 13. can. 2.* facta conversione panis in corpus & vini in sanguinem remanent duntaxat species panis & vini: ergo juxta Concilium *cit.* sanguis Christi non continetur sub speciebus aquæ necdum conversæ in vinum; secus enim non remanerent solæ species panis & vini,

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de materia Eucharistiæ.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos, utpote provisus valde tenui beneficio, molendari curavit grana partim ex

ex tritico, partim verò ex siligine, id est, (secundùm usum & intellectum communem Patriæ nostræ) theils aus Weitzen, theils auch aus Korn oder Rocken, *& ex iisdem jussit fieri panem pro se suáque tenui familia, simúlque confici hostias, quibus in sacrificio Missæ uteretur ad consecrandum corpus Domini. Jam vero dubitat, an propterea graviter peccaverit? Quid respondendum?*

R. Non videtur condemnandus alicujus gravis noxæ, etsi propterea pariter nec in minimo sit laudandus. Ratio est: quia panis confectus ex granis partim triticeis partim verò siligineis in hac nostra Patria, Germania scilicet, indubitanter habetur pro pane usuali, & à multis etiam Nobilibus usurpatur. Certè Doctores Germani, utí Dicastillo, Tannerus, Gobat, Sporer, Reiffenstuel & alii probabilissimum censent, ex solo siligine, id est, Korn in nostra Germania confici verum panem usualem: quidni ergo à fortiori talis conficiatur ex siligine, cui media pars de tritico fuit commixta? atqui panis verè usualis indubitanter est materia consecrationis: ergo. Nihilominus quia iidem Doctores Germani, úti videre est apud Gobat. *tr. 3. à. n. 29*: communiter tenent, nunquam esse consecrandum in pane siligineo, nisi urgeat necessitas; hinc & ego censeo, Titium nostrum minùs laudabiliter fecisse, jubendo hostias ex farina partim triticea, partim verò siliginea confici, easdem-

12

que

que consecrando: neque enim verosimile videtur, eum tanta premi potuisse necessitate, ut sinè permagno incommodo non potuerit procurare hostias merè triticeas, id est, aus purem Waitzen gemachte.

13 Cæterùm quod modò diximus de hostiis ex farina partim siliginea, partim verò triticea confectis, idipsum à fortiori intelligendum est de hostiis ex puro silligine confectis, etsi supponantur confectæ ex nucleo quasi, seu (uti vocant) extracto) aus dem Auszug des Korns, quia tales sinè vera & gravi necessitate adhiberi nunquam debent in sacrificio Missæ, idque saltem propter reverentiam Sacramenti, sin minùs propter evitandum periculum nullitatis: atqui in his nostris partibus nunquam occurret tanta necessitas, siquidem passim in abundantia obtineri potest triticum optimum: ergo illicitè saltem ageret, quisquis hostias ex mero siligine confectas consecraret. Videatur Laymann. *lib. 5. tr. 4. c. 2. n. 2.*

Dices: At quid, si constet, farinæ triticeæ commolita fuisse grana alterius frumenti, v. g. hordei, aut avenæ &c. an ex tali farina confectæ hostiæ licitè consecrarentur?

14 R. Si Paucula duntaxat grana sint commolita tritico, ego cum P. Cobat, *cit.* Sporer. Laym. & aliis communiter censeo, nullum fore Theologum tam rigidum, ut hujusmodi Sacerdotem damnet noxæ lethalis: *nam ad usum sacramentalem communiter assumitur talis mate-*

materia, quæ communiùs apud homines in talem usum venit, ait D. Thomas *art. 3. in Corpore*: communissimè autem hómines utuntur ac vescuntur pane pisto ex farina non prorsus sincera: ergo. Ità Gobat *cit. tr. 3. n. 39.* Tannerus & alii.

Dices adhuc. Quidsi autem urgeat necessitas celebrandi, utputa vel quia dies est festivus, vel quia dandum est Viaticum sacrum moribundo, nec haberi possit hostia ex azymo pane confecta, aut certè non possit haberi hìc & nunc hostia major, sed minor duntaxat, licitumnè foret ob hujusmodi necessitatem consecrare panem fermentatum, aut hostiam minorem ex azymo confectam?

R. In tali casu licitè consecrari hostiam ex 15
azymo, etsi sit minor, qualis solet dari Laicis, nullus ambigo: quia nullum exstat præceptum, nulla etiam consuetudo sub gravi culpa obligans ad consecrandas hostias majores tantùm: qua ratione Tamburinus *de Sacrificio Missæ ritè peragendo l. 2. c. 8. §. 3. n. 16.* eúmque secutus Gobat existimant licitum, consecrare hostiam minorem etiam sinè necessitate, & ex sola devotione, modò absit scandalum in populo, quod quidem haud difficulter præcaveri poterit, prænonendo assistentes sacrificio, & docendo, quòd nullum exstet præceptum graviter obligans ad consecrandas hostias duntaxat majores: tum etiam quòd hic & nunc nulla major valeat obtineri. At verò

con-

conſecrare panem fermentatum in noſtra Eccleſia Latina, nefas eſſe cenſent Scotus, Suarez, Ledeſma, Dicaſtillo, & alii. Nihilominus, caſu quò abeſſet omne periculum (quod tamen in hoc caſu magis, quàm in priori de hoſtia minore timendum judico) cum Tannero & Gobato non auderem oppoſitam ſententiam Majoris damnare noxæ lethalis, ſaltem pro caſu, ubi urget vera neceſſitas conſecrandi, aut Viatici adminiſtrandi. Et certè præceptum conſecrandi io azymo tantùm non videtur usque adeò urgere, ut propterea potiùs permittendum ſit aliquem corpore & anima damnari, prout voluit Thomas Tamburinus apud Gobat *cit. tr. 3. n. 41. & 42.* quem vide, ſi placet.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Sacerdos rigidiſſima hyeme celebraverat Miſſam in quadam Eccleſia filiali, qui dum pervenit ad actualem conſecrationem calicis, naribus non nihil propiùs admotis calici, videbatur ſibi olfacere acetum, quam ob rem nonnihil perterritus, paulò accuratiùs conſideraverat materiam calici infuſam, móxque deprehendit, vinum illud fœculentum eſſe, multúmque aceſcere, inſuper & frigoris rigore nonnihil contractum, & quaſi glaciata quadam membranula hinc inde obductum; nihilominus pervexit in conſecratione, eò præſertim, quòd aliud vinum ſinè permagna diffi-

difficultate, fortè etiam scandalo in populo obtinere non potuisset. Unde jam dubitat, an bene fecerit, vel quid deinceps agendum foret in simili contingentia facti?

R. Sempronius nedum validè, sed & licitè 16
consecravit, etsi supponatur vinum calici infusum multùm inclinasse in acetum Et quidem de valida consecratione nemo facilè ambiget; quando quidem adhuc fuerit vera substantia vini in calice, prout supponitur. Quod autem insuper licitè consecraverit, facilè suadetur hac ratione; quia in casu veræ & gravissimæ necessitatis licitè consecratur materia minùs pura, seu fœculenta, veluti communiter fatentur DD. & clarè deducitur ex *cap. cùm omne crimen. de Consecr. dist. 2.* atqui Sempronius noster urgebatur vera necessitate; tum quia ob integritatem sacrificii ex jure D. tenebatur consecrare utramque speciem; tum etiam quia supponitur, siné permagna difficultate & periculo scandali non potuisse obtinere aliud vinum. Vide Tambur. *de sacrific. l. 2. c. 8. §. 5.* Unde,

Nec refert, quòd idem vinum jam cœperit 17
congelare; quippe levis quædam & inchoata congelatio non est multùm curanda, ait Herincx *cit n. 29.* præsertim cùm facilè possit tolli, admota ad culpam manu: ergo ob hanc causam sacrificium minimè fuit reliquendum mutilum.

Dices, At quid, si Sempronius invenisset vi-

vinum ità alteratum, ut non potuiſſet diſcernere, ſitnè adhuc verum vinum, vel verò merum acetum?

18 R. Si inveniſſet vinum ità alteratum, & quidem jam ante ſacrum inchoatum, debuiſſet omnino abſtinere à ſacro celebrando: nec licuiſſet citra graviſſimam ſacrilegii culpam in eo celebrare, ne quidem ut populus audiret ſacrum die feſtivo. Ratio eſt: quia plus urget reverentia huic Sacramento debita, quæ certam materiam poſtulat, quàm præceptum audiendi ſacrum, quô populus tenetur. Nihilominus in caſu noſtro, ubi Sempronius ſuppo-nitur primùm advertiſſe hunc defectum in actuali ſacrificio poſt unam ſpeciem (panis ſcilicet) jam conſecratam, ſimúlque aliud vinum moraliter loquendo non potuiſſe obtinere, judico eum etiam licitè (ſub conditione tamen) conſecrâſſe illam materiam dubiam. Ratio eſt: quia præſtat conficere ſacrificium ſaltem dubiè integrum, ſeu cum integritate dubia, quàm certò mancum. Fateri tamen cogimur, tantò majorem requiri neceſſitatem ad licitè celebrandum in tali caſu, quantò magis dubia apparet materia conſecranda; ìdque ob reverentiam huic Sacramento debitam, utì jam dictum fuit. Videatur Gobat *cit. n. 40.* vel la Croix *l. 6. p. 2. n. 535. & 536.*

CA-

CASUS TERTIUS.

CAjus celebrando Miſſam, voluit juxta præſcriptum Rubricarum vino conſecrando modicam admiſcere aquam, verùm præter intentionem ſuam tantum affudit, ut dubitare licuerit, an non ſuperaret vinum in calice contentum; quapropter altera vice cautiùs volens procedere, unicam duntaxat guttulam aquæ cochleariolo hauſtam ex urceolo immiſit calici, ſed ita, ut rurſus dubitarit, an guttula illa revera vinum attigerit, an verò potiùs in cuppa calicis hærendo permanſerit, nullatenus commixta vino. Jam dubitatur, an, vel quommodo Cajus peccaverit in his caſibus?

R. primò. Cajus conſecrando vinum, cui tantum aquæ admiſcuerat, ut dubitare licuerit, an non ſuperârit quantitatem vini, peccavit graviter. Ratio eſt: quia vinum uſque adeò lymphatum, erat materia dubia ſaltem, ſin minùs certò invalida: atqui citra grave peccatum non licet conſecrare materiam dubiam, niſi forte in caſu gravis neceſſitatis, de quo mox egimus *n. præced.* ergo. Debuiſſet ergo in praxi materiam illam vel omnino effundere in urceolum aquæ, & aliud infundere vinum, vel certè eidem materiæ jam contentæ in calice adhuc ſuper affundere tantum de vino, ut potuerit ſe reſolvere, jam contineri in eodem calice materiam certò validam pro conſecratione, Vid, Sporer *Theol. Sacram. p. 2. n. 163.* 19

20 R. ſecundò, etiam in altero caſu, ubi ſupponitur dubitâſſe, utrum guttula aquæ verè fuerit admixta vino, videtur graviter peccâſſe. Ratio eſt: quia ſinè cauſa ſeſe expoſuit periculo transgrediendi præceptum Eccleſiæ in materia graviter obligante: jubemur enim ſub gravi culpa aquam admiſcere vino conſecrando: jam verò hôc ipſo, quòd Cajus dubitet, an aquæ guttula attigerit vinum, pariter dubitare debet, an aquam admiſcuerit vino: at, qui ſinè verè gravi cauſa, vel neceſſitate ſe exponit periculo transgrediendi præceptum Eccleſiæ graviter obligans, peccat graviter: ergo &c. Itaque ſi hoc advertit jam ante conſecrationem, tenebatur ſuperinfundere unam ſaltem guttulam, eandèmque veraciter admiſcere vino conſecrando: Secus dicendum foret, ſi hoc primùm advertiſſet poſt conſecrationem calicis; etenim juxta communem doctrinam Eccleſiæ latinæ aqua modica admiſcenda ſolùm eſt vino conſecrando: conſecrato autem calici nihil non conſecratum eſt admiſcendum, Bonac. Buſenbaum, La Croix *l. 6. n. 450.* Sporer, *citt. n. 161.*

Dices. Quantùm igitur aquæ licet affundere, ut cenſeatur modicum?

21 R. Id univerſaliter determinari non poſſe, ſed prudentûm judicio eſſe relinquendum, attenta cum quantitate, tum etiam generoſitate vini: enim verò ubi plus vini, præſertim generoſi infunditur, ibi minus ſubeſt periculi de cor-

corrumpenda ſubſtantia Vini, & de Sacramento invalidando. Ego cum P. Gobat, La Croix, Sporer, & aliis exiſtimo, vino etiam mediocri, in hiſce noſtris partibus ſinè ſcrupulo admiſceri poſſe v. g. quintam partem aquæ; cùm non appareat veroſimile, per tam modicam aquæ quantitatem ſubſtantiam vini poſſe corrumpi. Vid. La Croix *l. cit. n. 449.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

COlliges ex dictis primò, ad diſcernendum panem uſualem, & licitè conſecrabilem, vel maximè attendendum eſſe, an frumentum illud, ex quo confectus fuit, in tali loco vel Regione habeatur pro vero tritico, vel non; Etenim juxta ſatis receptam Doctorum regulam univerſalem quaſi: materia certò apta & valida conſecrationis conficitur ex illo ſolo frumento, quod in quavis Regione à peritis certò judicatur eſſe triticum: è contra omnis panis confectus ex alio frumento, quod non eſt triticum, reputatur materia inepta; quemadmodum etiam panis confectus ex frumento, de quo dubitatur à peritis, an ſit triticum, habendus eſt pro materia dubia vel incerta, & hôc ipſo nunquam aſſumendus in Sacrificium, ìdque propter reverentiam ſummam huic Sacramento debitam, utì jam ſuperiùs 22

notatum fuit. Sporer *cit. n. 137.* Babenſtuber *tr. 8. p. 3. diſp. 2. n. 8.*

23 Colliges ſecundò, Materiam certò ineptam pro conſecratione eſſe panem confectum ex oriza, avena, hordeo, milio, piſis, aut fabis. Ratio eſt: quia hæc frumenta ſecundùm communem uſum & exiſtimationem etiam peritorum non habentur pro tritico: econtra panem ex farre, ſive ſpelta, itèmque ex mero ſiligine confectum, eſſe materiam dubiam, & hôc ipſo non adhibendam in ſacrificio. Ratio eſt: quia ſapientes dubitant, an ſpelta & ſiligo ſint verè triticum: quin immo multi exiſtimant, ea ſpecie differre à tritico, etſi alii putent differre ſolùm accidentaliter, immò Doctores Germani, nominatim Laymann, Gobat, Sporer, Reiffenſtuel, Babenſtuber &c. certum exiſtimant, ex ſiligine ſuevico confici verum panem uſualem, & materiam ſaltem validam pro conſecrando corpore dominico. Vid. Laymann. *cit. c. 2. n. 3.* Babenſtuber. *l. cit. n. 6.*

24 Colliges tertiò, neque agreſtam, neque vínum aduſtum, neque loram, neque acerum eſſe materiam validam pro conſecrando calice: idipſum tenendum eſt de vino ſive phyſicè, ſive etiam moraliter corrupto: cenſetur autem moraliter corrumpi quoad ſubſtantiam, quando eidem admiſcentur aliæ materiæ vel condimenta in tanta copia, ut non ampliùs reputetur aut ſimpliciter nominetur vinum. Ratio

hùjus illationis eſt : quia in primis agreſta eſt ſuccus antecedens ; acetum verò eſt liquor ſubſequens formam vini : vinum autem aduſtum in diverſam à vino ſubſtantiam decoquitur : Lora eſt ſolùm aqua temperata, eſto retineat aliquod accidens vini : ergo nihil horum eſt verè & ſubſtantialiter vinum : quemadmodum etiam vinum ſubſtantialiter, in ſenſu duntaxat morali jam præmiſſo, corruptum, non ampliùs reputatur pro vino : conſequenter hæc nec pro valida quidem conſecratione poſſunt deſervire. Vid. Babenſtuber *cit. n. 17. & ſeqq.*

Colliges quartò, Succum ex uvis maturis 25 expreſſum, ſeu muſtum, nec non vinum congelatum eſſe materiam validam conſecrationis, etſi pro tali ſtatu non ſint materia licitè conſecrabilis. Ratio eſt : quia muſtum ſeu etiam ſuccus expreſſus ex uvis maturis eſt ſubſtantialiter vinum, & eſt quid potabile, eſto nondum ſit accidentaliter perfectum, eò quòd includat adhuc multas fæces, & humorem aqueum, propterea que illicitè conſecraretur. Similiter vinum in ſtatu congelationis retinet ſubſtantiam vini ſimpliciter, & eſt aliquid per ſe potabile, eſto per accidens potari nequeat : quemadmodum panis triticeus, etſi duriſſimus, ità, ut comedi non poſſit, niſi emollitus, adhuc manet verè panis uſualis, & materia de ſe comeſtibilis. Aliud eſt tenendum de vino pani imbibito, item de ſuccu uvis adhuc incluſo;

quia ita incluſa non habentur pro potu vel materia potabili, ſed potiùs pro materia commeſtibili; unde nec mirandum, quòd pro hoc ſtatu, communi hominum exiſtimatione, non habeantur pro materia conſecrabili. Reiffenſt, Herincx, Henno.

Dices. Aqua congelata non eſt materia valida baptiſmi: ergo nec vinum congelatum poteſt eſſe materia valida Evchariſtiæ.

26 R. Neg. Conſ. Diſparitas eſt hæc: quia baptismus eſt Sacramentum in uſu & actione aliqua tranſeunte conſiſtens, id eſt, in ablutione, facta cum debita prolatione formæ &c. atqui ablutio fieri nequit in aqua congelata quamdiu manet congelata: econtra Euchariſtiæ Sacramentum non conſiſtit in uſu, vel actuali ſumptione, aut potatione, ſed in re permanente & ordinata ad comedendum, aut bibendum: ergo cùm vinum congelatum adhuc maneat res potabilis, eſto per accidens pro hoc ſtatu potari nequeat, adhuc poteſt deſervire pro materia valida Evchariſtiæ; veluti ſatis communiter tradunt DD.

CON-

CONFERENTIA DUODECIMA.

DE

Conditionibus ad materiæ consecrationem requisitis, & de ipsa forma consecrationis.

SUMMARIUM.

27. Ad validam consecrationem materiæ duæ conditiones requiruntur.
28. Rursus aliæ duæ ad licitam.
29. Forma consecrandi consistit in certis verbis, præscriptis in canone Missæ scilicet: hoc est corpus meum &c.
30 Omnia verba consecrationis sunt necessariò saltem necessitate præcepti graviter obligantis exprimenda.
31. Excipitur tamen communiter particula: Enim.
32. Quænam verba necessitateSacramenti exprimenmenda sint in consecratione.
33. Quid sit verba proferre recitativè, & quid significativè.
34. Verba consecrationis quo modò sint proferenda.
35. Resolvitur Casus I deSacerdote, qui volens consecrare duas hostias minores pro duobus sponsis communicandis, postea præter intentionem deprehendit se assumpsisse tres.
36. Et quid practicè agendum fuerit in hoc casu cum illis hostiis?
37. An licitum sit consecrare hostias minores ad A

ram Sacerdoti delatas primùm post oblationem factam?

38. Et utrum fas sit hostias immediatè post consecrationem auferri ab altari?

39. Quid tenendum sit de guttulis, calici sive exteriùs, sive etiam interiùs adhærentibus?

40. Et quid circa illas in praxi sit observandum?

41. Resolvitur Casus II. de Sacerdote, qui propter distractionem non poterat se reflectere, an verba consecrationis protulerit, propterea{que} eadem repetiit

42. Et quid, si habuisset prudens motivum dubitandi de consecratione facta vel non?

43. Resolvitur Casus III. de alio quodam Sacerdote scrupuloso, assueto consecrare alta & clamorosa voce &c.

44. Quid de tali modo consecrandi tenendum sit.

45. Utrum etiam verbum aut Syllabam in consecratione repetere sine causa, non vacet culpa veniáli?

46. Vinum in calice cooperto contentum validè consecratur.

47. Non item repositum post parietem, vel in tabernaculo clauso.

48. Neque consecratur materia inscio Sacerdote posita super altare tempore Sacrificii.

49. Sacerdos consecrando hostias in ciborio cooperto, illicitè agit.

50. Forma consecrationis quando censeatur mutata substantialiter, & quando non.

51. Qualem Sensum genuinum reddant verba consecrationis.

(o)

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos casus practicos de conditionibus materiæ consecrabilis, & ipsa forma consecrationis.

QUæres primò, quænam conditiones requirantur ad hoc, ut materia Evchariſtiæ validè consecretur?

R. Ad hoc requiruntur duæ conditiones, 27 quarum prima est, ut materia consecranda Sacerdoti sit moraliter & sensibiliter præsens 2. ut eadem materia sit certa, & per intentionem consecrantis determinata. Ità cum aliis Bonacina *disp. 4. q. 2. punct. 6.* Layman, *lib. 5. tr. 4. c. 2. n. 10. & 12.* Ratio utriúsque partis desumitur ex institutione Christi, & ex ipsis pronominibus demonstrativis formæ, scilicet *hoc est: hic est &c.* quæ debent necessariò verificari, ut consecratio validè fiat: at nunquam verificabuntur hæc verba demonstrativa, nisi materia sit certa, moraliter præsens, & determinata in individuo: ergo &c. Confirmatur hoc ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ nunquam consecrare consuevit, aut benedicere res ab-

ſentes. Et certè ſacrificium ex ſua natura requirit hoſtiam moraliter præſentem ,& in individuo determinatam ; quandoquidem actiones ſunt ſingularium, quæ debent eſſe certa, & determinata.

Quæres ſecundò, quænam conditiones requirantur ad hoc, ut materia Evchariſtiæ etiam licitè conſecretur?

28 R. Rurſus deſiderantur duæ conditiones 1. ut non conſecretur major quantitas, quàm quæ tempore opportuno poſſit abſumi. 2. ut in conſecrando materiam non recedatur ab uſu Eccleſiæ in Miſſali præſcripto. Ita Bonacin. & Laymann *cit. n. 11.* Ratio prioris hæc eſt : quia conſecrans quantitatem nimiam , tantam ſcilicet, quæ tempore opportuno non poſſit, aut certè nunquam abſumetur, exponit Species periculo putredinis, & Sacramentum irreverentiæ : quod utique culpa non vacat. Ratio autem poſterioris eſt : quia Rubricæ Miſſalis ſaltem á potiori ſunt præceptivæ , & non merè directivæ, illæ præſertim, quæ verſantur circa conſecrationem &c. ergo qui ab iſtis recedit, peccat pro gravitate ipſius rei.

Quin etiam, ſinè cauſa non obſervare Rubricas directivas, eſſe peccatum veniale, probabiliter tenent Quarti, & La Croix *l. 6. p. 2. n. 410.* eò quòd ſit neglectus , temerarius rei meritò obſervandæ, & deordinatio à communi uſu

ſine

sinè rationabili causa; quod videtur esse saltem venialiter malum, etsi hoc negent Tamburinus & Gobat: sed de hoc vide dicenda infe-
rius *Confer. 20. à n. 268.*

Quæres tertiò, quænam sit forma consecrationis Evchariſtiæ?

R. Sunt verba illa in Canone Missæ præscri- 29
pta, atque in Ecclesia latina semper observata, pro consecrando scilicet corpore hæc: *Hoc est enim corpus meum*, pro consecrando autem calice sequentia: *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ità *omnes Catholici.* Ratio desumitur tum à paritate de aliis Sacramentis, quorum forma consistit in prolatione certorum verborum, secundùm dicta *Confer. 1. num. 5.* Tum etiam quia velut certum habetur, quòd ipse Christus Dominus fuerit usus iisdemmet, aut certè similibus verbis, quando in ultima Cœna consecravit, prout diffusiùs tum auctoritate, tum etiam ratione probat noster Henno *de Evchariſt. disp. 3. q. 1.*

Quæres quartò, sintnè omnia mox relata verba necessariò exprimenda in consecratione?

R. Sunt omnia exprimenda necessariò ne- 30
cessitate præcepti, non tamen necessitate Sacramenti. Ità DD. *communissimè.* Et ratio posterioris redditur hæc: quia tametsi unum aut alterum verbulum omittatur, nihilominus pro-

probabiliſſimè valida eſt conſecratio, prout de particula *enim* omnes omnino fatentur : ergo non omnia verba relata ſunt de neceſſitate Sacramenti. Ratio autem prioris eſt : quia omnia & ſingula verba conſecrationis mox relata ab Eccleſia Romana in Canone Miſſæ ſtudiosè præſcribuntur & obſervantur, eadémque à Chriſto, etſi forſitan non eodem ordine dicta, fuiſſe uſurpata, partim ex traditione, partim etiam ex ſcriptura habetur. Tum etiam quia illa verba : *novi & æterni Teſtamenti, qui pro vobis &c.* faciunt unam integram, perfectámque orationem cum aliis præcedentibus, ità, ut multi dubitent, an non etiam pertineant ad ſenſum ſubſtantialem : ergo qui ea, vel unum eorum omitteret ſtudiosè, peccaret mortaliter ſecundùm *omnes*.

31 Nihilominus multi DD. utì Reiffenſtuel, Henno, Herincx *diſp.* 12. *n.* 80. Suarez & alii cenſent, non eſſe peccatum grave, ex parva duntaxat negligentia vel alia ſimili cauſa, excluſo contemptu, omittere particulam *enim*; idque tum ob parvitatem materiæ; tum etiam quia juxta *communem* DD. hæc particula non eſt de eſſentia conſecrationis. Secus dicendum foret, ſi omitteretur ex contemptu formali, qualis facilè poſſet intervenire in omnino voluntariè omittente; cùm nulla poſſit eſſe ratio òmittendi, inquit Herincx *l. cit.*

Quæres quintò, quænam igitur verba ſint de eſſentia conſecrationis?

R.

R. Ad conſecrationem corporis eſſentialiter neceſſaria ſunt hæc quatuor verba: *Hoc eſt corpus meum.* Ad conſecrationem autem calicis ſequentia: *Hic eſt calix Sanguinis mei.* Ità D. Bonavent. Scotus, & potior Theologorum pars, quibuscum etiam ſentit Babenſtuber, quamvis Gonet, aliique multi Thomiſtæ putent, omnia verba conſecrationis in canone præſcripta (excepta duntaxat particula *Enim*) eſſe de eſſentia conſecrationis calicis. Ratio autem noſtræ reſolutionis eſt, quia ſi omnia illa verba, utputa: *novi & æterni teſtamenti &c.* eſſent de eſſentia conſecrationis, procul dubio Sancti Apoſtoli & Evangeliſtæ id tradidiſſent vel præſcripſiſſent; non enim eſt veroſimile, quòd aliquid eſſentialiter requiſitum ad hoc myſterium omiſiſſent, quando modum & verba conſecrandi præſcripſerunt, atqui hoc non fecerunt: ergo. Et certè in opinione AA. fatendum foret, neque S. Marcum, neque Jacobum fratrem Domini, neque alios Apoſtolos unquam validè conſecrâſſe, aut docuiſſe modum validé conſecrandi; quia nec unt uſi omnibus illis verbis, nec illis utendum eſſe, aliis præſcripſerunt, veluti conſtat ex illorum liturgiis apud Lugo *Diſp. 11. Sect 4.* & Babenſtub. *tr. 8. p. 3. Diſput. 3. n. 18.* Conſequens autem eſt abſurdum: ergo &c. 32

Quæres ſextò, quô ſenſu verba conſecrationis ſint proferenda?

Ante

33 Ante reſponſionem ſuppono & adverto; verba poſſe proferri 1. vel *recitativè tantùm & hiſtoricè*, ſeu, ùt alii loquuntur, *materialiter*; vel 2. *significativè tantùm & aſſertivè*; vel denique 3. *recitativè & ſignificativè ſimul.* Primô modo, recitativè ſcilicet proferuntur, quando proferens præcisè refert verba alterius, absque ulla intentione aſſerendi id, quod ſignificant: & ità loquitur David *Pſalm. 13.* dum ait: *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus.* Secundô modo, ſignificativè ſcilicet proferuntur, quando proferens intendit ſuis verbis aliquid aſſerere vel enunciare, ſinè reſpectu ad dicta alterius; quô ſenſu idem Propheta dixit *Pſalm 107. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Tertiò denique modo, ſcilicet recitativè & ſimul ſignificativè proferuntur, quando quis utitur verbis ab alio prolatis, ſimùlque vult illis mediantibus idem aſſerere; quô ſenſu rurſus idem Pſaltes Regius *Pſal. 106.* ait: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dexteris meis.* His præſuppoſitis.

34 R. Verba conſecrationis proferenda ſunt recitativè, & ſignificativè ſimul. Ratio eſt: quia Sacerdos conſecrans refert ea, quæ Chriſtus dixit, ſimùlque loquitur in Ejusdem Perſona & auctoritate; atqui hinc recitativè profert illa verba, quando de Chriſto Domino dicit: *qui pridiè quàm pateretur, accepit panem &c.* & dixit: *Hoc eſt enim corpus meum;* ſignificativè autem, quia iisdem verbis in Perſo-

ſona Chriſti loquens Sacerdos aſſertivè dicit: *hoc eſt corpus meum: hit eſt calix ſanguinis mei &c.* Quocirca rectè advertit Sporer *theolog. Sacram. part. 2. n. 17.* non eſſe cuipiam ſcrupulizandum de prolatione verborum in utroque ſenſu mox relato: nam quivis Sacerdos præſumitur habere intentionem, faciendi id, quod Chriſtus fecit, & inſtituit, vel quod facit Eccleſia; atqui hôc ipſo ſufficientiſſimè intendit proferre verba conſecrationis in utroque ſenſu mox dicto: ergo.

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici de conditionibus materiæ conſecrandæ, & ipſa forma conſecrationis

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos ſub ſuo ſacrificio voluit communicare duos ſponſos, & in hunc finem duas hoſtias minores ſecum deferre ad Altare: at ecce, ubi ad actualem communionem pervenit, animadvertit, ſe præter intentionem ſuam tres hoſtias minores aſſumpſiſſe: quia verò duas duntaxat intenderat conſecrare; hinc ſtupefactus dubitare cæpit 1. an vel nulla, vel duæ tantùm, vel denique omnes tres conſecrâſſet? 2. Quid in praxi ſibi eſſet agendum?

R.

R. Ad primum. Videtur probabiliſſimum
35 & quaſi certum, omnes tres hoſtias fuiſſe conſecratas. Ratio eſt: quia regulariter loquendo intentio conſecrantis ſolet, immò (juxta præſcriptum Miſſalis *de defect. intent. tit. 7. n. 1.*) debet eſſe hæc, *quòd ſcilicet velit conſecrare totam materiam, quam ſibi habet moraliter præſentem & licitè conſecrabilem*: certè in noſtro caſu practico hanc habuerit intentionem, *quòd ſcilicet velit præter ſuam hoſtiam majorem etiam conſecrare illas minores*, quas quidem duas duntaxat putaverat, errore ſpeculativo, reipſa autem erant tres: at verò error ſpeculativus non obſtat intentioni practicæ *conſecrandi* materiam præſentem, quam, velut conformem conſuetudini & menti Eccleſiæ quivis Sacerdos cenſetur habere ſaltem implicitè: ergo. Secus tamen reſolvendum foret, ſi ſupponeretur Titius habuiſſe expreſſam intentionem *non conſecrandi plures, quàm duas hoſtias minores*: quô ſuppoſito probabiliſſimè nulla omnino fuiſſet conſecrata; cùm non ſit major ratio, de una potiùs, quàm de altera: quamvis aliqui putent, in ſimili caſu, quo plures hoſtiæ quaſi compactæ ſunt, & ità unitæ, ut credantur eſſe duntaxat una, eam ſolùm conſecrari, quæ eſt in conſpectu Sacerdotis. Id, quod & in noſtro hoc caſu verificatum credo, ſi Titius expreſsè intendiſſet conſecrare illas hoſtias, *quas ante ſe vidit in corporali poſitas.*

R

R. Jam ad ſecundum. Suppoſitô, quòd 36
Titius habuerit ſaltem implicitam intentionem *conſecrandi hoſtias ſibi præſentes*, & in corporali propoſitas (quæ intentio ſemper præſumitur. niſi conſtet de contrario, utì jam diximus) tutâ conſcientia potuit illas diſtribuere ſponſis, tertiam verò reſiduam debuiſſet ipſe ſumere ante ablutionem. Similiter ſi habuiſſet intentionem conſecrandi duas duntaxat hoſtias minores, *quas ſub actu conſecrationis vidit* easdem ità viſas tutâ conſcientia potuit tribuere ſponſis, tertiam verò non viſam debuiſſet ipſemet ſumere poſt communionem, ſeu ante ablutionem. Denique ſi omnibus bene ponderatis adhuc exiſtimavit ſibi dubitandum de ſufficientia ſuæ intentionis, an ſcilicet illæ hoſtiæ minores ſint revera conſecratæ, vel non, ipſe ſolus debuiſſet omnes illas tres hoſtias ſumere ante ablutionem, ſponſos verò aliosvè præſentes & advertentes, quantùm tunc fieri potuit, admonere de commiſſo errore, & de dubio inde orto; quod, ſi debitô modo fiat, facilè omne ſcandalum in populo. & omnis admiratio inſolida avertetur. Vide Sporer *cit n. 171.*

Dices. at quid, ſi Ædituus vel alius poſt factam jam oblationem mihi ad Aram deferat aliam, vel alias hoſtias minores conſecrandas?

R. Juxta præſcriptum Miſſalis, hoſtiæ pro 37
communicantibus conſecrandæ, debent poni ſuper corporale vel Anulam, idque ante offer-

torium. Nihilominus etsi paulò post offertorium afferantur, facta priùs oblatione mentali adhuc licitè eas consecrari, asserunt Diana *p. 2. tract. 14. resol. 71.* Gavantus apud ipsum, & Busenbaum, *tract. 3. 6. 1. dub. 5. R. 1. n. 3. in fine.* Quin etiam licitè consecrari putant Tamburinus *lib. 2. c. 5. §. 2. n. 7.* & Gobat. *tract. 3. n. 86.* modò adsint ante consecrationem. Ubi tamē idem Gobat mox subdit dicens : *Si unus tantùm esset dimittendus sinè communione, non consecrarem pro illo novam hostiam : sed secutus arbitrium Gavanti & aliorum, diffringerem particulam è mea grandiore, ipsique porrigerem.*

At ecce ! vixdum peracta consecratione, alius Sacerdos vult illas hostias minores auferre ab altari, ut communicet populum avidè exspectantem : an sinè peccato ?

38 R. Cum Gobat *l. cit.* Sporer *n. 170.* & aliis Fiet hoc sinè peccato mortali, quia non a gitur contra præceptum graviter obligans ; at, nisi sit aliqua vera necessitas tam maturè ministrandi illis panem supersubstantialem, certò non fiet sinè peccato veniali ; est quippe aliqua inordinatio, si super illis non formentur signa crucis, & aliæ cæremoniæ in Missali præscriptæ.

Dices rursus : sed quid tenendum de guttulis calici adhærentibus, suntnè habendæ pro consecratis, vel non ?

39 R. Guttulas exteriùs calici adhærentes (etsi absolutè loquendo validè consecrari possent) à nullo tamen Sacerdote unquam consecra-

si

ri, ità DD. *communissimè*. Ratio est, quia tales guttulæ sinè periculo irreverentiæ gravis, & eô ipso licitè nunquam consecrarentur: at nullus Sacerdos præsumitur, aut præsumi debet, velle consecrare materiam, quam licitè & sinè periculo irreverentiæ nunquam consecrare posset: ergo. At verò guttulas interiùs calici adhærentes, etsi separatas à vino in fundo congregato, validè consecrari, Tannerus, Dicastillo & alii probabile tenent; de quo quidem dubitari neutiquam liceret, si supponatur Sacerdos habere intentionem, consecrandi, quidquid validè consecrabile continetur in calice. Quia tamen quivis Sacerdos præsumitur habere intentionem Ecclesiæ conformem: intentio autem communis & optima Ecclesiæ, teste Laymanno *l. 5. tr. 4. c. 2. n. 15.* videtur esse hæc: *consecrare omnem liquorem consecrabilem, qui per modum unius in calice continetur*; hinc mihi cum Laym. cit. Gobat, Sporer & aliis probabilius videtur, ne illas quidem guttulas ad intrà calici adhærentes, consecrari validè.

Idcircò ad tollendum & præcavendum omnem scrupulum Sacerdos optimè faciet, si semel & pro semper intendat, illas guttulas, sicut & micas hostiæ adhærentes nunquam consecrare. Practicè verò, dum in actuali infusione, vel statim pòst hujusmodi guttulas adhærentes advertit, eas statim abstergat purificatorio; vel si illas primùm advertat jam consecraturus, circumagendo vinum, quod est in

fundo calicis, uniat cum eodem, veluti rectè consulit Gavant apud Gobat *n. 64.* Quamvis Tamburinus *opuscul. de Sacrif. l. 2. c. 1. §. 3. n. 29.* apud Gobat. *cit.* meritò dicat, non peccare Sacerdotem non abstergentem, immò nec expedire ut abstergat, si primò illis advertat jamjam consecraturus ad *simili modò.* Post consecrationem autem nullo modò sunt abstergendæ ; tum quia sinè periculo irreverentiæ fieri vix poterit, tum quia fortè consecratæ sunt, quare admotis speciebus consecratis iisdem uniendæ sunt ante sumptionem, aut saltem in prima ablutione. Sporer *n. 172.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius sub sacrificio suo, & ipso actu consecrationis ità distractus fuit, ut jamjam consecraturus calicem, planè ignoraverit, an verba consecrationis super panem debitè protulerit, etiamsi probè meminerit, se hostiam jamjam elevâsse, & monstrâsse Populo adorandam. In tantis igitur angustiis constitutus, ut omnem scrupulum, quem de integritate sacrificii conceperat, evitaret, manibus tenendo calicem, & se se inclinando, priùs protulit verba consecrationis super hostiam in corporali adjacentem, & posteà primùm perrexit consecrare calicem. Quæritur jam, an rectè, & licitè?

41 R. Non rectè egit Sempronius. Ratio est: quia verba consecrationis non sunt repetenda, nisi in casu, ubi occurrit prudens dubium de va-

valore peractæ consecrationis: immò verò temerariè eadem repetens, peccat mortaliter secundùm omnes: atqui Sempronius non habuit prudens & fundatum dubium, quin potiùs prudenter debuit præsumere, se jam consecrâsse hostiam; tum quia ex communiter contingentibus fit prudens præsumptio: communiter autem nullus Sacerdos solet (certè nec Sempronius assueverit) elevare hostiam, nisi priùs ritè consecratam; tum etiam quia Sempronius supponitur alias actiones & cæremonias observâsse; quidni ergo & hanc? tum denique, quia distractio non obstat valori consecrationis, quippe qua stante possumus habere intentionem virtualem sufficientissimam consecrandi. Unde etiam Rubricæ Missalis *tit. 5 de defect. formæ n. 2.* expresè ordinant, ut, *si celebrans non recordetur, se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debeat propter ea turbari:* ergò multò minùs debet aliquid repetere, ex eo præcisè, quòd non recordetur se dixisse verba consecrationis. Et pejus adhuc feciſſe videtur, eò quòd verba consecrationis super illam hostiam protulerit absolutè, & sinè conditione; nam per hoc se exposuit manifesto periculo irrogandi Sacramento irreverentiam gravem.

Dices: Sed quid, si Sempronius verè habuisset rationes positivas dubitandi de consecratione facta, vel non?

42 R. Hoc ſuppoſitô debuiſſet iterare formam conſecrationis, ſed ſub conditione duntaxat, prout expreſsè præſcribunt Rubricæ Miſſalis *loc. proxime cit.* ſequentibus omnino verbis : *ſi tamen certè ei* (Sacerdoti ſcilicet conſecranti) *conſtet, ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, id eſt, formam conſecrationis ſeu partem, reſumat ipſam formam, & cætera proſequatur per ordinem : ſi verò valde probabiliter dubitet, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam ſaltem ſub tacita conditione. Si autem non ſunt de neceſſitate Sacramenti, non reſumat, ſed procedat ulteriùs* Hactenus Rubricæ. Quocirca rectè monent omnes cum Averſa *q. 11. ſect. 16.* apud la Croix *lib. 6. p. 2. n. 534.* non eſſe facilè admittenda ejuſmodi dubia ; cùm ordinariè ſint meri ſcrupuli.

CASUS TERTIUS.

CAjus multùm anxius circa debitam pronuntiationem verborum conſecrationis, aſſuevit ea alta & elata voce proferre, ne verò ab aliis audiretur clamare, rogavit aliquoties Organiſtam (dum ſcilicet Miſſam cantavit) quatenus is ſub actuali conſecratione pleniori organo faceret majorem ſtrepitum. Nuper etiam conſecrando panem videbatur ſibi dixiſſe: oc eſt corpus meu, prima ſcilicet, & ultima Syllaba non ſatis expreſsis. unde finita hac forma ſub actuali elevatione aliquoties ſubmiſſa voce dixit : hoc

meum:

meum: hoc meum &c. *Quid jam judicii de Cajo & ipsius facto? Et quid de valore hujus consecrationis?*

R. ad primum. Ex specie hujus facti satis apparet, Cajum non esse mediocriter scrupulis subjectum, immò verò scrupulosum usque ad insaniam: ad quid enim tanta elevatio vocis? quasi verò sinè hac verba consecrationis non possent satis pronunciari, cùm tamen Ecclesia in Rubricis *de Rit. celebr. missam. sub tit. de canone*, expressè præscribat, ut verba consecrationis distinctè, reverenter, ac *secretè* proferantur. Et ad quid rursus illud; *hoc meum, hoc meum?* Profectò hæc duo verba, quemadmodum non reddunt sensum perfectum; ità etiam nihil amplius conferre possunt ad valorem consecrationis. Unde 43

R. Jam ad secundum. Consecratio valida quidem fuit, nihilominus venialiter saltem mala. Ratio prioris est. quia vix dubitare licet prudenter de debita pronuntiatione formulæ quoad substantiam; eò præsertim, quòd vix ullus sentiat aliquam difficultatem circa pronuntiationem præfatarum illarum syllabarum; tum etiam quia si demus eum dixisse: *oc est corpus meu*, nihilominus cùm hæc verba apud audientes adhuc ingerant & faciant eundem sensum substantialiter invariatum, uti rectè notant Gobat, Sporer *cit. n 201. in fine.* Laymann. *l. 5. t. 1. c. 4. n. 4.* aliique plures; hinc de valore hujus consecrationis nullatenus cuipiam ambigen- 44

bigendum videtur. Ratio autem posterioris inde colligitur: quia tam altè clamando agit contra præscriptum Ecclesiæ, non sinè magna absurditate, admiratione in populo, & aliis inconvenientiis: Quin immò Gobat *tr. 3. n. 69.* Sacerdotem consecrando ità clamantem, ut ad quadraginta passus percipi possit, peccati mortalis condemnat, eò quòd valdè notabiliter agat contra ritum communissimum, in actione omnium gravissima, détque occasionem obmurmurationum, scandalorum & offensionum. Verùm Illsung *tr. 6. disp. 4. n. 82.* talem à mortali excusat; tum quia non agit contra legem graviter obligantem; tum etiam, quia per talem clamorem nihil ad essentiam aut integritatem Sacramenti spectans immutatur: scandalum autem fortè datum aliis non erit perniciosum, nec murmuratio inde consequens gravem malitiam refundet in suum auctorem. Ità Illsung. omnino probabiliter.

Dices: At quid, si Cajus ultimum duntaxat verbulum, *meum* scilicet repetiisset?

45 R. Etiam unum duntaxat verbum, immò & unam syllabam formæ sacramentalis sinè causa repetere, non vacat culpa veniali; cùm hoc repugnet usui Ecclesiæ, & institutioni Christi &c. uti cum *communi* DD. tenet la Croix *l. 6. p. 28. 29.* quare cùm Cajus non habuerit sufficientem causam repetendi etiam ultimum solùm verbum, sed potiùs debuisset supponere, se omnia verba consecrationis modô debito jmjam gre-

pronunciâſſe; hinc per ſe loquendo ſaltem venialiter videtur deliquiſſe per hanc repetitionē. Cæterùm quò modo practicè deliquerit, colligendum erit ex dictamine conſcientiæ, quod tempore conſecrationis habuit; ſæpe enim ea, quæ de ſe etiam gravi culpa non vacant, à ſcrupulosis ſinè omni, vel ſaltem ſinè gravi culpa fiunt; eò quòd ad hujusmodi ineptias plerúmque impellantur potiùs ex timore, ne Deum offendant, quàm ex motivo offendendi Deum, utì rectè notârunt Gobat *tr. 7. n. 173.* Sporer, la Croix *cit. n. 195.* Vide etiam dicta *p. 1. Conſ. 1. n. 14.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

COlliges primò, validè conſecrari vinum in calice cooperto, vel hoſtias in ciborio clauſo, aut latentes in cumulo ſub aliis etiam in fundo; aut aliter tectas v. g. corporali complicato &c. Item validè conſecrarentur hoſtiæ præſentes à ſacerdote cæco, vel alio in tenebris. Ratio horum eſt: quia ad validam conſecrationem aut præſentiam vel ſenſibilitatem neceſſum non eſt, ut à ſacerdote conſecrante materia videatur, vel tangatur, multò minùs ut halitu aut verborum ſono quodammodo quaſi feriatur, prout nonnulli ineprè faciunt, praxi haudquaquam laudabili; ſed ſufficit, ut materia ſit conſecranti moraliter præſens, ità, ut 46

ut videri aut sentiri possit sive in se, sive in alio v. g. in suo toto, vel continente, vel vase ad illam continendam destinato; uti cùm aliis tenent Laymann, Bonacin. *disp. 4. q. 2 p. 5.*

47 Colliges secundò, invalidè consecrari materiam positam post parietem, vel à tergo sacerdotis, vel reclusam in tabernaculo. Ratio est: quia cùm non possit demonstrari per *hoc* vel *hic*, censetur moraliter abesse. Ob eandem rationem *DD.* communiter censent, consecrari non posse materiam valde procul, v. g. centum passibus distantem, quippe quæ non censetur esse moraliter præsens: quænam autem moralis præsentia, vel quanta propinquitas sufficiat ad valorem consecrationis, controvertunt *DD.* Henriquez *l. 8. c. 34.* putat censeri satis præsentem, quando non distat ultra 20. aut 30. passus: quod tamen Bonacina *l. cit.* & alii putant, non esse satis certum, sed prudentum judicio esse relinquendum: suadet igitur prudentia, ut in tali, tamque notabili puncto, Sacramentum non exponamus periculo, ideóque nunquam consecremus materiam ità dissitam, ut dubitari posset, an sit nobis moraliter præsens, vel non?

48 Colliges tertiò, non consecrari hostias, inscio sacerdote sive in corporali, sive etiam infra illud positas. Ratio est: quia tales hostiæ non sunt materia determinata in mente sacerdotis, quippe cujus voluntas non fertur, nec ferri potest in incognitum: aliter dicendum foret,

foret, si vel ipse Sacerdos hostias ad altare secum portâsset, vel rationabili modo advertisset, eas fuisse allaras ab alio in hunc finem, ut à se consecrarentur, vel etiam si ante sacrificium fuisset admonitus de consecrandis in altari jam positis locô decenti, ità, ut licitè consecrari potuerint; tunc enim omnes consecrarentur, & pro consecratis essent habendæ. Ratio est: quia intentio illa præcedens virtualiter perseverat, etsi sacerdos in actu consecrationis earum non meminerit. Ità Reginaldus, Bonacin. Laymann. *cit.* Busenbaum ubi suprà *dub. 5. R. 1. n. 3.* dicens, hanc sententiam esse tutam in praxi. Vide etiam dicta superiùs *Conf. 2. n. 40.*

Colliges quartò, illicitè agere sacerdotem 49
qui vas, in quo hostiæ consecrandæ continentur, non aperit. Item 2. qui consecrat materiam positam extra corporale, vel in alio loco indecenti, etsi adhuc super altare, utputa in vase ligneo, vel pyxide non consecrata &c. Quia agit contra præscriptum & ordinationem Ecclesiæ non sinè irreverentia Sacramenti. Busenbaum, Spoter ubi suprà *n. 173.* aliique *communiter.*

Colliges quintò, validam, etsi illicitam fore 50
consecrationem, si consecrans diceret: *Hic cibus, hic potus, hæc res contenta sub his speciebus est corpus meum.* 2. si diceret: *hic calix est novum testamentum in meo sanguine*, utì habet S. Lucas *c. 22. 3.* Si dicat: *Hoc est corpus meum*

de

de virgine assumptum : vel : *Hic est sanguis meus infiniti valoris ;* vel denique 4. si diceret : *Hoc est meum corpus : hic est meus sanguis &c.* Ratio est : quia in his omnibus servatur idem sensus substantialis, etsi accidentaliter variatus, quô fit, ut consecratio quidem reddatur illicita, non tamen invalida. Secus dicendum foret, si sacerdos consecrando diceret : *Hic* (adverbialiter) *est corpus meum* : vel 2. si diceret : *Hoc corpus est meum : hic sanguis est meus.* Item 3. vel si diceret : *Hoc fit, aut hoc fiat meum corpus* : vel, 4. si diceret : *illud est corpus meum : ille est sanguis meus* : vel denique 5. *Hæc est substantia mea* : *Hoc est corpus Christi &c.* Ità Bonacina. *q. 3. punct. 3. & alii* plures. Ratio autem horum est, quia in his fit mutatio substantialis formæ, prout bene ponderanti facilè constabit : mutatio autem substantialis obstat valori : ergo &c.

51 Colliges denique sextò, Tò, *hoc,* & Tò *hic* explicari posse dupliciter, primò sic, ut pronomina illa referantur ad prædicatum, ità, ut faciant hunc sensum : *Hoc corpus est corpus meum : hic calix est calix sanguinis mei* : sicut si quis dicat : *Hæc est mater mea,* sensus est : *Hæc mater est mater mea* ; & ità intelligunt Vasquez, Dicastillo & alii non pauci. 2. Possunt dicta pronomina intelligi sic, ut faciant hunc sensum : *Hæc res, vel hæc substantia, hoc edulium, est corpus meum : hic potus est sanguis meus* : atque in hac posteriori acceptione ea intelligunt

gunt Scotus 4. *dist.* 8. *q.* 1. *a.* 1. *n.* 17. Henno Bosco, Herincx *disp.* 2. *n.* 79. aliique Doctores communiùs, & certè sinè incommodo ità intelligi & explicari possunt. Absolutè tamen per Tò *hoc* intelligi non debet *hic panis*; falsum quippe est, quòd panis sit corpus Christi, aut quod maneat cum corpore Christi. Similiter per Tò *hic* intelligi non debet *hôc loco*; utì jam diximus. Vide La Croix *l.* 6, *p.* 1. *n.* 463.

CONFERENTIA DECIMA TERTIA,

DE

Ministro Sacramenti Eucharistiæ.

SUMMARIUM.

52. Minister legitimus Eucharistiæ est solus sacerdos ritè ordinatus.
53. Validè eam conficit omnis sacerdos; unde
54. Ordinaria potestas eam administrandi convenit pariter solis sacerdotibus, non item aliis inferioribus Ministris.
55. Potest nihilominus hoc ministerium aliquando committi Diacono. 56.

56. Ad licitam hujus Sacramenti administrationem in sacerdote necessaria est jurisdictio ordinaria, vel delegata.

57. Et quid Religiosi circa hoc possint?

58. An liceat Sacerdoti extra sacrificium Missæ se ipsum communicare,

59. Et quandonam liceat partem hostiæ majoris dare Laico.

60. Ad licitam administrationem hujus Sacramenti præter jurisdictionem insuper necessum est, ut Minister sit in statu gratiæ, & ut eam non administret scienter indigno.

61. Parochus tenetur Eucharistiam administrare suis subditis, quoties hanc rationabiliter postulant.

62. Secus, si pensatis prudenter circumstantiis postularent irrationabiliter.

63. Resolvitur Casus I. de Sacerdote, qui, ne Moribundus decederet sinè Viatico, hoc ipsum absque lumine & vestibus sacris festinanter eidem obtulit

64. Religiosi an licitè deportent Eucharistiam sinè lumine vel alia pompa exteriori?

65. Respondetur cuidam instantiæ in contrarium.

66. Resolvitur Casus II. de Sacerdote, cui inter communicandum decidit aliqua hostia, mox elevata à Laico.

67. Et quid in praxi agendum, casu quo hostia consecrata decidit in sinum, aut intra vestes mulieris.

68. Resolvitur Casus III. de alio quodam sacerdote, reprehendente quandam mulierem, eò quòd post perceptam sacram communionem illico se inclinaverit, libro ori admoto &c

69. Et quid, si pœniteus fateatur, se unam, vel plures etiam hostias consecratas sibi reservâsse, aut in aliquo loco occultâsse, &c?

70. Quid insuper agendum, si dicat, se hostiam consecratam carnem inter & cutem quasi insutam & incorporatam portare?

71.

71. Non peccat sacerdos quempiam communicando de voluntate Pastoris rationabiliter præsumpta.

72. Religiosi an, vel quando tempore Paschali vel in mortis articulo Eucharistiam licitè ministrent?

73. In defectu cujuscunque sacerdotis permittitur Diacono sacrum Viaticum deportare, & communicare Moribundum.

74. Non peccat sacerdos, Eucharistiam ad infirmos longiùs distantes deferendo in equo mansueto.

75. Potest tamen graviter delinquere, si eam non administret eo ritu, quem Ecclesia præscribit & probat.

76. Ad officium Ministri pariter attinet, divinissimum hoc Sacramentum diligenter custodire in loco honesto.

77. Et Ciborium aliquoties saltem per annum renovare.

78. Quidnam agendum, si bestia aliqua commederit species consecratas?

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Ministro Eucharistiæ.

QUæres primò, quisnam sit legitimus Minister Eucharistiæ conficiendæ?

52 R. Est solus sacerdos ritè ordinatus. Ità tenet fides Catholica contra nonnullos Hæreticos: éstque hæc veritas in multis Conciliis definita, uti in Nicæno *1. Can. 14.* Lateran. *cap. firmiter. de summ. Trinit.* Florent. & Trident. *ſſ. 22. cap. 1.* & *Can. 2.* Ratio autem est: quia potestas consecrandi, utpote à voluntate Christi dependens, nulli alteri competit, præterquam illis, quibus eam delegare voluit Christus ceu summus Sacerdos: at, is nullibi legitur eam dedisse aliis, præterquam sacerdotibus, quibus solis *Luc. 22.* dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo soli Sacerdotes sunt legitimi Ministri Eucharistiæ.

Quæres secundò, utrum omnis Sacerdos, etiam Hæreticus, Schismaticus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alio impedimento Canonico irretitus, possit validè conficere Eucharistiam?

53 R. Affirmativè Ratio est. quia potestas celebrandi validè, residet fundamentaliter in solo cha-

charactere Sacerdotali : ergo tamdiu manet, quamdiu perseverat character : atqui character utpote signum indelebile perseverat semper : ergo quivis Sacerdos potest validè conficere Eucharistiam, etsi per se loquendo graviter peccet, qui in statu disgratiæ constitutus, aut alio Canonico impedimento irretitus, consecrare præsumit, veluti constabit ex dicendis. *Communis DD.*

Quæres tertiò, quisnam sit Minister legitimus Eucharistiæ dispensandæ ?

R. Ordinaria potestas & auctoritas dispen- 54
sandi convenit solis Sacerdotibus, non verò aliis Ministris inferioribus. Ità *communiter DD.* Ratio est : quia Christus Dominus *Lucæ 22.* potestatem dispensandi iisdem concessit, quibus dedit potestatem consecrandi, quando consecrans ac distribuens Eucharistiam Apostolis, dixit; *Hoc facite in meam commemorationem:* Atqui potestatem ordinariam consecrandi concessit solis Apostolis, ceu Sacerdotibus neo-ordinatis : ergo his solis competit potestas ordinaria dispensandi. Unde Ecclesia piè admodùm canit in hymno suo ; *Sic.* (Christus) *sacrificium istud instituit, cujus officium committi voluit, solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris.*

Dixi : *Jure Ordinario ;* Etenim hæc potestas 55
dispensandi Eucharistiam jure divino non est ità connexa Sacerdotio, quin possit delegari aliis non Sacerdotibus, scilicet Diaconis. Pa-

ter hoc ex antiquissima praxi Ecclesiæ, vi cujus olim Diaconi, non quidem propria auctoritate, sed ex commissione Episcoporum, aut Presbyterorum dispensabant Eucharistiam, vel utì habetur ex Clemente Romano *lib. 8. constitut. c. 28.* Et luculenter colligitur ex verbis S. Laurentii Martyris ad S Xystum Pontificem dicentis: *Experire, utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti dominici sanguinis dispensationem* Attamen aliis Clericis Diacono inferioribus nullô modo debet committi hæc dispensatio: multò minùs Laicis, utì docent omnes Theologi, & constat ex communi usu ac sensu Ecclesiæ: id, quod etiam pridem statuit Concilium Rhemense, utì refertur *cap. Pervenit, de consecrat. D. 2.*

Quæres quarto, An hæc potestas & auctoritas dispensandi Eucharistiam competat omni Sacerdoti?

56 R. Negativè, Nam ad hoc, ut Sacerdos licitè eam dispenset, necessum est, ut habeat jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, aut saltem rationabiliter præsumptam, vel privilegium. Ità *communiter DD.* Ratio autem est: quia hoc munus propriè pertinet ad Pastores, quorum munus est oves sibi concreditas tum verbi divini, tum etiam Sacramentorum, & præcipuè SS. Eucharistiæ pabulo reficere: ergo his duntaxat competit ex officio suis respectivè subditis administrare Eucharistiam. Unde Bonacin, *disp. 4. q. 5. pu. 2.* aliìque DD. communi-

ter

Digitized by Google

ter peccati mortalis condemnant Sacerdotem, qui ſinè omni jurisdictione etiam præſumpta hoc Sacramentum adminiſtraret; quia violaret jurisdictionem Paſtoris in materia gravi: Secus dicendum foret, caſu quo infirmus ſacro Viatico eſſet muniendus, ſimùlque proprius Paſtor abeſſet, vel præſens quidem, non poſſet hoc Sacramentum adminiſtrare propter infirmitatem, aliudvè impedimentum; tunc enim quivis Sacerdos, ſive ſæcularis, ſive etiam regularis, & in horum defectu etiam Diaconus licitè deferret ſacrum Viaticum ad moribundum; quia rationabiliter præſumitur, id velle proprium Paſtorem, vel Epiſcopum, vel Papam aut Eccleſiam, quippe quæ nullum vult demigrare ex hac vita, niſi ſacro Viatico refectum. Bonacin. *cit. n. 10.* Suarez. Laym. *l. 5. tr. 4. c. 7. n. 3.*

Dices: Ergonè Religioſis non eſt licitum adminiſtrare hoc Sacramentum?

R. Religioſis Mendicantibus, & qui horum 57
privilegiis communicant, licitum, & ſpecialibus privilegiis diverſorum SS. Pontificum, nominatim Pauli III. & IV. Bulla *Cum ſicut 3. in Bullario Rodriquez* indultum & conceſſum eſt, ut in ſuis Eccleſiis vel per ſe, vel per alios Sacerdotes illic celebrantes communicare poſſint quoscunque Chriſti fideles, præterquam in mortis articulo, & in communione Paſchali. Lugo *diſp. 18. Sect. 2. n. 38. & 49.* Herincx *diſp. 5. a. n. 16.* Barboſa *de offic. & poteſt. Pa-*

roch. part. 2. c. 20. n. 8. Per mortis articulum autem intelligitur tempus, quo vel mors proximè inſtat, & hæc moraliter certa atque inevitabilis eſt; vel quô eſt mortis periculum, id eſt, probabile dubium de conſervatione ſeu prorogatione vitæ, eò quòd in tali caſu valdè frequenter mors ſoleat accidere. Ità Suarez, t. 4. Relig. l. 2. c. 3.

Quæres quintò, utrum ſacerdoti aliquando liceat, etiam extra Miſſam ſeipſum communicare?

58 R. Licet in neceſſitatis caſu, ubi non adeſt alius Sacerdos, à quo ſacram communionem poſſet percipere. Ità cum *communi* DD, Herincx *de Euchar. diſp. 5. n 10.* Ratio eſt: quia Sacerdos eſt Miniſter ordinarius hujus Sacramenti, quod nec ex ſua natura, neque ex inſtitutione Chriſti requirit Miniſtrum diſtinctum à communicante ſeu ſumente, præſertim pro caſu neceſſitatis. Quin imò plurimi DD. cenſent, id fieri poſſe ex ſola devotione, vel etiam in magno aliquo feſto, ubi ſacerdos eſt infirmus, ità, ut commodè celebrare nequeat, nec habere copiam alterius Sacerdotis, à quo communionem ſacram recipiat.

Quæres ſextò, ſitnè aliquando licitum Sacerdoti, partem hoſtiæ ſuæ, majoris ſcilicet, dare Laico deſideranti S. Communionem?

59 R. Juxta ſuperiùs *n. 37.* dicta id eſſe licitum ex multùm rationabili cauſa, qualis cenſeretur eſſe, ſi moribundus eſſet communicandus, vel

ſi

si urgeat præceptum communionis, aut cerè magna devotio petentis, simùlque alia parva hostia commodè haberi nequeat. ità S. Antoninus, Sylvester, Bonacin, Herincx *citt. n. 12.* Ratio autem hujus est: quia hoc minimè obstat integritati sacrificii; quandoquidem in qualibet parte specierum tantundem contineatur. Nihilominus sinè causa nefas foret recedere à moderno ritu Ecclesiæ, vi cujus Sacerdos pro Laicis communicandis distinctas hostias consecrare debet: etsi multi DD. probabile putent, non esse mortale huic consuetudini contravenire, modò absit scandalum & contemptus &c.

Quæres septimò, quænam ex parte Ministri requirantur ad hoc, ut sacram Eucharistiam licitè distribuat, alios communicando?

R. Præter jurisdictionem, de qua jam superiùs *n. 56.* insuper requiritur 1, ut sit ipse in statu gratiæ. 2. ut eam non administret alicui scienter indigno. Ratio est: quia Sacerdoti incumbit nedum dignè, sed etiam fideliter administrare Sacramenta, veluti dictum fuit *Confer 2, à. n. 25,* at, nisi sit in statu gratiæ, non ministraret eam dignè; & si alicui scienter indigno ministret, non erit minister fidelis: ergo per se loquendo peccabit graviter. Videantur dicta *Confer. mox cit.* 60

Quæres octavò, utrum vel, quando Parochus teneatur hoc Sacramentum administrare suis subditis?

61 R. Tenetur ad hoc (sivè dein per se, sive per alium saltem) non solùm, quando Parochiani seu subditi tenentur ad S. Communionem percipiendam, sed etiam quoties hanc rationabiliter postulant. Ità *Communissimè DD.* uti videre est apud Barbosam *proximè cit. n. 15.* Ratio est: quia pastori incumbit oves suas pascere nedum per ea, quæ sunt simpliciter necessaria, sed etiam quæ sunt valdè utilia ad salutem, saltem quando hoc postulatur, idque non solùm in extrema necessitate, quippe pro qua sola non sunt conducti stipendio.

62 Diximus tamen: *quoties rationabiliter postulant*: Secus enim dicendum foret, si consideratis circumstantiis statûs, temporis &c. vel nimiùm frequenter, vel saltem nimis importunè postularent; vel si Parochus ob infirmitatem, aliasvè occupationes necessarias impeditus sit: tunc enim communionem meritò voluntariè faciendam licitè denegaret, aut differret in aliud tempus commodius: est tamen & in hoc cautè agendum, quia ex hujusmodi denegatione facilè possent scandalizari homines, amissa confidentia debita in Pastorem, prout sæpiùs, quàm par est, contigisse, exempla satis tragica exstant & probant.

§. 11.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Ministro Eucharistiæ.

Titius sacerdos postulatus, ut moribundo porrigeret S. Viaticum, voluit illico satisfacere justæ petitioni, sed quia Ædituus nimis longam videbatur trahere moram; hinc ne moribundus decederet sinè consuetis Ecclesiæ Sacramentis, Titius assumpta sacra hostia sinè stola, superpelliceo, immò etiam sinè lumine cucurrit ad infirmum, eundemque sacro Viatico refecit. Quæritur an bene?

R. Non est culpandus, sed potiùs laudandus, & commendandus Titii Zelus: esto enim per se loquendo graviter sit illicitum SS. Eucharistiæ Sacramentum administrare sinè stola, S, Vestibus, & sinè lumine, nihilominus cùm Sacramenta sint specialiter instituta ad animarum salutem; hinc omnino rationabiliter præsumitur, nec Christum, neque Ecclesiam ceu pian Matrem, quæ vult, ut omnes fideles SS, Sacramentis ceu firmissimo quodam præsidio muniti decedant, voluisse obligare ad observantiam dictarum Cæremoniarum pro tali casu, ubi urget gravissima necessitas, & rationabiliter timetur periculum animæ, Vide Goba *tr. 4. n. 417.* La Croix *l. 6. n. 614.* 63

Dices: At quid in hoc casu: quidam R. D.

Parochus in quadam civitate merè Catholica libenter quidem videt, immò vult, ut Religiosi ibidem degentes suis Parochianis deferant augustissimum hoc Sacramentum, non solùm, quando illud postulant per modum Viatici, sed etiam, quando illud exigunt ad solatium animæ tempore diutinæ infirmitatis, qua nequeunt accedere Ecclesiam; ne tamen dicti Religiosi videantur mittere falcem in alienam messem, aut juribus Parochialibus aliquatenus derogare, hinc jubet, ut hoc Sacramentum deferant sinè lumine ad ægrotos, & sinè campanula, vel superpelliceo, merùm scilicet occultè, etsi non sit contrarius, ut in domo infirmi luminaria accendantur, & Religiosus superpelliceo ac stola induatur: an licitè hoc fiet?

64 R. Licitè. Quamvis enim diversi Pontifices mox suprà *n. 57.* relati nobis indulserint potestatem ministrandi Eucharistiam sæcularibus etiam extra conventum, non ideo tamen censetur concessisse, ut illam deferamus cum pompa per plateas; tum quia hoc esset contra consuetudinem & usum respectu Religiosorum; tum etiam quia communis usus & consuetudo receptissima satis declarat, hunc modum (cum pompa scilicet per plateas deferendi venerabile) esse solis Parochis proprium, quibus quoad hoc præjudicare noluerunt SS. Pontifices. Quapropter cùm modus iste deferendi in occulto, hactenus à Religiosis observatus, nemini præjudicet, simùlque animarum

rum ſaluti ſit valde proficuus, nec Sacramenti reverentiam poſitivè dedecens, non videtur ullatenus culpandus aut improbandus. Certè legitur in vita Sancti Franciſci Saleſii, quòd aſſueverit per urbes hæreticas deferre Sacram hoſtiam ſub veſtibus abditam, ſinè ulla alia exteriore cæremonia, niſi quòd cum majore quàm aliàs gravitate ac modeſtia inceſſerit. Et utique laudandi ſunt illi Parochi (ait Gobat *cit. n. 418.*) quos ſcio è pagis Catholicis in urbes prorſus hæreticas detuliſſe ad periculosè ægrotantes mercatores aut famulos diviniſſimam hoſtiam cum ſumma diſſimulatione & ſilentio. Vide etiam Suarez *tom. 4. de Relig. l. 9. c. 2. §. dices ergo.* Portel, *reſponſ. moral. tom. 2. caſ. 12. n 10.*

Dices contra hanc reſolutionem. *Cap. ſanè. de celebr. Miſſ.* præcipitur Sacerdotibus, ut Sacramentum Euchariſtiæ ad infirmos ferant manifeſtè, & honorificè ante pectus cum omni reverentia & timore, ſemper lumine præcedente, & transgreſſores hujus mandati jubentur graviter puniri à Prælatis: ergo non eſt licita, ſed potiùs graviter peccaminoſa talis delatio occulta ſinè lumine &c.

R. Citatum capitulum commodè intelligi 65
poſſe, ac debere de illis Sacerdotibus, quibus adminiſtratio hujus Sacramenti ex officio incumbit, qui, cùm poſſint ſolenniter illud deferre, negligendo hujusmodi cæremonias, utique graviter delinquunt, veluti rectè advertunt Engel *in manuali Paroch. part. 3. c. 3 n. 4.* Barboſa

boſa *de offic. & poteſt Paroch. p. 2. c. 20. n. 32.* At non eſt intelligendum de Religioſis, quibus hæc poteſtas indulta ex privilegiis competit ſinè præjudicio Parochorum, úti jam dictum fuit; nam iſti cenſentur moraliter non poſſe adhibere cæremonias illas, & pompam exteriorem.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius ſub ſuo ſacrificio plures communicaturus aſſumpſit pro ſingulis communicandis ſingulas hoſtias, quas etiam in hunc finem conſecravit. At verò ubi ad communionem perventum eſt, contigit, ut inter diſtribuendum de patena una illarum decideret in terram, quam communicandus ille laicus illicò apprehenſam digitis, elevavit, & ſublevatam Sacerdoti reſtituit ſibi porrigendam. Stetit propterea Sempronius totus quantus perturbatus & deliberans, quidnam in his circumſtantiis agendum ſibi foret. Quid reſpondendum?

66 R. Sempronius potuit ac debuit hoſtiam hanc tribuere laico, cùm nihil omnino obſtiterit in contrarium. Digiti tamen ejusdem laici, quibùs ſupponitur apprehendiſſe ſacram Hoſtiam, erant abluendi, & ablutio mittenda in piſcinam. Inſuper & locus, in quem incidit ſacra Hoſtia, mox ſtrophiolo vel alio cooperto mundo erat notandus atque tegendus, ſi fortè erat periculum, ne ab aliis tangeretur aut polluereturr, & poſtea aut radendus, aut abluendus.

endus, rasura vel ablutione pariter missis in piscinam. Gobat, Tambur, Pellizarius, Lohner apud la Croix *lib. 6 n. 494.* Ubi is etiam notat, quòdsi contingat hostiam decidere in vestem aut barbam &c. ordinariè non sit præcipienda ablutio eorum, eò quôd sit meliùs vitari turbationem vel offensam populi, quàm rubricam illam servari.

Dices: At quid agendum, casu quo hostia decidit in sinum, vel intra vestes mulieris, ùt non semel contigit, minùs, quàm oportuisset honestè tectis aut vestitis?

R. Cum Lohner *part. 2. tr. 26. n. 7.* Pasqualiguo, La Croix *mox cit. n. 495.* in hoc casu permittendum & præcipiendum esse, ut vel ipsamet, vel alia mulier manu sua sacram hostiam extrahat, & sumat, aut reponat in ciborium; indecens quippe foret, & plerúmque scandalosum, si Sacerdos ipse eximeret: Quòdsi in loco communionis administratæ, utputa in Ecclesia publica, nequeat commodè eximi, jubeatur mulier seorsim recedere, v. g. in aliquam Capellam, vel in turrim campanariam, vel etiam ad aliam domum vicinam, ibìque eximere, ac referre hostiam, aut exempram sumere: digiti verò abluantur, & ablutio mittatur in piscinam. Videantur DD. *citt.*

67

CA-

CASUS TERTIUS.

CAjus Sacerdos inter communicandum aliquoties notaverat aliquam personam, quæ post S. Communionem perceptam assueverat subitò sese inclinare usque in terram, libro suo precario ori semper admoto: & quia aliunde noverat, hujusmodi personas sacris hostiis ori denuo ereptis ad alios nefandos fines fuisse abusas; hinc dictam personam proximè redeuntem, & more solito communicantem, publicè redarguit, jubens ut se erigeret, & aliorum more se haberet. Quæritur an bene?

68 R. Non bene. Ratio est: qui talis reprehensio publica sinè offensa & infamia personæ fieri nunquam potest: tum etiam: quia talis inclinatio fortè facta est, immò (nisi de contrario aliunde constet) præsumi debet facta fuisse ex mera humilitate, devotione, aut alio bono fine. Unde hic Zelus Caii revera indiscretus fuit, & non juxta normam justitiæ. Quin immò, Burghaber *Cent. 1. cas. 35.* èúmque secutus La Croix *cit. n. 104* dicunt, Sacerdotem non teneri publicè arguere, vel statim reprehendere personam communicatam, esto etiam videret, quòd hostiam deponat in strophiolum; tum quia per hoc' persona communiter infamaretur, forètque etiam Sacerdoti nimis incommodum & periculosum; tum etiam, quia fortè ideò tantùm eximit sacratas, species, quia præsensit vomitum, vel quia recordatur

datur alicujus peccati, propterèa quæ putat, melius esse sic ex ore deponere, quàm deglutire sacras species. Debebit tamen Sacerdos observare, quænam persona sit, & quò recedat, & postea ab illa sacram hostiam repetere, si scilicet fieri id possit moraliter.

Dices: At quid agendum, si pœnitens fateatur, seu unam vel plures etiam hostias consecratas ad aliquem finem malum, utputa superstitiosum aut magicum &c. sibi reservâsse, aut in tali vel tali loco abscondisse &c. &c.

R. Si hujusmodi hostias absconsas Sacerdos 69
ipse possit inde tollere sinè scandalo, diffamatione Rei, aut fractione sigilli &c, tollat eas reverenter: & si hoc fieri nequeat; jubeat, ut pœnitens easdem sibi restituat, quippe qui ad hoc sub gravissima culpa obligatur, velut de se clarum est: quod si facere recuset, tanquam indispositus repelli debet. Attamen hostias ità recuperatas non tenetur Sacerdos sumere, multò minùs reponere in ciborium, aliis communicaturis postea distribuendas, tum quia non satis certò constat, eas esse consecratas; tum quia posset subesse alia fraus, utputa quòd pœnitens solùm intenderit Confessarium decipere, veluti jam sæpiùs contigit; vel etiam quòd easdem infecerit veneno &c. Ideircò cum hujuscemodi hostiis idemmet observandum esse arbitror, quod præscribitur in Missali *tit. 10. de defectibus in ministerio ipso occurentibus n. 7.* de hostiis post consecrationem veneno

neno infectis, vel alia ratione nauseam provocantibus, scilicet eas esse reponendas in tabernaculo, locô separato, donec species corrumpantur: corruptæ deinde mittantur in sacrarium.

70 Idipsum pariter practicandum, & observandum censeo, si pœnitens fateatur, se hostiam aliquam consecratam portare carnem inter & cutem quasi insutam & quodammodo sibi incorporatam; nam si talis hostia adhuc possit eximi cutis incisione, eximenda est per se loquendo: exempta autem reponenda in tabernaculum, vel alium locum decentem, donec corrumpatur: quia verò talis excisio dedecet Sacerdotem, præsertim si hostia portetur in aliqua parte corporis minùs honesta (utì fieri amat à Sagis & Magis) hinc relinquenda est ipsi pœnitenti, qui, si novit carnem suam aut cutem incidere in ordine ad incorporandam, pariter noverit eandem incidere ad eximendam hostiam consecratam: judico tamen hujusmodi hostiam diu portari non posse, quin corrumpatur; tum per calorem naturalem; tum etiam per abundantiam humorum, & aliorum accidentium, seu qualitatum contrariarum in corpore humano repertarum.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

COlliges & dictis primò, non peccare Sacerdotem (qualiscunque demum sit) qui de voluntate Pastoris rationabiliter præsumpta Eucharistiam administrat, ità scilicet, aut prudenter credere possit, Pastorem hoc factum suum probaturum. Ità DD. *Communissimè* Et ratio est: quia ad evitandum peccatum, sufficit, hoc Sacramentum administrari cum tali subordinatione, ut non fiat, aut certè prudenter credatur hic & nunc non fieri invito Pastore ordinario. Quandonam autem, vel quantum de voluntate Pastoris ordinarii rationabiliter præsumi possit, colligendum erit vel maximè ex circumstantiis Personæ, loci, temporis, vel etiam necessitatis &c. etenim quantò major ex parte petentis occurrit necessitas, vel ex parte administrantis dignitas &c. tantò rationabiliùs licet præsumere de consensu boni Pastoris. Censet etiam Herincx noster *Disp. 5. de Euchar. n. 15.* Pastorem dare licentiam communicandi aliquem vel aliquos illi Sacerdoti, quem communiter admittit ad celebrandum in sua Ecclesia. Faciliùs adhuc præsumitur licentia ad communicandum aliquem ex mera devotione postulantem communicari sub Missa privata, veluti pas- 71

sim

roch. part. 2. c. 20. n. 8. Per mortis articulum autem intelligitur tempus, quo vel mors proximè inſtat, & hæc moraliter certa atque inevitabilis eſt; vel quô eſt mortis periculum, id eſt, probabile dubium de conſervatione ſeu prorogatione vitæ, eò quòd in tali caſu valdè frequenter mors ſoleat accidere. Ità Suarez, t. 4. Relig. l. 2. c. 3.

Quæres quintò, utrum ſacerdoti aliquando liceat, etiam extra Miſſam ſeipſum communicare?

58 R. Licet in neceſſitatis caſu, ubi non adeſt alius Sacerdos, à quo ſacram communionem poſſet percipere. Ità cum *communi* DD, Herincx *de Euchar. diſp. 5. n 10.* Ratio eſt: quia Sacerdos eſt Miniſter ordinarius hujus Sacramenti, quod nec ex ſua natura, neque ex inſtitutione Chriſti requirit Miniſtrum diſtinctum à communicante ſeu ſumente, præſertim pro caſu neceſſitatis. Quin imò plurimi DD. cenſent, id fieri poſſe ex ſola devotione, vel etiam in magno aliquo feſto, ubi ſacerdos eſt infirmus, ità, ut commodè celebrare nequeat, nec habere copiam alterius Sacerdotis, à quo communionem ſacram recipiat.

Quæres ſextò, ſitnè aliquando licitum Sacerdoti, partem hoſtiæ ſuæ, majoris ſcilicet, dare Laico deſideranti S. Communionem?

59 R. Juxta ſuperiùs *n. 37.* dicta id eſſe licitum ex multùm rationabili cauſa, qualis cenſeretur eſſe, ſi moribundus eſſet communicandus, vel

ſi

ſi urgeat præceptum communionis, aut cerè magna devotio petentis, ſimùlque alia parva hoſtia commodè haberi nequeat. ità S. Antoninus, Sylveſter, Bonacin, Herincx *citt. n. 12.* Ratio autem hujus eſt: quia hoc minimè obſtat integritati ſacrificii; quandoquidem in qualibet parte ſpecierum tantundem contineatur. Nihilominus ſinè cauſa nefas foret recedere à moderno ritu Eccleſiæ, vi cujus Sacerdos pro Laicis communicandis diſtinctas hoſtias conſecrare debet: etſi multi DD. probabile putent, non eſſe mortale huic conſuetudini contravenire, modò abſit ſcandalum & contemptus &c.

Quæres ſeptimò, quænam ex parte Miniſtri requirantur ad hoc, ut ſacram Euchariſtiam licitè diſtribuat, alios communicando?

R. Præter jurisdictionem, de qua jam ſuperiùs *n. 56.* inſuper requiritur 1, ut ſit ipſe in ſtatu gratiæ. 2, ut eam non adminiſtret alicui ſcienter indigno, Ratio eſt: quia Sacerdoti incumbit nedum dignè, ſed etiam fideliter adminiſtrare Sacramenta, veluti dictum fuit *Confer 2, à. n. 25,* at, niſi ſit in ſtatu gratiæ, non miniſtraret eam dignè; & ſi alicui ſcienter indigno miniſtret, non erit miniſter fidelis: ergo per ſe loquendo peccabit graviter. Videantur dicta *Confer. mox cit.* 60

Quæres octavò, utrum vel, quando Parochus teneatur hoc Sacramentum adminiſtrare ſuis ſubditis?

61 R. Tenetur ad hoc (sivè dein per se, sive per alium saltem) non solùm, quando Parochiani seu subditi tenentur ad S. Communionem percipiendam, sed etiam quoties hanc rationabiliter postulant. Ità *Communissimè DD.* utì videre est apud Barbosam *proximè cit. n. 15.* Ratio est: quia pastori incumbit oves suas pascere nedum per ea, quæ sunt simpliciter necessaria, sed etiam quæ sunt valdè utilia ad salutem, saltem quando hoc postulatur, idque non solùm in extrema necessitate, quippe pro qua sola non sunt conducti stipendio.

62 Diximus tamen: *quoties rationabiliter postulant*: Secus enim dicendum foret, si consideratis circumstantiis statûs, temporis &c. vel nimiùm frequenter, vel saltem nimis importunè postularent; vel si Parochus ob infirmitatem, aliasvè occupationes necessarias impeditus sit: tunc enim communionem merè voluntariè faciendam licitè denegaret, aut differret in aliud tempus commodius: est tamen & in hoc cautè agendum, quia ex hujusmodi denegatione facilè possent scandalizari homines, amissa confidentia debita in Pastorem, prout sæpiùs, quàm par est, contigisse, exempla satis tragica exstant & probant.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Ministro Eucharistiæ.

Titius sacerdos postulatus, ut moribundo porrigeret S. Viaticum, voluit illico satisfacere justæ petitioni, sed quia Æduus nimis longam videbatur trahere moram; hinc ne moribundus decederet sinè consuetis Ecclesiæ Sacramentis, Titius assumpta sacra hostia sinè stola, superpelliceo, immò etiam sinè lumine cucurrit ad infirmum, eundemque sacro Viatico refecit. Quæritur an bene?

R. Non est culpandus, sed potiùs laudan- 63
dus, & commendandus Titii Zelus: esto enim per se loquendo graviter sit illicitum SS. Eucharistiæ Sacramentum administrare sinè stola, S, Vestibus, & sinè lumine, nihilominus cùm Sacramenta sint specialiter instituta ad animarum salutem; hinc omnino rationabiliter præsumitur, nec Christum, neque Ecclesiam ceu piam Matrem, quæ vult, ut omnes fideles SS, Sacramentis ceu firmissimo quodam præsidio muniti decedant, voluisse obligare ad observantiam dictarum Cæremoniarum pro tali casu, ubi urget gravissima necessitas, & rationabiliter timetur periculum animæ, Vide Goba *tr. 4. n. 417,* La Croix *l. 6. n. 614.*

Dices: At quid in hoc casu: quidam R. D.

rum saluti sit valde proficuus, nec Sacramenti reverentiam positivè dedecens, non videtur ullatenus culpandus aut improbandus. Certè legitur in vita Sancti Francisci Salesii, quòd assueverit per urbes hæreticas deferre Sacram hostiam sub vestibus abditam, sinè ulla alia exteriore cæremonia, nisi quòd cum majore quàm aliàs gravitate ac modestia incesserit. Et utique laudandi sunt illi Parochi (ait Gobat *cit. n. 418.*) quos scio è pagis Catholicis in urbes prorsus hæreticas detulisse ad periculosè ægrotantes mercatores aut famulos divinissimam hostiam cum summa dissimulatione & silentio. Vide etiam Suarez *tom. 4. de Relig. l. 9. c. 2. §. dices ergo.* Portel. *respons. moral. tom. 2. cas. 12. n 10.*

Dices contra hanc resolutionem. *Cap. sanè. de celebr. Miss.* præcipitur Sacerdotibus, ut Sacramentum Eucharistiæ ad infirmos ferant manifestè, & honorificè ante pectus cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente, & transgressores hujus mandati jubentur graviter puniri à Prælatis: ergo non est licita, sed potiùs graviter peccaminosa talis delatio occulta sinè lumine &c.

R. Citatum capitulum commodè intelligi 65
posse, ac debere de illis Sacerdotibus, quibus administratio hujus Sacramenti ex officio incumbit, qui, cùm possint solenniter illud deferre, negligendo hujusmodi cæremonias, utique graviter delinquunt, veluti rectè advertunt Engel *in manuali Paroch. part. 3. c. 3 n. 4.* Barbosa

boſa *de offic. & poteſt Paroch. p. 2. c. 20. n. 32.* At non eſt intelligendum de Religioſis, quibus hæc poteſtas indulta ex privilegiis competit ſinè præjudicio Parochorum, úti jam dictum fuit; nam iſti cenſentur moraliter non poſſe adhibere cæremonias illas, & pompam exteriorem.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius ſub ſuo ſacrificio plures communicaturus aſſumpſit pro ſingulis communicandis ſingulas hoſtias, quas etiam in hunc finem conſecravit. At verò ubi ad communionem perventum eſt, contigit, ut inter diſtribuendum de patena una illarum decideret in terram, quam communicandus ille laicus illicò apprehenſam digitis, elevavit, & ſublevatam Sacerdoti reſtituit ſibi porrigendam. Stetit propterea Sempronius totus quantus perturbatus & deliberans, quidnam in his circumſtantiis agendum ſibi foret. Quid reſpondendum?

66 R. Sempronius potuit ac debuit hoſtiam hanc tribuere laico, cùm nihil omnino obſtiterit in contrarium. Digiti tamen ejusdem laici, quibùs ſupponitur apprehendiſſe ſacram Hoſtiam, erant abluendi, & ablutio mittenda in piſcinam. Inſuper & locus, in quem incidit ſacra Hoſtia, mox ſtrophiolo vel alio cooperto mundo erat notandus atque tegendus, ſi fortè erat periculum, ne ab aliis tangeretur aut pollueretur, & poſtea aut radendus, aut abluendus.

endus, rasura vel ablutione pariter missis in piscinam. Gobat, Tambur, Pellizarius, Lohner apud la Croix *lib. 6 n. 494.* Ubi is etiam notat, quòdsi contingat hostiam decidere in vestem aut barbam &c. ordinariè non sit præcipienda ablutio eorum, eò quòd sit melius vitari turbationem vel offensam populi, quàm rubricam illam servari.

Dices: At quid agendum, casu quo hostia decidit in sinum, vel intra vestes mulieris, ut non semel contigit, minùs, quàm oportuisset honestè tectis aut vestitis? 67

R. Cum Lohner *part. 2. tr. 26. n. 7.* Pasqualiguo, La Croix *mox cit. n. 495.* in hoc casu permittendum & præcipiendum esse, ut vel ipsamet, vel alia mulier manu sua sacram hostiam extrahat, & sumat, aut reponat in ciborium; indecens quippe foret, & plerúmque scandalosum, si Sacerdos ipse eximeret: Quòdsi in loco communionis administratæ, utputa in Ecclesia publica, nequeat commodè eximi, jubeatur mulier seorsim recedere, v. g. in aliquam Capellam, vel in turrim campanariam, vel etiam ad aliam domum vicinam, ibìque eximere, ac referre hostiam, aut exempram sumere: digiti verò abluantur, & ablutio mittatur in piscinam. Videantur DD. *citt.*

CA-

CASUS TERTIUS.

Cajus Sacerdos inter communicandum aliquoties notaverat aliquam perſonam, quæ poſt S. Communionem perceptam aſſueverat ſubitò ſeſe inclinare uſque in terram, libro ſuo precario ori ſemper admoto: & quia aliunde noverat, hujusmodi perſonas ſacris hoſtiis ori denuo ereptis ad alios nefandos fines fuiſſe abuſas; hinc dictam perſonam proximè redeuntem, & more ſolito communicantem, publicè redarguit, jubens ut ſe erigeret, & aliorum more ſe haberet. Quæritur an bene?

68 R. Non bene. Ratio eſt: qui talis reprehenſio publica ſinè offenſa & infamia perſonæ fieri nunquam poteſt: tum etiam: quia talis inclinatio fortè facta eſt, immò (niſi de contrario aliunde conſtet) præſumi debet facta fuiſſe ex mera humilitate, devotione, aut alio bono fine. Unde hic Zelus Caii revera indiſcretus fuit, & non juxta normam juſtitiæ. Quin immò, Burghaber *Cent. 1. caſ. 35.* èúmque ſecutus La Croix *cit. n. 104* dicunt, Sacerdotem non teneri publicè arguere, vel ſtatim reprehendere perſonam communicatam, eſto etiam videret, quòd hoſtiam deponat in ſtrophiolum; tum quia per hoc perſona communiter infamaretur, foretque etiam Sacerdoti nimis incommodum & periculoſum; tum etiam, quia fortè ideò tantùm eximit ſacratas ſpecies, quia præſenſit vomitum, vel quia recordatur

datur alicujus peccati, propterèa quæ putat, melius esse sic ex ore deponere, quàm deglutire sacras species. Debebit tamen Sacerdos observare, quænam persona sit, & quò recedat, & postea ab illa sacram hostiam repetere, si scilicet fieri id possit moraliter.

Dices: At quid agendum, si pœnitens fateatur, seu unam vel plures etiam hostias consecratas ad aliquem finem malum, utputa superstitiosum aut magicum &c. sibi reservâsse, aut in tali vel tali loco abscondisse &c. &c.

R. Si hujusmodi hostias absconsas Sacerdos 69
ipse possit inde tollere sinè scandalo, diffamatione Rei, aut fractione sigilli &c, tollat eas reverenter: & si hoc fieri nequeat; jubeat, ut pœnitens easdem sibi restituat, quippe qui ad hoc sub gravissima culpa obligatur, velut de se clarum est: quod si facere recuset, tanquam indispositus repelli debet. Attamen hostias ità recuperatas non tenetur Sacerdos sumere, multò minùs reponere in ciborium, aliis communicaturis postea distribuendas, tum quia non satis certò constat, eas esse consecratas; tum quia posset subesse alia fraus, utputa quòd pœnitens solùm intenderit Confessarium decipere, veluti jam sæpiùs contigit; vel etiam quòd easdem infecerit veneno &c. Ideircò cum hujuscemodi hostiis idemmet observandum esse arbitror, quod præscribitur in Missali *tit. 10. de defectibus in ministerio ipso occurenbus n. 7.* de hostiis post consecrationem veneno

neno infectis, vel alia ratione nauſeam provocantibus, ſcilicet eas eſſe reponendas in tabernaculo, locô ſeparato, donec ſpecies corrumpantur: corruptæ deinde mittantur in ſacrarium.

70 Idipſum pariter practicandum, & obſervandum cenſeo, ſi pœnitens fateatur, ſe hoſtiam aliquam conſecratam portare carnem inter & cutem quaſi inſutam & quodammodo ſibi incorporatam; nam ſi talis hoſtia adhuc poſſit eximi cutis inciſione, eximenda eſt per ſe loquendo: exempta autem reponenda in tabernaculum, vel alium locum decentem, donec corrumpatur: quia verò talis exciſio dedecet Sacerdotem, præſertim ſi hoſtia portetur in aliqua parte corporis minùs honeſta (utì ſieri amat à Sagis & Magis) hinc relinquenda eſt ipſi pœnitenti, qui, ſi novit carnem ſuam aut cutem incidere in ordine ad incorporandam, pariter noverit eandem incidere ad eximendam hoſtiam conſecratam: judico tamen hujusmodi hoſtiam diu portari non poſſe, quin corrumpatur; tum per calorem naturalem; tum etiam per abundantiam humorum, & aliorum accidentium, ſeu qualitatum contrariarum in corpore humano repertarum.

§. III.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

COlliges & dictis primò, non peccare Sacerdotem (qualiscunque demum ſit) qui de voluntate Paſtoris rationabiliter præſumpta Euchariſtiam adminiſtrat, ità ſcilicet, aut prudenter credere poſſit, Paſtorem hoc factum ſuum probaturum. Ità DD. *Communiſſimè* Et ratio eſt: quia ad evitandum peccatum, ſufficit, hoc Sacramentum adminiſtrari cum tali ſubordinatione, ut non fiat, aut certè prudenter credatur hic & nunc non fieri invito Paſtore ordinario. Quandonam autem, vel quantum de voluntate Paſtoris ordinarii rationabiliter præſumi poſſit, colligendum erit vel maximè ex circumſtantiis Perſonæ, loci, temporis, vel etiam neceſſitatis &c. etenim quantò major ex parte petentis occurrit neceſſitas, vel ex parte adminiſtrantis dignitas &c. tantò rationabiliùs licet præſumere de conſenſu boni Paſtoris. Cenſet etiam Herincx noſter *Diſp. 5. de Euchar. n. 15.* Paſtorem dare licentiam communicandi aliquem vel aliquos illi Sacerdoti, quem communiter admittit ad celebrandum in ſua Eccleſia. Faciliùs adhuc præſumitur licentia ad communicandum aliquem ex mera devotione poſtulantem communicari ſub Miſſa privata, veluti paſſim 71

ſim practicari videmus, nemine (quantùm ſcio) contradicente, aut improbante.

72 Colliges ſecundò, à Religioſis licitè diſpenſari hoc Sacramentum etiam in articulo mortis, vel in paſchate, ſequentibus Perſonis 1. Domeſticis ſuis, famulis ſcilicet, aliìsque contubernalibus; quia ad hoc habent privilegium 2. Peregrinis, & advenis, juxta opinionem Lugo, Dianæ, Fagundez, Sanchez *de Martim. l. 3. d. 23. n. 17.* & aliorum multorum. 3. Item aliis perſonis in ſequentibus duntaxat caſibus 1. in caſu extremæ, vel etiam gravis neceſſitatis, ubi eſt probabile periculum mortis, & Parochus non vult, aut non poteſt dare Viaticum. 2. Quando pœnitens in Paſchate nequit communicare in ſua Parochia, neque à Parocho ob loci diſtantiam, aut aliam infirmitatem poteſt petere veniam. 3. Quando communionem paſchalem in ſua Parochia jamjam ſuſcepit, aut poſtea currente adhuc tempore Paſchali ſuſcepturus creditur, 4. Si Parochus ipſe conſentiat & velit, ut ſui Parochiani apud alios v. g. Religioſos communicent, ſibìque deferant ſchedam, ſeu teſtimonium perceptæ communionis paſchalis, prout hodie in multis locis fieri videmus. 5. tò denique, quando ægrotus de manibus proprii ſui Paſtoris Viaticum jam ſumpſit, cum intentione huic præcepto & obligationi ſuæ ſatisfaciendi; quia Regularibus adminiſtratio Euchariſtiæ ſolùm prohibetur, quando fideles eam tenentur ſuſcipere de manibus Paſtoris proprii; atque

atque hinc etiam, ſextò, Religioſi licitè eam (ſervatis tamen ſervandis jam ſupià *n. 64.* inſinuatis) adminiſtrarent ægroto, quando is nondum pervenit ad eum ſtatum, in quo ex præcepto Eccleſiæ tenetur ad Communionem. Videatur Herincx *cit. diſp. 5. q. 4. n. 14. & ſeqq.* Buſenbaum *hìc c. 2. a. 1.*

Colliges tertiò, in abſentia omnis Sacer- 73
dotis etiam Diaconum poſſe Viaticum præbere moribundo. Ratio eſt: quia in tali caſu prudenter præſumitur, id voluiſſe Paſtorem proprium, aut certè Epiſcopum & Eccleſiam. Quin etiam in abſentia omnis Sacerdotis & Miniſtri pro mortis articulo etiam Laicum poſſe accipere, & deferre ciborium, ſibíque vel alteri miniſtrare Evchariſtiam, probabile cenſent Filiuc. Caſtropal. Leſſius, la Croix ubi ſupra *n. 482.* Herincx *diſp. 5. n. 11.* Boſco & alii (contra Lugo, Dicaſtillo, Sà & alios nonnullos) tum quia præceptum humanum *cap. pervenit. 29. de conſecrat. diſt. 2.* prohibens à Laico deferri Evchariſtiam, non loquitur de caſu extremæ neceſſitatis, utpote in quo præceptum humanum cedere debet divino de ſumendo Viatico, præſertim cum Evchariſtia per accidens conferre valeat gratiam primam; tum etiam, quia in agone quivis multùm indiget ſpirituali robore, cujus conferendi gratiâ Evchariſtiæ Sacramentum fuit inſtitutum.

Colliges quartò, non eſſe contra reveren- 74
tiam huic Sacramento debitam, illud ad infir-

mos longiùs diſtantes deferre in equo manſueto. Ita Gobat *tr. 4. n. 415.* ubi ait, quòd quidem per ſe loquendo eſſet deferendum à Sacerdote pedite, ſi tamen ratio tempeſtatis, vel diſtantiæ, vel periculum in mora aliud ſuadeat, Sacerdotem tutò uti poſſe beneficio Caballi, idque permitti vi conſtitutionum ſynodalium Diœceſis Conſtantienſis. Quocirca etiam ſapienter monent Poſſevin. & Barboſa ubi ſuprà, non eſſe licitum pyxidem, in qua Venerabile deportari ſolet, dare laico ad portandum, quantumvis Paſtor ſit fatigatus, ſed potiùs è collo Sacerdotis ſuſpendendam eſſe burſam. Et quando hoc Sacramentum pietatis defertur per urbem, ſemper aſſumendæ ſunt duæ particulæ, ne redeunte Sacerdote obvii adorent continens pro contento. Secus fieri poteſt, ſi foras egrediendum ſit, vel quando hoc Venerabile merè in occulto ſine advertentia aliorum deportatur à Miniſtro. Videatur Barboſa *de offic. & poteſt. Paroch. p. 2. c. 20. à n. 27.*

75 Colliges quintò, peccare Miniſtrum, qui non adminiſtrat Evchariſtiam ritu Eccleſiæ conſueto. Ratio eſt: quia legitimus Eccleſiæ Ordo, præſertim in hoc miniſterio, concernente miniſterium omnium diviniſſimum, obligat ſub peccato. Atque hinc graviter delinquit 1. qui Evchariſtiam ſub utraque ſpecie dat perſonis, quibus id non eſt conceſſum à Sumo Pontifice. Item 2. qui extra caſum neceſſi-

ceſſitatis dat laico hoſtiam majorem, vel ſpecies vini &c. vel 3. qui ſine lumine aut ſacris veſtibus (extra caſum ſummæ neceſſitatis) eandem defert per plateas &c. 4. item, qui ſcienter indigno eandem adminiſtrat. Ita cum communi DD. Bonacin. Diana *part. 8. tr. 1. Reſol. 24.*

Colliges ſextò, ad officium Sacerdotis per- 76
tinere, ut diviniſſimum hoc Sacramentum ſemper aſſervet in loco honeſto (qualis communiter, & ordinariè eſt tabernaculum Eccleſiæ) ídque cum lumine ſemper ardente. Inſuper attinet ad Sacerdotem, illud cuſtodire diligenter, clave tabernaculi non Edituo, alterivè laicó data, ſed ſibi ſoli reſervata. Porrò ad eandem curam Sacerdotis ſpectat, aliquoties ſaltem per annum renovare ciborium, ne ſcilicet ſpecies conſecratæ corrumpantur, aut ex iisdem vermes naſcantur; quod utique graviſſimè injurioſum eſſet, & contrarium foret reverentiæ tanto Sacramento debitæ. *Communis DD.*

Aſt, inquies, quô modo renovandum eſt Ciborium?

R. Renovatio ciborii facienda eſt ſub Sacri- 77
ficio Miſſæ, in quo Sacerdos antiquas hoſtias, etſi fortè ſint numerô plures, v.g. 20. vel 30. &c. poſt ſumptum SS. Sanguinem poteſt ac debet ſumere: particulas autem minutiores in ciborio repertas, vel conjiciat in calicem ſacrum eásque ſuperinfuſo vino ſumat; vel easdem colligat ſuper patenam, aut in fundum ci-

borii, sícque collectas digitô paululùm humectato attrahat ac sumat, utì suadet Lohner *part. 2. tit. 25.* & la Croix *cit. n. 502.* ubi is etiam ait, quòdsi Sacerdos ex inadvertentia sumpsisset priùs ablutionem, adhuc posset post eam purificare ciborium, & sumere reliquias; eò quòd pro moraliter una consumptione sacrificii reputetur. Ita etiam Fagundez & Tamburinus *de Communione c. 2. n. 35.*

Dices adhuc. Sed quid agendum, casu quo bestia v. g. mus, aut aliud animal sacras species absumpsit?

78 R. Si bestia talis sit exiguum & vile animal, oportet illud occidere & comburere; si autem supponatur esse animal magnum, quod tam facilè non possit comburi aut occidi, puto ego cum la Croix *cit. n. 595.* permitti posse, ut species in stomacho bestiæ consumantur; quia non videtur major irreverentia sive per ignem absumantur, sive per calorem stomachi animalis.

CON-

CONFERENTIA DECIMA QUARTA,

DE Subjecto Evchariſtiæ, ejusdémque diſpoſitione.

SUMMARIUM.

79. Subjectum capax Evchariſtiæ eſt omnis homo baptizatus, rationis compos;
80. Non item perpetuò amentes, neque infantes nunquam adhuc adepti uſum rationis.
81. Semifatuis ſaltem in mortis articulo, aut etiam in paſchate hoc Sacramentum poteſt adminiſtrari.
82. Ad debitam diſpoſitionem corporis requiritur jejunium naturale.
83. Quod inchoandum eſt à media nocte.
84. Ad debitam verò diſpoſitionem animæ neceſſarius eſt ſtatus gratiæ; unde
85. Quisquis ſibi conſcius eſt peccati mortalis, tenetur priùs quàm communicet, confiteri.
86 Idque probabiliùs ex præcepto divino.
87. Inſuper ad congruam ſuſceptionem hujus Sacramenti, requiritur aliqua devotio interna animi &c.
88. Reſolvitur Caſus I. de quodam Religioſo ordinando, qui pridie ante ordinationem præcone duodecimam noctis proclamante adhuc commederat & biberat.

89. An talis fracto etiam jejunio licitè accessisset ad sacram Ordinationem & Communionem.

90. Resolvitur Casus II. de quodam seniculo infirmario, qui communicaturus nunquam poterat jejunus accedere Ecclesiam; tum ob naturæ debilitatem; tum etiam ob loci distantiam.

91. Fumigatio Tabaci non fraugit jejunium, nec impedit S. Communionem;

92. Immò nec sumptio Tabaci pulverisati, facta per nares &c.

93. Resolvitur Casus III. de quodam Confessario, qui peccato mortali inquinatus accessit aram sine Confessione, eò quòd institerit hora celebrandi.

94. Huic non licuit accedere, nisi supponatur fuisse compulsus vera necessitate, simúlque destitutus copia Confessarii.

95. Quandonam censeatur adesse vera necessitas celebrandi;

96. Et quando abesse copia Confessarii.

97. Dubius de statu gratiæ, an sine Confessione prævia licitè accedat mensam Domini?

98. Energumeni, & Epileptici, an, vel quando communicandi?

99. Sanguis aut alius humor ex capite vel gingiva defluens, & in stomachum trajectus, non obstat sacræ Communioni.

100. Benè verò obstat id, quod per modum cibi vel potûs ab extra sumitur, quantumvis minimum.

101. Dubitans, an non fregerit jejunium naturale, probabiliùs licitè communicat.

102. Qui præter casum reservatum non habet aliud mortale, non tenetur S. Communioni præmittere Confessionem, nisi habeat copiam Confessarii potentis absolvere à reservato.

103. In statu disgratiæ communicans peccat gravissimè, non item qui cum meris venialibus accumbit &c.

104. Qui in ſtatu diſgratiæ, & ſimul non jejunus communicat, unum duntaxat ſacrilegium committit. etſi gravius

105 Præceptum Tridentini obligans ad quamprimùm confitendum, quomodo ſit intelligendum.

§. I.

Præmittuntur, & breviter reſolvuntur Quæſita, ſcitu neceſſaria ad debitè reſolvendos Caſus practicos de Subjecto Evchariſtiæ, ejusdémque diſpoſitione.

QUæres primò, quinam ſint Subjectum capax Evchariſtiæ recipiendæ?

R. Subjectum capax Evchariſtiæ recipiendæ eſt omnis homo baptizatus, & rationis compos. Ita cum communi Henno *diſp. 8. q. 2. Concluſ. 1.* Ratio eſt: quia Evchariſtia fuit inſtituta ad conferendum gratiæ augmentum: ergo omnis homo baptizatus, utpote capax gratiæ ſibi augmentandæ, modò velit, etiam eſt ſubjectum capax Evchariſtiæ. Secus diſcurrendum eſt de non baptizatis, quippe qui per Baptiſmum non ingreſſi Eccleſiam, eô ipſo manent excluſi à participatione aliorum Sacramentorum. 79

Dictum etiam fuit: *Homo rationis compos*: etſi enim pueri & amentes baptizati, nunquam tamen adepti uſum rationis, abſolutè loquendo capaces ſint augmenti gratiæ, propterèaque poſſent utiliter frui hoc Sacramento; nihilominus 80

minus communi Ecclesiæ consuetudine vim legis obtinente introductum jam fuit, ut talibus nunquam administretur Eucharistia. Qua ratione Catechismus Romanus docet, pueros (ante usum rationis scilicet) non esse Eucharistiæ recipiendæ idoneos: & certè non videtur conveniens, hoc augustissimum, & omnium prorsus dignissimum Sacramentum talibus utpote omni prorsus devotione destitutis, conferre: quia recta ratio dictat, reverentiam huic Sacramento debitam præferendam esse utilitati, quæ hujuscemodi hominibus inde provenire posset.

Dices: Sed quid de semifatuis, seu debilem rationis usum habentibus, tenendum & observandum in administratione?

81 R. Talibus potest, ac debet Eucharistia porrigi in articulo mortis, si nullum aliud inconveniens (utputa irreverentia positiva) inde sit timenda: immò & in paschate iisdem administrari potest, modò aliquo saltem pietatis ac reverentiæ sensu erga illud afficiantur. Ratio est: quia, licèt non habeant actualem devotionem, aut certè non tantam, quantam requirit hujus Sacramenti majestas, propterea que non sint frequenter communicandi; non tamen sunt actualiter indispositi, præsertim cùm illa devotio non sit absolutè necessaria, uti proximè dicetur.

Quæres secundò, quænam dispositio corporis

ris ſit neceſſaria ad licitè ſumendam Evchariſtiam?

R. Diſpoſitio corporis ex diſpoſitione Ec- 82
cleſiæ requiſita conſiſtit in jejunio naturali: aliæ autem diſpoſitiones corporis non ſunt abſolutè neceſſariæ. Ita *communiſſimè* DD. Herincx, Henno, Diana, la Croix. Illſung. *tr. 6. diſp. 4. n. 116.* Ratio prioris deſumitur ex perpetua Eccleſiæ praxi, quæ verò ſimiliter ab ipſis Apoſtolis traxit originem. Unde Concilium Conſtantienſe *ſſ. 13. ait: Sacrorum Canonum auctoritas, & Eccleſiæ conſuetudo ſervavit, quòd hujusmodi Sacramentum nec poſt cœnam conficiatur, nec ſumatur à non jejuno.* Ratio autem ſecundæ partis inde colligitur: quia nullo jure oſtendi poteſt, præter, & ultra jejunium alias corporis diſpoſitiones neceſſarias eſſe, uti rectè advertit Herincx *diſp. 6. n. 67.* Eſto etiam (juxta opinionem Vaſquez) olim præceptum fuiſſet, ut polluti, & fœminæ tempore menſtruorum, & qui habuiſſent copulam conjugalem, abſtinerent certo tempore à S. Communione, hoc tamen præceptum defacto non ampliùs vigere, communiter obſervant DD. etſi omnes fateantur, valde conſonum eſſe rectæ rationi, ut ob reverentiam tanti Sacramenti conjuges abſtineant à commercio carnali eô die, quô ſacram Communionem perceperunt, vel percipere intendunt.

Dices. In quo ergo conſiſtit jejunium naturale?

83 R. Consistit in eo, quòd à media nocte usque ad S. Communionem nihil sit sumptum, quod aliqua ratione censeatur se habere & sumi per modum cibi, aut potûs, vel etiam per modum medicinæ. Ita *communissimè* DD. Filliuc. Laym. Sporer, Herincx *cit. disp. 6. n. 52.* Dicitur autem: *à media nocte:* quia, etsi pro diversitate nationum, vel etiam negotiorum dies variè censeatur inchoari, communi tamen Ecclesiæ sensu in hac materia censetur inchoari à media nocte. Unde, si paulò ante mediam noctem aliquid sumpsisti, poteris statim post mediam noctem communicare, ita, ut non sit opus te priùs dormiîsse, aut cibum digessisse: etsi reverentia huic Sacramento debita exigat, ut sacer ille cibus profano non misceatur, propterea aliquantisper, utputa ad quadrantem aut medium horæ ab aliis quibusvis escis abstinendum sit, nisi urgeat aliqua necessitas, aut certè multùm rationabilis causa. Herincx *l. cit.* Gobat, la Croix *l. 6. p. 1. n. 559.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 6. n. 23.*

Quæres tertiò, qualis dispositio requiratur ex parte animæ?

84 R. Ad licitam sumptionem hujus augustissimi Sacramenti requiritur status gratiæ. Ita contra Lutheranos tradunt omnes Catholici, & clarissimè Concilium Tridentinum *ss. 13. cap. 7. & can. 11.* Idque probat ex illo Apostoli *1. Cor. 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat: & de calice bibat &c.* Ratio

tio fundamentalis & ultimata hujus reſponſionis eſt: quia Evchariſtia eſt Sacramentum vivorum: ergo ſupponit hominem ſpiritualiter viventem, ideóque conſtitutum in gratia ſanctificante, quæ eſt vita ſpiritualis animæ. Vide quæ diximus ſuprà *Confer. 1. n. 22. & Confer. 3. n. 61.*

Dices: quid ergo agendum illi, qui ſibi conſcius peccati mortalis communicare deſiderat, aut debet?

R. Tenetur præmittere Confeſſionem ſacra- 85
mentalem, ſi habeat copiam Confeſſarii, ita, ut non ſatisfaceret præcisè eliciendo contritionem etiam perfectam. Ita rurſus unanimiter DD & conſtat ex Trident. *§. 13. de Evchar. cap. 7.* ubi ait: *Communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus præceptum; probet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Evchariſtiam accedere debeat;* quocirca bene notandum eſt, Concilium non loqui tantùm de Sacerdotibus: ſed univerſaliter de quibusvis fidelibus: ait enim: *Nullus ſibi conſcius peccati mortalis - - - accedere debet &c.* conſequenter declarat, omnes eſſe obligatos ad præmittendam Confeſſionem mortalium &c.

Cæterùm, utrùm ad hoc teneantur fideles 86
præceptô divino, an verò Eccleſiaſtico tantùm, vel potiùs Apoſtolico, controvertitur inter

Do-

Doctores. Major pars DD. (quibuscum etiam Scotus) existimat esse divinum , illúdque ab Ecclesia tantùm declarari : quam ob causam etiam nunquam legitur dispensâsse in hoc præcepto , de præmittenda scilicet Confessione, in illis saltem circumstantiis, in quibus obligat hoc præceptum. Et certè Apostolus *l. cit.* non tam præceptum statuisse, quàm à Christo statutum declarâsse videtur: Siquidem universaliter præmiserat dicens : *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Nihilominus Lessius *q. 80. à 4. dub. 1.* Navarrus *de pœnit. dist. 5. in princip.* Medina & alii multi probabile censent, hoc præceptum esse duntaxat Apostolicum, sicut & præceptum de Evcharistia à jejunis sumenda. Verùm ad praxim parùm, vel nihil omnino facit, quidquid dicatur ; quandoquidem certum est, eum, qui conscius peccati mortalis, non confitetur ante S. Communionem, etsi moraliter loquendo posset, peccare mortaliter. Vide quæ dicta sunt *Confer. 2 n. 49.*

Quæres quartò, utrùm præter statum gratiæ nulla alia dispositio animæ requiratur?

87 R. Insuper requiri aliquam devotionem internam, etsi hæc non sit simpliciter necessaria ad recipiendum augmentum gratiæ sanctificantis. Ita Hincx *cit. n. 82.* Babenstuber *tr. 8. par. 3. dis. 6. a. 2. n. 2.* Ratio prioris desumitur tum ex communi consensu Patrum, qui nunquam non desiderârunt devotionem ani-

animi in communicantibus, & tepidè communicantes redarguerunt; tum etiam ex communi sensu fidelium, & vel ex ipso remorsu conscientiæ, quem quilibet sentit ex tepida & distracta communione. Profectò ipsa dignitas, & admiranda dignatio, quâ Deus ipse dignatur sese nobis communicare, quemlibet prudentûm animare debet ad internam devotionem, quæ, si requiritur ad quamlibet orationem, multò magis ad familiarissimam hanc conjunctionem & communicationem cum Deo convenientissimè & meritò desideratur. Quòd autem non sit simpliciter necessaria, suadetur ex eo: quia in aliis Sacramentis ad percipiendum augmentum gratiæ non est necessaria devotio actualis: ergo neque in hoc est simpliciter necessaria: Secus enim qui sine actuali devotione, etsi in statu gratiæ accederet ad mensam Domini, peccaret mortaliter, utpotè voluntariè ponens obicem gratiæ Sacramentali; hoc autem est contra communiorem opinionem & persuasionem omnium; ergo interna hæc devotio non est simpliciter necessaria.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Subjecto Eucharistiæ, & Dispositionibus ad hujus susceptionem requisitis.

CASUS PRIMUS.

Titius Religiosus à Reverendissimo suo missus fuerat ad Ordinem Presbyteratûs suscipiendum, sed cùm pridie, ante diem ordinationis scilicet, familiari colloquio cum aliis sibi similibus cœnam solitò diutiùs protraxisset, contra omnem suam exspectationem audivit vigilem more suo horam noctis duodecimam præconizantem; quare illicò solutâ cœnâ noctem reliquam egit insomnem, summo autem mane circuivit, quærens quem consuleret, an scilicet adhuc licitè posset accedere ad Ordinem Presbyteratûs, & consequenter ad sacram Communionem, non obstante, quòd adhuc actu aliquid deglutierit, dum vocem præfati Præconis seu vigilis audivit. Quid respondendum?

88 R. Ad hunc casum, in primis certum esse, quòd, si in illo loco seu civitate plura exstitêre horologia regulata, quorum unum alterumvè nondum indicâsset, seu etiam sonâsset duodecimam noctis, etsi hæc jam fuisset audita ex horologio principali, nihilominus Titius tutâ conscientiâ potuerit accedere ad sacram Communionem

munionem. Ratio eſt : quia hujusmodi horologia regulata (utì ſupponimus) habent ſe velut plurium Doctorum opiniones probabiles, è quibus quælibet ſit probabilis, eſto nulla ſit omnino certa : ergo quemadmodum inter duas, vel plures opiniones verè probabiles quamlibet licet amplecti, ubi non agitur de valore, ſed de ſola honeſtate actionis ; ita & in propoſito ex hac ſuppoſitione, Titio licuiſſet quodlibet horologium ſequi, modò ſupponantur eſſe horologia regulata, quæ communiter ſaltem regulatè ambulant : Secus enim dicendum foret, ſi de aliquo certò conſtaret, quòd hìc & nunc fallat &c. Ita Sporer, Illſung. *ubi ſuprà n. 122.* Gobat *tr. 4. n. 274.* & alii communiter.

R. ſecundò. Eſto etiam certò conſtaret, Ti- 89
tium non ampliùs eſſe jejunum naturaliter: ideóque per ſe loquendo illicitè accederet ad ſacram Communionem ; nihilominus ſi ſupponatur non poſſe ampliùs declinare ſuſceptionem Ordinis & S. Communionis ſine ſcandalo gravi, id eſt (ùt intelligit Gobat. *tr. 4. n. 330.*) ſine gravi indignatione, oblocutione, dicteriis, lædentibus famam atque honorem, fortè etiam redundantibus in totum Ordinem vel Monaſterium &c. judico probabile, eum tutâ conſcientiâ potuiſſe accedere etiam non jejunum ad ſacram Synaxin. Et certè, ſi absque hujuscemodi gravamine Sacerdos gravi peccato obnoxius ſimúlque copiâ Confeſſarii

deſti-

deſtitutus declinare nequeat celebrationem Miſſæ, licitè celebraret, etiam non præmiſſa Confeſſione, etſi juxta probabiliorem DD. opinionem ex præcepto divino teneretur (ſaltem per ſe loquendo) præmittere Confeſſionẽ Sacramentalem: ergo cùm ad jejunium naturale ſolùm teneatur lege humana, à fortiori licitè communicat non jejunus, ad evitanda hujusmodi mala & gravamina, utputa graviſſimam Prælati ſui, aliorúmque Confratrum indignationem, oblocutiones, offenſas, ſcandala, fortè etiam diuturnam ſuſpenſionem à ſuſceptione ejusdem Ordinis, vel malæ tractationis, quæ meritò timere debet Religioſus, caſu quo non ordinatus revertatur ad ſuum Monaſterium: ergo non obſtante defectu jam memorato licitè accederet ad S. Ordinem Presbyteratûs, & etiam ad Sacram Communionem, niſi hanc bellô modô declinare valeat. Videatur Gobat *loc. prox. cit.* la Croix *lib. 6. p. 1. n. 582.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius ob ſenium adverſa ſemper valetudine moleſtatus, tum ob ſtomachi debilitatem, tum etiam ob diſtantiam loci nunquam potuit Eccleſiam adire jejunus, quin deficeret in via: quam ob cauſam aſſeverat, ſe ſemper parum quid confortativum ſtomachi per modum medicinæ ſumere: id quod etiam in die Communionis fecerat: unde poſt Confeſſionem jamjam peractam nonnihil du-

dubius quæsivit ex Confessario, an ad sacram Communionem sibi liceat accedere, non obstante confortativo illo, quod per modum medicinæ sumpserat. Quid respondebit Confessarius?

R. Dicendum, quòd his stantibus Sempronio liceat accedere sacram Synaxin. Ratio 90
est: quia non est verosimile, quòd Ecclesia ceu pia Mater, hoc suo præcepto (scilicet de Communione cum jejunio naturali sumenda) voluerit comprehendere tales infirmos, qui vel nunquam, vel certè ratò admodum possent communicare non jejuni, veluti rectè observant & tenent Bonacina, Diana, Busenbaum, *de Eucharist. c. 2. dub 2. a. 2.* & alii: Atqui Sempronius noster vel nunquam ampliùs, vel certè non nisi ratissimè, & post longum temporis intervallum communicare posset jejunus, uti fert species facti: ergo licitè accedit non jejunus ad sacram Communionem.

Dices rursus: Sed quid tenendum de Rusticis, aliisque tabaco fumigando ita assuetis, ut ne quidem ante Communionem abstineant?

R. Monendi equidem sunt, ut ob reveren- 91
tiam Sacramenti abstineant à tali fumigatione ante S. Communionem; datô autem quòd post factum primùm petant consilium à Confessario, non debent propterea arceri à sacra Communione. Ratio est: quia sumptio tabaci non frangit jejunium naturale, quippe ad quod frangendum necessariò debent concurrere hæc tria. 1. ut id, quod sumitur, habeat

rationem cibi, aut potûs. 2. ut ſumatur per modum comeſtionis vel potationis, & 3. ut ſumatur ab extrinſeco; At fumus tabaci non eſt aliquid comeſtibile, aut potabile, ſed potiùs reſpirabile: ergo non obſtat jejunio naturali, tametſi fumus deſcendiſſet in ſtomachum: Secus enim pariter admittendum foret, etiam illum non ampliùs eſſe jejunum, & per conſequens arcendum à ſacra Communione, qui alium fumum aut nebulam deglutiſſet. Caſtropalao, Lugo, Dicaſtillo & alii apud la Croix *n. 561.*

Dices adhuc. At quid, ſi de foliis tabaci pulveriſati per nares ſumpti aliquid trajiciatur in ſtomachum, oberitnè S. Communioni?

92 R. Multi quidem Doctores cenſent per hoc lædi jejunium naturale, & hôc ipſo poni impedimentum Evchariſtiæ ſumendæ; nihilominus negativa opinio (quam tenent Diana *in Summa V. Communionis diſpoſitio n. 33.* Fagundez *part. 3. l. 3. c. 5. n. 14.* & alii plures) mihi videtur veroſimilior, ídque hac ratione: quia jejunium naturale non frangitur, niſi cibus aut potus ſumatur per os, & transmittatur in ſtomachum vitali actione comeſtiva vel potativa: atqui tabacus ſupponitur hic ſumptus per nares, per quas, ait Suarez *in 3. 3. parte tom. 3. diſp. 68. Sect. 4. §. quæres rurſus.* qui aliquantulum aquæ reciperet, non frangeret jejunium: ergo &c. Unde Tannerus, Gobat *n. 260.* la Croix *cit. n. 564.* rectè dicunt, tunc

ali-

aliquid sumi per modum comestionis vel potationis, si hoc, quod trajicitur, & modus trajiciendi sufficiat in morali æstimatione seu opinione hominum, ut quis censeatur comedisse, aut bibisse: ergo cùm id non censeatur facere, qui reliquias tabaci per nares sumpti in stomachum trajicit, probabiliùs potest adhuc licitè Communionem sacram percipere.

CASUS TERTIUS.

Cajus Sacerdos in Confessionali expositus, cujusdam gravis peccati reatum incurrit; & quia tempus recurrendi ad Confessionem non suppetebat (hora enim ad celebrandum præfixa institit) hinc è Confessionali surgens, illicò sacris vestibus sese induit, sicque perrexit, non sine gravi remorsu conscientiæ ad celebrandum hoc tremendum Sacrificium. Quæritur jam 1. an ex eo præcisè, quòd hora celebrandi jamjam institerit, fuerit deobligatus ab onere præmittendi confessionem? 2. quid Cajo ante, vel etiam in Sacrificio Missæ fuerit agendum?

R. Ad primum membrum hujus casus, ex eo præcisè, quòd hora celebrandi jamjam institerit, Cajum non fuisse deobligatum ab onere præmittendi confessionem sacramentalem. Ratio est: quia ad hanc secundùm dicta *n. 86.* probabiliùs tenebatur præcepto divino, aut certè Ecclesiastico: atqui præceptum Dei & Ecclesiæ præferendum est præcepto Superio- 93

rioris; quia inter duo vel plura præcepta semper prævalet id, quod est majus: ergo Cajus tenebatur, dilato non nihil Sacrificio Missæ, mediante confessione sacramentali priùs sese reconciliare cum Deo, modò id poterit sine scandalo, vel alio periculo diffamiæ gravis; quæ ob hanc præcisè causam, quòd ante Sacrum confiteatur, tam facilè timenda non est, cùm plures alii soleant confiteri, de quibus nemo prudentûm suspicabitur, quòd sint magni peccatores &c. Idcirco bene notandum venit, ad licitè celebrandum absque confessione præmissa, non sufficere quemcunque prætextum, aut quamcunque rationem, sed necessum omnino esse, ut interveniant hæc duo simul, scilicet 1. vera aliqua necessitas celebrandi, seu communicandi, & 2. simul moralis impossibilitas priùs confitendi, prout facilè colligitur ex Tridentino mox suprà *n. 85.* relato. Vide etiam Babenstuber *tr. 8. p. 3. d. 6. a. 2. n. 11.* item *n. 19.*

94 R. Ad secundum. Cajus quantumcunque angustiis temporis compulsus tenebatur ante Sacrificium, vel saltem ante consecrationem & sumptionem elicere contritionem perfectam; secus enim indignè celebrando, utpotè constitutus in statu disgratiæ, graviter peccâsset, Quin etiam ille, qui antea legitimè confessus & absolutus, sub actuali Sacrificio ante sumptionem recordatur alicujus peccati mortalis inculpabiliter obliti, tenetur desuper conteri, priùs

priùs quàm sumat S. Eucharistiam; & si v. g. Laicus antequam communicet, recordaretur talis peccati, teneretur per se loquendo reverti ad Confessarium, & mediante confessione sacramentali illud expiare. Ratio est: quia non solùm exstat præceptum divinum, confitendi peccata mortalia ante Communionem, sed etiam præceptum confitendi omnia mortalia: utì fert praxis & sensus omnium fidelium, teste la Croix *lib. 6. n. 539.* & oppositum non est satis tutum. Secus tamen dicendum foret, si talis pœnitens jamjam esset accinctus ad Communionem, ut sine scandalo non ampliùs posset retrocedere; ùt si jam flectat in scamno communicantium, vel si Sacerdos vestibus sacris etiam ipsa casula jamjam indutus, nequeat ampliùs confiteri sine nota gravis infamiæ. Ita Scotus *4. dist. 9.* Herincx *disp. 6. n. 75.* Gobat. *tract. 4. n. 246.*

Dices: At quandonam censetur intervenire necessitas vera, & simul impossibilitas præmittendi confessionem?

R. Ad primum. Vera necessitas celebrandi 95
reputatur adesse 1. quando quis alioquin esset moriturus sine S. Viatico. 2. quando Sacerdos tenetur celebrare ex officio, nec potest hoc facere per alium. 3. item quando laicus ex præscripto suæ Regulæ vel Ordinis tenetur communicare. 4. quando alioquin interrumpendū esset Sacrificium. 5. denique si Sacrificium aut Cōmunio sacra intermitti nequeant sine scan-

dato, vel gravi injuria. Ultra hos casus necessitatis procul dubio alii adhuc emergere possunt, quorum gravitas prudentis judicio determinari debet.

96 R. Jam ad secundum. Impossibilitas confitendi ob defectum Confessarii censetur adesse in sequentibus casibus. 1. quando absolutè deest, qui posset excipere confessionem. 2. quando nullus adest, cui pœnitens sine interprete confiteri queat. 3. quando adest quidem Confessarius; sed huic confessio fieri non valet vel ob defectum jurisdictionis, vel ob periculum gravis damni, infamiæ, pertractionis ad peccatum, revelationis peccati confessi. Ita cum communi Herincx *Disp. 6. n. 78.* la Croix *l. 6. 4. n. 535.* Babenstuber *cit. disp. 6. a. 2. §. 2.*

Dices adhuc. Quidsi autem Sacerdos vel Laicus solùm dubitet, an peccaverit graviter vel non, ideóque sitnè in statu gratiæ, nec nè? poteritnè tuta conscientia accedere S. Communionem, etiam neglecta confessione prævia?

97 R. Juxta communiorem DD. opinionem (quæ circa omnem controversiam tutior, ab auctoritate probabilior, & reverentiæ tanti Sacramenti magis est conformis (tenetur priùs confiteri, quisquis dubitat, sitnè in statu gratiæ vel non? quia de hoc debet esse moraliter certus, ne forsitan reipsa indignè accedens, judicium sibi manducet & bibat, & velut invisus hospes sine nuptiali veste comparens, ejiciatur in tenebras exteriores. Nihilominus

He-

Herincx *lib. 8. c. 45. n. 3. litt.* P. Emmanuel Sà *V. Eucharistiæ n. 23.* Tannerus *hìc n. 30.* Caramuel *in Theolog. fundam. n. 1321.* Marchinus & alii apud Gobat. *tr. 4. num. 223.* probabile existimant, talem non necessariò adstringi ad prævia̅m confessionem : Rationem dant hanc : quia Concilium Tridentinum, ubi declarat hanc obligationem præmittendi confessionem, solùm loquitur de illis, qui sibi *conscii sunt* peccati mortalis, uti videre licet ex verbis ejusdem Concilii suprà mox *n. 85.* relatis : at, qui solùm dubitat ; an commiserit peccatum mortale, non est sibi *conscius*. profectò, qui solùm dubitat, an non quempiam occiderit, non rectè sese accusaret apud Confessarium dicendo : sum mihi *conscius*, me patrâsse homicidium : idque fateri, & huic opinioni subscribere coguntur meô judiciô, quicunque admittunt, peccata dubia non esse̅ materiam necessariam confessionis, de quo diximus *part. 2. Confer. 7. à. n. 164.* Placet circa hoc judicium sapientissimi P. Gobat. *cit. n. 225.* ubi ait, hanc opinionem de non necessariò præmittenda confessione peccati merè dubii consulendam esse scrupulosis, oppositam verò aliis non scrupulosis : etsi probabile censeam, nihil obstare, quò minùs aliquis ex jam dictis practicè dubium deponere, & se resolvere possit, quòd non sit obligatio certa confitendi peccata merè dubia ante Cõmunionem sacram. Et certè rationes pro opposita opi-

nione adductæ pariter probarent, quòd pœnitens teneatur ante Communionem confiteri peccata etiam positivè dubia, nè scilicet fortè indignus accedendo judicium sibi manducet.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

98 COlliges ex dictis primò, SS. Eucharistiæ Sacramento privandos non esse Energumenos: tum quia infestio dæmonis per se loquendo non impedit S. Communionem; tum etiam, quia per hanc obsessi multùm juvantur & sublevantur, quandoquidem ea mediante recipiunt novas gratias, & dæmon coërcetur. Cavendum nihilominus, ne in administratione huic Sacramento irreverentia irrogetur à maligno dæmone, quod ipsum pariter observandum venit in communicandis Epilepticis, quibus propterea, quamdiu in actuali paroxysmo versantur, hoc Sacramentum neutiquam debet administrari. Castropal. Gobat. *n. 157.* Babenstuber *cit. disp. 6. a. 1. n. 13. & 14.* Laym. *l. 5. tr. 4. c. 4. n. 6.*

99 Colliges secundò, non violari jejunium naturale per hoc, quòd sanguis, vel alius humor ex cerebro aut gingiva attractus deglutiatur, & trajiciatur in stomachum. Ratio est; quia hô. modô nihil ab extrinseco per mo-

modum cibi aut potûs sumitur. Idipsum ob eandem rationem dicendum de reliquiis ex præterita comestione intra dentes retentis, etsi condecentiùs sit eas exspuere, quàm dejicere in stomachum. Similiter si ex lotione oris, aut gustatione jusculi aliquid modicissimum salivæ comixtum trajiciatur in stomachum, non impedit sacram Communionem. Ratio est: quia hoc modicum non censetur in hominum existimatione sumi per modum cibi vel potûs, sed potiùs per modum salivæ, cui inseparabiliter adhæret & conjungitur: atqui per sumptionem salivæ non violatur jejunium naturale: ergo &c. Henno *disp. 8. q. 2. concluſ. 2. Reſol. 3. & 4.* La Croix *l. 6. p 1. num. 566.* Herincx, Babenstub. cum *communi.*

Colliges tertiò, è contrario jejunium naturale solvi, quotiescunque aliquid, quantumvis modicum per modum cibi aut potûs, vel etiam per modum medicinæ ab extrinseco sumitur; ut si quis potaret propriam s. v. urinam, aut mulier lac è suis uberibus: item si saccharum ori insertum & successivè liquatum deglutiatur; item si quis in aquam delapsus contra suam voluntatem & intentionem aquam deglutiat. Ratio est: quia talis in morali hominum æstimatione revera censetur & dicitur potâsse, aquam scilicet: ergo non amplius est jejunus jejunio naturali. Videantur DD. *citt.* 100

Dices: sed quid consulendum aut respondendum, quando pœnitens dubitat, an non

eluendo os aliquid deglutîerit, vel etiam quandoquidem ſcit, ſe tempore nocturno aliquid ſumpſiſſe, dubitat tamen, utrum hoc ante, vel poſt medium noctis contigerit, an permittendus eſt accedere menſam Domini?

101 R. Erſi multi DD. hoc negent, longè tamen probabilior mihi videtur ſententia affirmativa, quam tenent Sporer, Herincx *diſp. 6. n. 59.* Laym. Cardenas *in 1. criſi diſp. 26. n. 87.* & alii plures apud la Croix *lib. 6. p. 1. n. 577.* Illſung ubi ſuprà 122. Gobat. *n. 280.* Ratio fundamentalis hæc eſt: quia quamvis præceptum jejunii certum ſit ex una parte, ex altera verò dubium, an hoc ſit obſervatum, ideôque præceptum videatur in poſſeſſione; nihilominus cùm hoc præceptum ſit negativum, ſcilicet *de non comedendo aut bibendo ante Communionem*, & aliunde cuivis ſit liberum accedere, vel non, ad menſam Domini; hinc communicaturus manet in poſſeſſione ſuæ libertatis, ſcilicet *accedendi &c.* quamdiu eidem non poteſt oſtendi certum obſtaculum, quô retardetur; ferè quemadmodum dubius an incurrerit vel non incurrerit irregularitatem, poteſt accedere ad Ordinem, & in ſuſcepto miniſtrare, quamdiu ipſi non demonſtratur contraxiſſe hujuscemodi obſtaculum &c. Accedit, quòd ùt rectè obſervant Gobat. & Illſung *ll. citt.* hoc præceptum, ſcilicet *non, niſi jejunè communicandi*, non ſit impoſitum dubitanti, ſed certò ſcienti, ſe non eſſe jejunum: at, qui dubitat

in

in nostro casu, non certò scit: ergo tutâ conscientiâ potest permitti accedere.

Colliges quartò, eum, qui præter peccatum mortale reservatum nullum aliud habet, simúlque urgetur necessitate celebrandi aut communicandi, non teneri ad præmittendam confessionem, nisi supponatur habere copiam Confessarii, potentis absolvere à reservato. Ratio jam fuit insinuata: quia Sacerdos præsens quidem, sed jurisdictione destitutus, reputatur pro non præsente in ordine ad absolvendum, & in tali casu pœnitens censetur destitutus copiâ Confessarii. At verò, si pœnitens sit obstrictus aliis peccatis mortalibus non reservatis, à quibus hìc & nunc absolvi potest, mihi probabilius videtur esse obligatus ad confessionem horum saltem, scilicet non reservatorum: quia juxta declarationem Concilii Tridentini jam superiùs allegati, quisquis peccati mortalis sibi conscius est, tenetur S. Communioni præmittere confessionem, modò non ei desit copia Confessarii: atqui talis pœnitens supponitur esse sibi conscius peccati mortalis non reservati, nec eidem deficit copia Confessarii potentis absolvere à peccato non reservato: ergo hoc saltem tenetur confiteri, esto non obligetur confiteri aliud reservatum. Ita Lugo, Reding. Castropalao apud Babenstuber *cit. disp. 6. a. 2. n. 21.* 102

Colliges quintò, committere sacrilegium oppidò grave, qui in statu disgratiæ hoc augustissimum 103

ſimum Sacramentum accedit. Ita *omnes.* Ratio eſt: quia graviſſimam irreverentiam huic Sacramento irrogat, ponendo obſtaculum hujus effectui primario, ſcilicet gratiæ Sacramentali: & tantò quidem majus erit ſacrilegium, quantò graviora & plura ſunt peccata, quibus communicans eſt actualiter obſtrictus; quia tantò gravior eſt irreverentia Sacramento illata. Quin etiam accedens cum peccato veniali inter actualem Communionem admiſſo, utpote particulariter oppoſito hujus Sacramenti reverentiæ, & repugnante fini hujus Sacramenti, probabiliùs committit novum peccatum veniale, eſto tale non committat, qui cum peccato veniali duntaxat habituali accedit. Filliuc. *tr. 4. c. 8. n. 206.* Suarez. *diſp. 66. ſent. 1.* Gobat. *tr. 4. n. 217.* Babenſtuber *cit a 2. n. 6. & ſeqq.* Vide etiam dicta ſuperiùs *Confer. 3. n. 71. & 72.*

304 Colliges ſextò, non committere duo diſtincta, ſed unum duntaxat ſacrilegium, etſi gravius, qui præſumit accedere menſam Domini in peccato mortali, & ſimul non jejunus. Ita Vasquez *diſp. 207. c. 1. n. 6.* Gobat. *n. 212.* Lugo, Babenſtuber aliíque plures. Ratio eſt: quia peccans contra duo vel plura præcepta, ſed ex eodem motivo ac fine data, non committit plura peccata; nam hujusmodi præcepta non ſunt formaliter, ſed materialiter duntaxat diſtincta: atqui utriusque præcepti de ſumenda ſcilicet Euchariſtia in ſtatu gratiæ, & jejunè

nè simul, idem est finis ac motivum, puta, cultus & reverentia Sacramento debita: ergo talis non committit plura peccata: proindéque satisfaciet in confessionali sese accusando & dicendo: *Communicavi semel sacrilegè.*

Dices adhuc: At quid, si Laicus necessitate compulsus sine confessione prævia communicavit, remebiturnè quamprimùm confiteri?

R. Negativè. Ita *communiter DD.* Castro 105
pal. *hìc punct. 12. n. 9.* Mezger *a. 3. §. 1, n. 2.* Babenstuber. *cit. disp. 6. a. 2. n 22.* Illsung. *cit. tr. 6. d. 4. n. 115.* Ratio est, quia hoc præceptum, cùm sit odiosum, non debet extendi ultrà, quàm verba sonant: atqui verba Tridentini sonant, & expressè comprehendunt solos Sacerdotes, ita enim sonant: *Quodsi necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Quocirca tamen rectè observat Illsung *l. cit.* hæc verba Tridentini non comprehendere merum consilium; nam oppositum constat ex propositione sequenti: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum;* quam Alexander VII. damnavit. Tenetur itaque sub gravi culpa talis Sacerdos quamprimùm confiteri, id est, *tertio saltem die*, uti declaravit S. Congregatio, teste la Croix *n. 545.* quem vide, si placet.

CON-

CONFERENTIA DECIMAQUINTA.

DE

Neceſſitate & obligatione ſumendi SS. Evchariſtiam, & Viaticum.

SUMMARIUM.

106. Sumptio Evchariſtiæ ad ſalutem obtinendam eſt neceſſaria, non neceſſitate medii, ſed præcepti.

107. Idque probabiliùs nedum in articulo mortis, ſed etiam ſæpiùs per vitam.

108 Vi præcepti Eccleſiaſtici omnes fideles uſum rationis adepti tenentur ſaltem ſemel in anno, tempore ſcilicet Paſchali, eam ſumere, & quidem à proprio Paſtore, per ſe loquendo.

109. Quinam cenſeantur eſſe adepti uſum rationis, & quid per tempus Paſchale intelligatur.

110. Quibus pœnis afficiantur negligentes Communionem Paſchalem &c.

111. Laici fideles non tenentur ad ſumendam Evchariſtiam ſub utraque ſpecie.

112. Nec permittitur, ut quis eadem die ſæpiùs communicet &c.

113. An expediat Laicis permittere quotidianam Communionem.

114. Omnes fideles uſum rationis adepti tenentur præ-

præcepto Eccleſiaſtico ad ſumendum S. Viaticum in mortis articulo.

115. Quidnam per mortis articulum hìc intelligatur.

116. Reſolvitur Caſus I. de quodam Nobili ægrotante, qui admonitionem boni Paſtoris de ſumendo S. Viatico ægrè tulit.

117. An talis peccaverit recuſando S. Eucharìſtiam.

118. Et quid, ſi Medici judicàſſent, non ſubeſſe periculum proximum mortis.

119. Quando infirmus non adeò pridem ſumpſit SS. Euchariſtiam, non tenetur ad ſumendum S. Viaticum.

120. Reſolvitur Caſus II. de quodam plenè ebrio, qui tametſi fatali lapſu pervenerit ad portas mortis, non potuit in tali ſtatu abſolvi.

121. Quo non obſtante potuit, immò probabiliùs debuit eidem adminiſtrari ſacrum Viaticum, vel ſaltem extrema Unctio.

122. Idque etiam in dubio, an illa ebrietas fuerit mortaliter culpabilis.

123. Reſolvitur Caſus III. de quadam muliere graviter infirma, & quaſi continuo vomitui obnoxia.

124. In dubio, an æger ſit revomiturus ſacras ſpecies, inclinandum potiùs eſt in favorem infirmi, & porrigendum ſacrum Viaticum.

125. Et quid agendum, caſu quo infirmus ſacras ſpecies revomuit.

126. Fideles non ſatisfaciunt præcepto de ſumenda S. Communione in Paſchate, niſi eandem ſumant de manibus proprii Sacerdotis, vel ab hoc licentiam habeant alibi communicandi.

127.

Digitized by Google

127. An teneatur supplere S. Communionem, qui toto anno eam neglexit, vel aliam ob causam non sumpsit.

128. Præcepto de sumenda Communione Paschali & S. Viatico non satisfit per Communionem sacrilegam.

129. Infirmus sacro Viatico jam munitus, non tenetur amplius illud sumere, tametsi bene & laudabiliter faciat illud sæpius sumendo, si eadem infirmitas diutius protrahatur

130 Parochus & quivis Pastor animarum diligenter curare debet, ut maturè suis ovibus infirmis. provideat de consuetis Ecclesiæ Sacramentis.

13 . Recensentur breviter illi, quibus sacrum Viaticum administrari debet.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de obligatione sumendi sacram Communionem, & S. Viaticum.

QUæres primò, an, vel quomodo sumptio Evchariſtiæ sit necessaria ad salutem?

R. Sumptio Evchariſtiæ est fidelibus adul-
106 tis, & usum rationis adeptis ad salutem necessaria, non quidem necessitate medii, sed necessi-

ceſſitate præcepti divini, obligantis nedum in articulo mortis, ſed etiam ſæpiùs in vita. Ita poſt S. Thomam Layman. *l. 5 tr. 4 c 5 n. 1.* Reiffenſtuel, & alii *DD. communiter.* Et de præcepto quidem divino ſatis conſtat ex illo *Joan. 6. Niſi manducaveritis carnem Filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis.* Quòd autem non ſit neceſſaria ſimpliciter, ſeu, ut alii loquuntur, neceſſitate medii, ex eo convincitur; quia ſumptio hujus Sacramenti non eſt medium ſimpliciter & abſolutè neceſſarium ad juſtificationem, quippe quæ ſine illa poteſt obtineri mediante Sacramento baptiſmi, & pœnitentiæ: ergo nec eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem. Quin immò, eo ipsô, quòd velut Sacramentum vivorum ſupponat gratiam primam, ſupponit etiam jus ad gloriam; ergo nequit ampliùs eſſe medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem.

Cæterùm, quòd nedum in mortis articulo, 107
ſed etiam in vita aliquoties ſaltem teneamur ſumere ſacram Synaxin, ſuadetur ex eo: quia Euchariſtia â Chriſto fuit inſtituta, ut hominem ſpiritualiter nutriat, roboret, & augeat gratiam: unde cùm homo nedum in mortis articulo, ſed etiam extra illum ſæpiùs indigeat tali robore, omnino congruenter arguitur, Deum voluiſſe nos obligare ad hanc ſumendam, nedum in mortis articulo, ſed etiam ſæpiùs per vitæ curſum; ſicut ſæpiùs obligamur aliis præceptis affirmativis v. g. ad eliciendum actum

fidei, ſpei, & charitatis &c. Adde etiam hunc eſſe communem ſenſum fidelium & Doctorum, qui in re morali multùm habet ponderis, uti rectè advertunt de la Croix, Herincx *diſp. 6. n. 18.* & alii plures.

Quæres ſecundò, utrùm etiam vi præcepti Eccleſiaſtici teneamur ad S. Communionem?

108 R. Omnes fideles, poſteaquam ad annos diſcretionis pervenerunt, vi præcepti Eccleſiaſtici per ſe tenentur ad ſumendam S. Communionem, & quidem à proprio ſuo Paſtore, idque ad minùs ſemel in anno, ſcilicet tempore Paſchali. Ita habetur ex *Concilio Lateran. ſub Innocentio III. cap. Omnis utriusque ſexûs. de pœnit. & remiſſ.* Idipſum confirmavit Concilium Tridentinum *ſſ. 13. de Eucha. can. 9.* Quocirca tamen breviter

109 Notandum primò, hôc præcepto fideles primùm obligari, poſteaquam ad annos diſcretionis pervenerunt: quinam autem uſum rationis adepti, & per conſequens capaces, vel etiam obligati ſint ad hoc Sacramentum, diſcernendum relinquitur prudenti judicio D. Parochi aut Confeſſarii &c. quorum eſt pueros aut puellas poſt diſcretum examen vel admittere, vel etiam excludere à menſa Domini. 2. Notandum, per tempus Paſchale illud intelligi, quod currit à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſivè, veluti habet praxis Eccleſiæ, licèt hoc tempus in quibusdam locis & Eccleſiis diutiùs, immò in aliis per totam qua-

Quadrageſimam extendatur, juxta exigentiam ſubditorum.

Quæres tertiò, quasnam pœnas incurrant, qui negligunt S. Communionem in Paſchate?

R. Viventes adhuc arcendi ſunt ab ingreſſu II o Eccleſiæ, mortui verò ſunt privandi ſepulturâ Eccleſiaſtica. Ita ſtatuitur *cit. cap. Omnis utriusque ſexûs.* Quocirca tamen notandum, has pœnas non eſſe latæ, ſed ferendæ primùm ſententiæ. Quapropter Parochi, cùm jurisdictione in foro externo careant, non facilè eam pœnam alicui inferre debent (inquit Layman. *l. 5. tr. 4. c. 5. n. 10.*) niſi priùs monito, atque jubente Ordinario; præſertim ſi intermiſſio ſacræ Confeſſionis, aut Communionis aliquâ cauſa excuſari poſſe videatur. Inſpiciendæ etiam in hac re ſunt ſpeciales Diœceſium conſtitutiones, & conſuetudines. Ita Layman *cit.* Suarez *diſp. 70. ſect 3.*

Quæres quartò, utrùm etiam Laici jure divino teneantur ad ſumendam Evchariſtiam ſub utraque ſpecie?

R. Negativè. Ita habetur expreſſum in III Concilio Tridentino *ſſ. 21. c. 1. & can. 1.* & in Conſtantienſi *ſſ. 13.* Idipſum jam ante utrumque Concilium docuerant Alexander Alenſis. Albertus M. S. Thomas. S. Bonavent. Scotus, & alii, hæreſibus nondum exortis: & deinceps, teſte Herincx *cit. n. 26.* docuêre omnes Theologi. Ratio autem hujus veritatis, & doctrinæ Catholicæ inde deſumitur: quia

Ecclesia (à qua ceu columna veritatis verus S. Scripturæ sensus, & divinorum præceptorum declaratio petenda est,) nunquam intellexit, tale præceptum fuisse in sacra Scriptura expressum, aut fidelibus traditum, quin potiùs oppositum declaravit. Deinde in primitiva Ecclesia fideles frequenter communicabant sub una duntaxat specie, scilicet panis, quam secum ad domos proprias asportabant : ergo satìs liquet, Ecclesiam & Apostolos nunquam existimâsse aut credidisse, sumptionem utriusque speciei jure divino esse necessariam. Argumenta hæreticorum in contrarium, qui nôsse cupit, consulat nostrum P. Herincx *cit. n. 31. & seqq.* Henno *disp. 9. q. 4. concl. 1.* vel P. Layman *cit. n. 11. §. ad primum*, ubi eadem dissoluta inveniet.

Quæres quintò, an licitum sit eâdem sæpiùs die communicare?

112 R. Quòd non. Hoc quippe jure Ecclesiastico saltem consuetudinario est prohibitum, veluti constat tum ex communi sensu Doctorum, immò & fidelium ; tum etiam ex Generali usu Ecclesiæ, quæ extra casum necessitatis & diem Nativitatis, nequidem Sacerdotibus permittit sæpiùs in eadem die celebrare, vel communicare : ergo à fortiori Laico interdicta censeri debet communio eadem die repetenda. Excipitur tamen casus, quo alioqui Sacramentum Evchariſtiæ veniret in manus hæreticorum vel infidelium, indignè tractandum

dum ab iisdem ; quia tunc poſſet ſumi à quovis fideli, etiam eodem die, quo jam communicâſſet de menſa Domini ; poſſet etiam ſumi à non jejuno, immò etiam à non conſtituto in ſtatu gratiæ ; quia cùm in tali caſu ſolùm ſumatur ad præcavendam majorem irreverentiam ab hæreticis aliàs inferendam, nequaquam cenſendum eſt, irrogari huic auguſtiſſimo Sacramento irreverentiam : conandum nihilominus foret in hoc caſu ad contritionem perfectam, vel ſaltem ad actualem averſionem ab omni peccato mortali concipiendam, uti rectè advertunt de la Croix *lib. 6. n. 673.* & alii DD.

Quæres ſextò, utrùm expediat etiam Laicis permittere quotidianam communionem ?

R. Cum S. Bonaventura *4. diſt. 12. p. 2. a.* 113 *2. q. 2. in corpore.* etiam Laico ſumptionem hujus Sacramenti ſemper eſſe utilem, & ad animæ ſalutem proficuam, modò cum debita cordis munditia & devotione recipiatur ; nihilominus cùm familiaritas nimia contemptum quandoque parere ſoleat, ſimúlque quotidianæ hujus vitæ occupationes & diſtractiones plerisque, præſertim in ſæculo degentibus, non permittant præparationem, ſeu diſpoſitionem huic Sacramento condignam ; hinc pleris que non videtur permittendum, ut quotidie communicent. Quoties autem ſacrum hoc ferculum permittendum & adminiſtrandum ſit ſæcularibus perſonis, univerſaliter determinari nequit, ſed relinquitur prudentiæ Confeſſarii, qui ex puri-

tate conſcientiæ, vel devotione erga hoc auguſtiſſimum Sacramentum deprehenſa in ſuo Cliente, tum etiam ex diſpoſitione corporis ac animæ, nec non ex conditione ſtatûs, vel occupationum temporalium, haud difficulter diſcernet, an expediat permittere communionem frequentiorem, vel omnino quotidianam; quæ hiſce temporibus rara eſt reſpectu ſæcularium perſonarum. Quocirca tamen idem Doctor Seraphicus *cit. 4. d 2. q. 3. a. 1.* ſapienter monet, meliùs eſſe, ex devotione ſacram Evchariſtiam ſumere, quàm ob humilitatem & reverentiam abſtinere; quia prior actus amoris eſt, alter timoris: amor autem timori prævalet. Ita Sanctus ſanctè; haud dubiè propriâ experientiâ confirmatus, & ad hoc ſcribendum impulſus, quippe, qui dum ob humilitatem & reverentiam ſeſe indignum reputans, abſtinuit à S. Communione, Sacro reverenter atque humiliter aſſiſtens, meruit angelicis manibus de hoſtia ab alio oblata refici; ut legitur in ipſius vita.

Quæres ſeptimò, quô jure fideles ſtringantur ad ſumendum ſacrum Viaticum?

114 R. Certum eſt, quòd ad hoc in mortis articulo teneantur jure ſaltem Eccleſiaſtico (quid-quid ſit de jure divino, de quo diximus *n. 106.*) Ita enim ſtatutum fuit in antiquiſſimis Conciliis, Nicæno *Can. 3.* Carthaginenſi *IV. Can. 77.* ubi præcipitur animarum Paſtoribus ut ſummopere caveant, ne morientes diſcedant

dant ſine Viatico : idipſum (ſacrum ſcilicet Viaticum) in Eccleſiis conſervari , & morem omnino ſalutarem ac neceſſarium , illud ad infirmos deportandi , retinendum , ſtatuit Concilium Tridentinum *Evchar. ſſ. 13. cap. 6.* Inde hæc conſuetudo , Viaticum infirmis adminiſtrandi , eoúsque invaluit , ut ſine gravi ſcandalo nequeat violari : at, hoc ipſum eſt ſignum gravis obligationis : ergo &c.

Notandum etiam occurrit , per mortis ar- § II
ticulum hìc non intelligi præcisè extremam vitæ periodum , quaſi verò ſacrum hoc Viaticum non deberet ſumi , niſi paulò , vel immediatè ante mortem; ſic enim executio hujus præcepti ſæpiſſimè foret impoſſibilis : ſed intelligitur etiam gravis morbus , in quo de morte inſtante rationabiliter timetur, eò quòd in his circumſtantiis quaſi communiter ſequatur. Unde ſi infirmus in tali morbo Evchariſtiam ſumat , etſi pluribus diebus ante mortem , quantumvis ex mera devotione , etiam nihil cogitans de morte , aut de intentione ſumendi ſacrum Viaticum , nihilominus ſatisfeciſſe cenſetur huic præcepto. Hèrincx *cit. diſp. 6. n. 48.*

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de sumenda S. Communione & Viatico.

CASUS PRIMUS.

TItius Nobilis incidit gravem morbum, ad quem curandum Medici oleum & operam perdidisse videbantur: hunc propterea D. Parochus *de salute infirmi sollicitus inviserat; unde etiam à* Domina, *seu uxore ad ægrotum admissus fuit, etsi ægrè admodum, & cum expressa protestatione, neullam faceret mentionem de morte apud infirmum, ne eum magis affligeret, aut quocunque demùm modo contristaret. Quo non obstante bonus ille animarum Pastor studuit infirmum disponere ad Sacramentalem confessionem, quam felicissimo eventu ac fine deposuit ægrotus: at verò cùm ulteriùs de sumendo sacro Viatico monuisset infirmum, nedum hunc, sed etiam uxorem ipsius graviter offendit, propterea que velut invisus hospes illicò domum redire jussus fuit. Unde contigit, ut idem Nobilis eadem nocte sine Viatico decederet. Quid jam de hoc facto censendum?*

116 R. Probandum minimè est. Ratio in promptu est: quia cùm corpus propter animam sit à Deo creatum, & non vicissim anima propter corpus; hinc oportet semper majorem gerere curam pro salute animæ, quàm corporis; quod tamen in hoc casu factum minimè est, nec

nec ab illo Nobili, neque ab uxore illius. Et ſanè non minùs admirandum, quàm dolendum eſt, etiam inter Catholicos hodie reperiri multos, qui (ſine dubio diabolica fraude circumventi) dum graviter decumbunt, de mortis periculo nihil prorſus audire volunt, ne fortè in majorem triſtitiam, vel melancholiam incidant, & interim, proh dolor! ſæpiùs, quàm par eſt, neglectis omnibus ſalutis remediis, utpote Confeſſione ſacramentali, Evchariſtia, aliísque Sacramentis, *ſine crux*, *& ſine lux*, utì dicere ſolemus, hinc demigrant, non ſine ſcandalo aliorum fidelium; qui quâ ratione excuſari valeant, non video. Mihi omnino perſuaſum teneo, nullum ex his omnibus inventum iri, qui, ſi ſciret, quo medio corporis ſalutem recuperare valeret, illud, etiam non rogatus, quantocyùs amplecteretur: & nihilominus ſalutis æternæ remedia, ſcilicet SS. Eccleſiæ Sacramenta etiam rogati negligunt, nec volunt admittere. Quanta cœcitas in homine rationis uſu prædito, præſertim lumine veræ fidei illuſtrato!

Dices: Ergonè peccati gravis condemnabimus Titium noſtrum, ipſiúsque Uxorem?

R. Si prævíſo etiam periculo propinquo 117
mortis, nihilominus obſtitiſſet Communioni ſacræ, ſeu S. Viatico ſumendo, minimè dubitandum, quin graviter deliquiſſet; quandoquidem certum eſt, juxta communiſſimam Doctorum, omnes fideles ad ſumendum S.

Viaticum obligari ſub gravi culpa. At verò, quia paucos reperimus, qui dum prævident, & agnoſcunt ſe verſari in periculo mortis, non velint muniri ſacro Viatico, ad feliciùs aggrediendum iter æternitatis; hinc pariter credo, paucos eſſe, qui ex neglectu Viatici ſacri mortaliter peccent. Eapropter Titius noſter, ipſiúsque Conjux à gravi peccato excuſari forſitan poſſunt; quia ſi periculum prævidiſſent, ſimúlque obligationem ſumendi S. Viaticum agnoviſſent, procul dubio nunquam id recuſâſſent.

Dices: At quid, ſi Medici ipſimet judicâſſent, non ſubeſſe ex parte Titii periculum mortis, ſaltem propinquum?

118 R. Ex hac ſuppoſitione & judicio Medicorum, non tenebatur Titius noſter, ad illicò ſumendum S. Viaticum; propterea̅que potuiſſet D. Parochus diſſimulare admonitionem de illo ſumendo, præſertim ſi prævidit, ſe admonendo incurſurum offenſam. Ratio eſt, quia ubi nondum eſt periculum propinquum mortis, adhuc reſtat ægroto tempus & mora ſatisfaciendi ſuæ obligationi: quemdamodum ergo Clericus non tenetur abſolutè ad dicendum ſuum Breviarium, quamdiu prævidet ſibi ſuppetiturum tempus commodum illud dicendi; ita etiam ægrotus non adſtringitur ad S. Viaticum, quamdiu prævidet tempus commodum illud adhuc ſumendi. Cavendum nihilominus eſt nedum ægrotis, ſed ipſis etiam Dominis

Me-

Medicis ne vano timore, vel alio reſpectu humano ducti, rem diſſimulent, & dicant, nondum ſubeſſe periculum, ubi revera illud advertunt, ſicque non moneant nec inducant ægrotos, quatenus advocare velint Medicos animarum; vel (quod adhuc pejus foret) omnino reſiſtant, aut diſſuadeant, ne etiam ſponte accurrentes animarum Curatores admittantur ad infirmum; quos propterea Innocentius III. *Cap. cùm infirmitas. de pœnit. & remiſſ.* redarguit, & tamdiu ab ingreſſu Eccleſiæ arceri jubet, donec pro transgreſſione hujusmodi ſatisfecerint competenter.

At quid (ais) ubi conſtat infirmum non adeò pridem ſumpſiſſe SS. Evchariſtiam?

R. Si conſtet, eam ſumpſiſſe primùm ante 119
paucos dies v. g. 6. vel 8. immò etiam (juxta alios) ante decem vel quindecim dies, faciliùs diſſimulari poteſt ſumptio ſacri Viatici. Ratio eſt: quia talis infirmus probabiliter non ampliùs obligatur ad ſumendum S. Viaticum; etſi oppoſitum ſit tutius & probabilius. Idipſum à fortiori dicendum de illo, qui manè ex devotione communicavit, & poſtea eâdem die incidit in periculum mortis: etſi enim talis probabiliter poſſit, immò verò (ſecundùm aliquorum opinionem) adhuc debeat ſumere ſacrum Viaticum, quippe quod nondum ſumpſit; nihilominus juxta probabiliſſimam, & quaſi communem opinionem, non ampliùs tenetur ad illud ſumendum. Ratio eſt: quia talis

talis infirmus moraliter loquendo censetur verè communicâsse in articulo, seu propinquitate mortis, etsi ignoraverit, se morti tam esse propinquum; hæc enim ignorantia non obstat impletioni præcepti, veluti patet in eo, qui ignorans esse diem festum, Sacrum audit, & certò satisfacit suæ obligationi, non obstante ignorantia. Adde etiam, quod talis infirmus jam satisfecerit fini hujus præcepti, qui est, per Communionem se disponere ad mortem vicinam. Herincx *disp. 6. n. 49.* Layman *tr. 4. c. 5. n. 4.* Lugo *disp. 16. à n. 36.* Illsung *tr. 6. disp. 4. n. 129.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius mendicus per aliquod septimanas mendicando collegerat quindecim circiter crucigeros, quibus intendit sibi adornare diem aureum (uti dicere solemus) & (veluti is antecedenter sæpiùs dixisse audiebatur) bibere usque ad satietatem. Contigit proin, ut non solùm usque ad satietatem, sed planè usque ad plenam ebrietatem biberit vinum adustum: in tali verò statu per scalas decidendo caput gravissimè illiserat, jamque usque ad portas mortis appropinquâsse videbatur. Vocatur propterea D. Parochus, & rogatur, ut infirmo velit administrare SS. Ecclesiæ Sacramenta. Quæritur jam, an vel quænam Sacramenta eidem potuerit, vel etiam debuerit ministrare?

Resp.

R. primò, Sempronius in ſtatu plenæ ebrietatis nec potuit, nec debuit abſolvi, etſi ſupponatur fuiſſe conſtitutus in evidenti periculo mortis. Ratio eſt: quia ad validam abſolutionem ex parte pœnitentis eſſentialiter præſupponitur aliquis actus humanus, ſcilicet Confeſſio dolorosa, ſeu etiam dolor ſupernaturalis: at, Sempronius in ſtatu plenæ ebrietatis non fuit capax alicujus actûs humani, ùt de ſe clarum eſt: neque præſumi poteſt, quòd ante ebrietatem ſeſe diſpoſuerit ad Confeſſionem, quippe de qua nihil prorſus cogitavit: multò minùs præſumere licet, eundem miraculosô modo, & contra communem naturæ ordinem hîc & nunc, in ſtatu ſcilicet plenæ ebrietatis, adjuvari à Deo, & diſponi ad perfectam contritionem; quia ſine certo fundamento non debemus recurrere ad miracula: ergo pro hoc ſtatu neque eſt capax abſolutionis. 120

R. ſecundò. Eſto Sempronius ſupponatur eſſe plenè ebrius, quia tamen non conſtat, eum ex mera voluptate bibendo, ſeſe voluntariè inebriâſſe cum peccato mortali (quô ſuppoſito utique foret indignus omnibus Sacramentis) hinc eidem probabiliter poteſt, immò verò debet adminiſtrari Sacramentum Euchariſtiæ, vel, ſi hoc ſumere non poſſit ampliùs, ſaltem Sacramentum extremæ Unctionis. Ratio eſt; quia ad validam, immò & fructuoſam perceptionem iſtorum Sacramentorum ex parte ſubjecti (præter voluntatem ſaltē habitualem 121

lem) nulla alia disposítio præsupponitur, neque alius aliquis actus humanus. Neque etiam obstat, quòd Sempronius noster supponatur non esse jejunus; quia in tali discrimine nulla habetur ratio jejunii, velut patet in aliis moribundis. Nec refert aut obstat, quòd sit plenè ebrius; partim quia ebrius comparatur furioso per *cap. Venter dist. 35.* furioso autem in tali discrimine possunt ministrari hæc Sacramenta; partim etiam quia, ùt supponitur, hæc ebrietas, vel erat penitus inculpabilis, vel saltem non graviter culpabilis; etenim quantùm constat ex specie facti, Sempronius non intenderat bibere usque ad *ebrietatem*, sed tantùm usque ad *satietatem*: ergo.

Dices. At quid, si dubitetur, an talis infirmus se voluntariè, & cum peccato mortali inebriaverit, vel non?

122 R. Cum distinctione. Vel enim assuevit talis infirmus in sua vita se sæpiùs inebriare; vel rarò admodum, vel vix unquam, aut prorsus nunquam? Si prius; præsumendum foret, etiam hac vice voluntariè sese ingurgitâsse: nam ex vita præterita præsumitur de præsente *c. mandata. &c. cùm in juventute*: *de præsumt.* Si posterius; præsumitur ebrietas fuisse involuntaria. Ratio est: quia de nullo debemus facilè præsumere delictum. *ex L. meritò. ff. pro Socio.* Ita Babenstuber *tr. 8. pag. 3. disp. 6. a. 1. n. 14.* Gobat. *tr. 4. n. 195.* ubi etiam addit, in alio dubio, utrum talis moribundus incurrerit perfectam

fectam ebrietatem, vel imperfectam ſeu crapulam tantùm? judicandum eſſe id, quod eſt mitius, ſcilicet pro crapula duntaxat. Denique an in plena ebrietate extinctus, ſepeliendus ſit ſepultura aſini? eſt alia quæſtio: quocirca obſervanda cujuslibet Diœceſeos conſuetudo: & in dubio de conſuetudine ſequenda ſunt mitiora; nam in his, in quibus non invenitur jus expreſſum, declinandum eſt in humaniorem partem, *cap. fin. de Trans.* & vel maximè in hoc caſu, quippe in quo ex contrario ſubinde magnæ agnatorum offenſæ meritò poſſunt timeri. Vide DD. *citt.* quibus adde de la Croix *l. 6. p. 1. n. 609.*

CASUS TERTIUS.

Cajus deportavit S. Viaticum ad aliquam perſonam periculoſiſſimè decumbentem, quæ ex eo tempore, quo primò conceperat, ſemper quaſi erat obnoxia vomitui, unde etiam Cajus dubitavit, an expediret eidem S. Viaticum adminiſtrare, an verò potiùs illud denuo ſecum reportare ad Eccleſiam. Quid cenſendum?

R. Advertendum, & præprimis Cajo interro- 123
gandum fuit, an infirma quemlibet cibum ſtatim, ſeu absque mora, & ſemper quidem ſoleat removere; quô ſuppoſito ſacrum Viaticum eidem neutiquam fuiſſet exporrigendum: quemadmodum nec illis præbendum eſt, qui per ſeceſſum illicò emittunt omnem cibum

prot-

prorſus immutatum ; quia in tali caſu Sacramentum certò exponeretur graviſſimæ irreverentiæ. At verò ſi infirma non aſſuevit immediatè revomere id, quod ſumit vel per modum cibi, vel per modum medicinæ, ſed primùm poſt unam circiter, vel etiam mediam horam, debet eidem adminiſtrari ſacrum Viaticum: quia intra unius horæ ſpatium certò conſumuntur ſpecies Sactamentales, & fortè etiam intra ſpatium mediæ horæ, vel adhuc citiùs, juxta diverſas affectiones & conſtitutiones ſtomachorum recipientium, etſi de hoc regula univerſalis dari nequeat, ùt ipſimet Medici fatentur. Tannerus *de Evchar. q. 8. n. 67.* Joannes Sanchez *diſp. 38. n. 2.* Pax Jordanus *l. 4. tit. 1. n. 53.* & alii plures.

Dices. At quid, ſi omnibus perpenſis maneat dubium, ſitnè perſona ægrota poſt S. Viaticum illicò paſſura vomitum, vel non?

114 R. Si omnibus conſideratis meritò dubitetur, ſitnè intra horam rejectura hoſtiam, vel non, oportebit illud probare, præbendo interim hoſtiam non conſecratam, quam, ſi per horam ſervet, porrigi poteſt & conſecrata; nam in dubio hoc, præſtat Sacramentum hoc exponere incerto periculo irreverentiæ merè materialis, quàm certo fructu privare ægrotantes, ad quorum ſalutem æternam Chriſtus hoc Sacramentum per modum Viatici dandum deſervire voluit. Ita Tannerus, Diana, Reiſs, quos citat & ſequitur Gobat *tr. 4. n. 163. & 164.*

Ubi

Ubi ſimiliter notat cum Suarezio *diſp. 71. ſect. 3.* in ſimilibus circumſtantiis nequaquam opus eſſe, ut infirmo præbeatur integra hoſtia, ſed ſufficit præberi minimam particulam hoſtiæ conſecratæ, & quidem in liquore, ſi absque hoc deglutire nequeat, eſto ſit moraliter certum, liquorem priùs eſſe deſcenſurum; quandoquidem in tali caſu neceſſitatis nulla ſit habenda ratio jejunii, utì mox ſuprà dictum fuit.

Dices adhuc. Quid denique agendum, caſu quo talis ægrotus præter, vel etiam contra omnem exſpectationem revomuit ſpecies conſecratas?

R. Si contingat ſpecies conſecratas, vel ho- 125
ſtiam integram revomi, nec Sacerdoti tantum ſit animi aut reverentiæ erga Sacramentum hoc, ut eam ſumat (eſto ad hoc neutiquam ſit obligatus) deferenda erit in ſacrarium, ac purgata poterit ab alio ſumi tempore ſacrificii, aut, ſi nemo vincere poſſit horrorem, relinquenda erit in ſacrario, donec conſumatur, ſicut in ſimili jam ſuperiùs dictum fuit de hoſtia veneno infecta. Comburere autem nunquam liceret; quia hoc foret immane ſacrilegium, inquit Sylveſter, loquens de ſacro ſanguine. *V. Euchariſtia q. 9. §. 2.* apud Gobat *l. cit. n. 166.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

Colliges primò, non ſatisfacere præcepto 126
Eccleſiæ, qui in Paſchate ſine conſenſu proprii

Pastoris extra propriam Ecclesiam, vel ab alio sumit S Communionem. Ita Navarrus, Azorius, & alii *communiter*. Ratio est: quia Ecclesia non solùm præcipit Communionem, sed etiam vult eam sumi à proprio Pastore, quatenus is suis ovibus possit magìs invigilare, & observare, an, vel quomodo servent præcepta Ecclesiæ &c. Nihilominus extra Ecclesiam suam, vel ab alio sumentes Communionem Paschalem satisfaciunt, si id faciant cum consensu summi Pontificis, vel Episcopi seu Ordinarii, aut ejus Vicarii Generalis, vel proprii Parochi (hi enim omnes intelliguntur nomine proprii Pastoris) nam hoc innuit clarè præceptum Ecclesiæ, idque confirmat recepta praxis, & communis DD. consensus; qui etiam satìs communiter fatentur, sufficere consensum interpretativum Pastoris, qualem censetur dare, si talem morem approbet, vel aliunde constet, eum libenter videre suos subditos ab aliis petere S. Communionem Paschalem. Vid. Busenb. *l. 6. tr. 3. c. 2. dub. 2. a. 3. R. 3. n. 4.* Tambur. *de expe. Commun. c. 4. §. 4.* Diana *p. 2. tr. 14. Res. 73.*

Dices: Si quis autem toto anni tempore non communicavit, tenebiturnè postea quamprimùm potest commodo tempore communicare?

27 R. Affirm. Ita Henno *de Eychariſt disp. 9. q. 2. concl. 1. Resol. 3.* Kazenberger *in Supplemento I. Conferent. P. Sargar Confer. 153.* & alii satìs *communiter*. Ratio est: quia terminus annuus scili-

ſcilicet non eſt præſcriptus ad finiendam, ſed potiùs ad ſolicitandam obligationem: ergo quemadmodum in contractibus, ubi terminus ſolùm fuit præfixus ad ſolicitandam ſolutionem, eô elapſo non extinguitur obligatio ſatisfaciendi, ſed magìs urget; ita & in propoſito. Ex quo rectè infert Henno *l. cit.* peccatum tantò augeri, quantò diutiùs ex culpabili negligentia executio hujus obligationis differtur. Unde etiam is, qui prævidet initio temporis Paſchalis, ſe non habiturum deinceps tempus, vel occaſionem ſumendi S. Communionem, tenetur illam ſtatim ſumere, ſicut is, qui manè prævidet impedimentum audiendi poſtea Miſſam, tenetur illam audire mane. Vide *DD. citt.*

Colliges ſecundò, Præcepto Eccleſiæ de ſu- 128
menda Communione Paſchali, aut de ſumendo S. Viatico, neutiquam ſatisfieri per Communionem ſacrilegam. Ita hodie *communiter DD.* & ſatìs liquet ex decreto Innocentii XI. damnantis ſequentem propoſitionem *n.* 55. velut ſcandaloſam, & in praxi pernitioſam: *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Ratio autem ultimata eſt; quia præceptum Eccleſiæ non eſt novum quoad ſubſtantiam, ſed eſt duntaxat determinativum præcepti divini, quod nullum certum tempus determinaverat: atqui certum eſt, per Communionem ſacrilegam non ſatisfieri præcepto divino: ergo nec ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico, quippe quod eſt idem quoad ſubſtan-

ſtantiam cum divino. Et certè tam jure Eccleſiaſtico, quàm naturali & divino jubemur SS. Evchariſtiam reverenter ſumere: at, qui ſuſcipit in ſtatu disgratiæ & indignus, eô ipſo non ſuſcipit reverenter: ergo &c. Henno *diſp. 9. q. 3. Concl. 2.* de la Croix *l. 6. p. 1. n. 621. & 682.*

129 Colliges tertiò, quòd, licèt infirmus ſacro Viatico jam ſemel refectus, non ampliùs obligetur ad illud ſumendum, cùm jam ſatisfecerit ſuæ obligationi: nihilominus ſi diutiùs decumbat, illúdque ad animæ ſuæ ſalutem ac ſolatium poſtulet, debet illud ſæpiùs adminiſtrari: ídque verum eſt, tametſi nequeat illud ſumere ùt jejunus. Ita *Communis* DD. quod & praxis Eccleſiæ confirmat. Ratio hujus eſt: quia hoc Sacramentum infirmis non eo præcisè ex fine datur, ut ſatisfaciant præcepto, ſed etiam ut inde recipiant præſidium contra tentationes, & in ſpiritu magìs ac magìs roborentur: quare cùm infirmi tali robore ſæpiùs egeant, planè debebit ipſis hoc Sacramentum ſæpiùs adminiſtrari, modò rationabiliter id poſtulent. Quantum autem temporis ſpatium ſeu intervallum ſit ſervandum ab una Communione ad aliam, non conveniunt DD. neque univerſaliter determinari poteſt, ſed potiùs relinquendum videtur & zelo Paſtoris, & devotioni decumbentium. Layman. *l. 5. tr. 4. c. 6. n. 20.* exiſtimat, ex juſta cauſa, ùt ſi quis aſſuetus ex devotione ſæpiùs communicare, difficulter abſtineat, poſſe ſtatim altero die communicare

nicare non jejunum, dummodo mortis periculum inſtare videatur; id quod etiam cum uno ex noſtris practicatum ſcio, qui cùm ampliùs celebrare non potuiſſet ob graviſſimam infirmitatem, per octo continuos dies quotidie ſacro hoc pabulo refici, & ad extremam luctam munia poſtulavit, donec tandem ipſo Sabbato ſancto eodem ſacratiſſimo Viatico præmunitus, placidiſſimè ſimul & ſanctiſſimè hinc demigravit ad meliorem vitam. Vid. *ſummam Dianæ V. Communionis diſpoſitio, n. 41.*

Colliges quartò, Parochis, aliſque animarum Curatoribus incumbere, ut ſuis ſubditis adminiſtrent ſacram Evchariſtiam quoties (conſiderato eorum ſtatu, conditione, aliſque circumſtantiis) rationabiliter eam poſtulant. Ratio eſt clara: quia Parochis incumbit onus paſcendi oves ſuas: quod maximè fit verbô, & Sacramentis: nec par eſt, ut parvuli petant panem, & non ſit, qui eum illis frangat. Unde etiam Layman *cit. c. 5. n. 6.* docet, Parochis incumbere obligationem, ut intelligere curent, an ſint aliqui infirmi, conſtituri in periculo mortis, quos inviſere, & ſpiritualiter paſcere oporteat, prout colligitur *ex cap. 1. de Celebr. Miſſ.* Videri de hoc poteſt Laym. *l. cit.* Navarrus *in cap. placuit. de pœnit. diſt. 6. n. 152.* Barboſa *de Officio & poteſt. Parochi part. 2. cap. 20. n. 15.* 130

Colliges tandem quintò, ad ſumendam ſacram Communionem teneri ſequentes. 1. Mi- 131

lites, inituri periculosum conflictum (nisi desit occasio) item, 2. Inituri periculosam navigationem. 3. Idipsum dicendum de fœminis primò parturientibus, vèl aliàs difficiles partus communiter expertis. Item 4. lethaliter vulnerati, nec non 5. damnati ad mortem; quibus propterea Judex tenetur indulgere tempus disponendi se ad S. Communionem, uti statuit Pius V. *in suo Motu proprio*, & colligitur ex *c. super eo. de Hæreticis in 6.* item *c. Quæsitum 13. q. 2.* Ratio autem horum omnium facilè eruitur ex dictis: quia nimirum omnes enumerati censentur moraliter expositi periculo mortis: at, in periculo & articulo mortis obligat præceptum de sumenda Communione, secundum dicta *n. 107.* ergo &c.

CONFERENTIA DECIMA SEXTA, DE Sacrificio Missæ: & quinam illud offerre, vel pro quibus offerri possit ac debeat.

SUMMARIUM.

132. Sacrificium in communi est oblatio externa, legitimè instituta &c.

133. Missa quid sit.

134. Missa est verum & propriè dictum N. L. sacrificium.

135. & 136. Solvuntur duæ objectiones in contrarium.

137. Sacrificium Missæ, quomodo sit unum, & quomodo multiplex.

138 Probabiliùs in sola consecratione essentialiter consistit.

139. Consecratio tamen utriusque speciei est de essentia sacrificii completi.

140. Offerens principalis est Christus, minùs principalis Sacerdos: & secundariò etiam fideles dici possunt offerentes in certo sensu.

141. Missæ sacrificium per se loquendo offerri potest tam pro vivis, quàm pro defunctis.

142. Pro Infidelibus tamen & pro Excommunicatis non toleratis illud directè offerre, nefas foret;

143. Esto pro his offerri possit indirectè.

144. Pro damnatis illud offerre non licet: & quomodo pro Beatis offerri valeat?

145. Resolvitur Casus 1. de quodam D. Parocho, qui passus deliquium sub ipso SS. Missæ sacrificio graviter infirmari cœpit.

146. Si post peractam jam consecrationem dubitetur, an ob hujusmodi debilitatem prosequi valeat sacrificium, conaridebet modo humanitùs possibili ad illud complendum.

147. Si verò Sacerdos infirmetur ante consecrationem, Missa intermittitur.

148 Resolvitur Casus II. cujusdam Sacerdotis, qui primùm in actuali sumptione advertit, se locô vini consecrâsse aquam.

149. An in tali casu necessarium sit, etiam aliam hostiam consecrare.

150. Et quid, si talis defectus primùm cognoscatur in sacristia.

151. Sacerdos jam in ipso altari dubitans, an consecraverit verum vinum, probabiliùs tenetur aliud certum vinum consecrare.

152. Resolvitur Casus III. de quadam fœmina Lutherana, postulante Sacrum fieri in honorem S. Antonii Paduani.

153. Huic potuit Sacerdos Catholicus licitè deferre, & cur?

154. Sacrificium Missæ, an, vel quomodo offerri possit v. g. pro animalibus, & aliis necessitatibus.

155. Quænam sint differentiæ inter sacrificium & Sacramentum.

156. In sactificio Missæ tria veniunt distinguenda, scilicet 1. Ratio Sacramenti, 2. Ratio sacrificii, & 3. Ratio Missæ.

157. Multæ actiones in sacrificio Missæ sinè gravi peccato omitti nequeunt, esto non sint essentiales.

158. Hostia principalis hujus sacrificii est ipse Christus, ùt contentus sub speciebus Evcharisticis.

159. Substantia panis & vini suô modo dici possunt hostia minùs principalis.

160. Per se loquendo semper illicitum est consecrare unam duntaxat speciem.

161. Sacrificium Missæ utiliter offertur 1. pro infantibus fidelium. 2. pro Energumenis, & 3. pro peccatoribus quantumvis gravibus: & quomodo his possit prodesse.

162. Graviter delinqueret Sacerdos, qui aliquem fidelium vellet excludere à fructu generali sui sacrificii.

163. Item graviter peccaret, qui Sacrificium Missæ offerret pro aliquo damnato.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Ministro sacrificante &c.

QUæres primò, quid sit Sacrificium in communi, seu in genere?

R. Sacrificium est oblatio externa legitimè 132
instituta, quâ res aliqua sensibilis immutatur per Ministrum legitimum in protestationem supremi Dei dominii. Ita cum *communissima* DD. Sporer *Theol. Sacram. part. 2. c. 2. n. 43.* Explico brevissimè. Dicitur 1. Oblatio externa legitimè instituta; quia, cùm sit signum publicum, quò tota communitas vult demonstrare cultum Deo debitum, hinc debet esse legitimè instituta; & quia hunc cultum nedum coram Deo, sed etiam coram hominibus demonstrare intendit; hinc 2. res illa, quæ offertur, debet esse sensibilis, & quidem 3. cum

immutatione hostiæ; quia per sacrificium contestamur, Deum habere supremum dominium in vitam & mortem, sic, ut pro libitu possit omnia immutare, quemadmodum Sacerdos Hostiam immutat. Dicitur 4. per Ministrum legitimum; nam sicut quælibet actio naturalis exigit suam proportionatam causam; ita & actio moralis, qualis est sacrificatio, quæ, hoc ipsô, quòd nomine totius communitatis fiat, convenienter fieri nequit, nisi per Ministrum legitimum, seu publicè ad hoc institutum ac deputatum. Additur tandem 5. in protestationem supremi dominii Dei: quia si talis oblatio fieret ex alio fine & motivo formali, deficeret finis intrinsecus, & ratio specifica sacrificii. Unde etiam evidenter liquet, sacrificium esse actum religionis, & quidem supremum, scilicet cultûs latriæ, qui est soli Deo debitus, ùt alibi docetur.

Quæres secundò, quid sit Missa?

133 R. Missa est verum, & unicum novæ Legis sacrificium, quô à sacerdote ritè ordinato Corpus & Sanguis Domini nostri JEsu Christi sub speciebus panis & vini ex ejus institutione certo ritu pro salute vivorum & mortuorum Deo offertur, immolatur, & sumitur. Ita rursus cum *communissima* DD. Sporer *cit. n. 62.* Ratio autem & intellectus hujus descriptionis facilè colligetur ex proximè dictis, & ampliùs patebit ex dicendis hac Conferentiâ.

Dices:

Dices: ergonè in Missâ fit verum sacrificium?

R. Fit verissimum. Unde Concilium Trident. *ss. 22. can. 1.* definit: *Si quis dixerit, in Missa non offerri verum, & proprium sacrificium, aut, quòd offerri non sit aliud, quàm, Christum nobis ad manducandum dari, anathema sit.* Ratio etiam est: quia in Missa fit oblatio externa rei sensibilis, per ministrum legitimum, in contestationem supremi dominii Deo competentis supra omnes creaturas: ergo fit verissimum sacrificium. Verùm contra 134

Dices. In omni sacrificio vero debet fieri vera immutatio hostiæ & quidem sensibilis: at, non apparet, quô modo in Missa fiat vera & sensibilis immutatio hostiæ: ergo &c.

R. Neg. min. Nam in sacrificio Missæ dici 135
potest, fieri destructionem triplicem hostiæ, scilicet 1. mysticam, 2. moralem, & 3. suo modô realem. 1. Mystica contingit: quia vi consecrationis, vel potiùs vi verborum per se sub speciebus panis ponitur solùm corpus, quasi sequestratum à sanguine, & sub speciebus vini vi verborum per se solùm ponitur sanguis quasi à corpore sequestratus, (etsi propter conjunctionem, quam defacto habet sanguis cum corpore, quasi concomitanter & per accidens sub speciebus panis contineatur sanguis, & sub speciebus vini Corpus Christi) separato autem totaliter sanguine à corpore, necessum est sequi mortem naturaliter, seu de-

destrui hominem: ergo hoc modô mysticè significatur destructio Christi, qui est hostia &c. 2. item moralis destructio hostiæ ibi fit; quia Christus Dominus vi consecrationis ponitur modô quasi mortuo quoad esse usuale, & in statu omnino inepto ad operationes, & functiones naturales vitæ humanæ, ita, ut non sit positus ad alium usum, quàm ad cibari & potari. 3. denique suo modô realis immutatio hostiæ ibi fit, quantum ad esse sacramentale, quatenus vi consecrationis accipit novum esse sacramentale, vi cujus ponitur in proximo statu, & via destructionis, quia scilicet destructis speciebus mox, & ipse Christus destruetur, ita quidem, ut si per impossibile non haberet aliud esse, præter illud sacramentale, destructis speciebus illis omnino destrueretur & ipse Christus quoad esse simpliciter, ut non ampliùs existeret: hoc autem sufficit ad rationem sacrificii: sicut in veteri Testamento ad verum sacrificium sufficiebat substantiam thuris, aliorumvè thymiamatum poni in proximo statu corruptionis, ut inde fumus odoriferus consurgeret.

Dices iterum. Juxta superiùs mox dicta Sacrificium Missæ debet offerri in protestationem supremi dominii, quod Deus habet in alios fines, v. g. ad impetrandam sanitatem &c. item sæpe offerri solet in honorem B. Virginis, & aliorum Sanctorum, quem in finem

ab

ab Ecclesia speciales Missæ votivæ sunt præscriptæ in Missali: ergò &c.

R. Neg. iterum min. Esto enim Sacrificium 136
Missæ etiam ex mente Ecclesiæ sæpesæpiùs offeratur in honorem Sanctorum &c. vel ad impetrandam sanitatem, aliavè beneficia &c. non tamen offertur propterea ipsis Sanctis, sed Deo, veluti perspicuè docet Concilium Tridentinum *ss. 22. cap. 3. hisce verbis: Quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit: non tamen illis sacrificium offerri docet, sed soli DEO, qui illos coronavit: unde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, sed DEO de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Plura argumenta Hæreticorum soluta videri possunt apud nostrum Herincx *disp. 8. n. 22. & seqq.* Babenstuber *tr. 8. p. 4. disp. 1. a. 5.* de la Croix, Henno, & alios passim.

Quæres tertiò, quotuplex sit Sacrificium?

R. Sacrificium secundùm diversos respe-137
ctus dici potest unum & multiplex; nam 1. unum est ratione rei oblatæ. 2. ratione modi quô offertur, est duplex. 3. ratione finis in quem offertur, est quadruplex, & 4. simil ter quadruplex dici potest ratione effectûs. Explico singula breviter. 1. Unum est ratione rei oblatæ; quia res oblata est ipse Christus, qui est ubi-

ubique unus & idem. 2. Duplex est ratione modi quo offertur; nam in Cruce Christus fuit oblatus modô cruento, cum reali effusione sanguinis &c. in Sacrificio autem Missæ defacto offertur modô incruento. 3. Quadruplex est ratione finis in quem offertur; vel enim offertur ad DEum colendum & contestandum summum ejusdem in nos dominium, & tunc appellatur *latreuticum*; vel offertur in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, & dicitur *Eucharisticum*: vel offertur in satisfactionem pro peccatis, dicitúrque *satisfactorium*; vel denique offertur pro impetrandis novis beneficiis & gratiis, & appellatur *impetratorium*. 4. Rursus quadruplex est ratione fructûs, seu effectûs; etenim 1. conducit suô modo ad impetrandam remissionem peccatorum mortalium, in quantùm virtute ejus Deus movetur ad deponendam justam suam indignationem, vi cujus nobis poterat negare auxilia gratiæ in ordine ad resipiscendum, & redeundum in gratiam efficacia: & propterea appellatur *Propitiatorium*. 2. Conducit ad delenda peccata venialia, & dicitur *Expiatorium*. 3. Remittit etiam pœnas pro peccatis jam dimissis debitas tum in hac, tum in altera vita luendas, idque ex opere operato; quam ob causam vocatur *satisfactorium*. 4. Tandem vi hujus impetramus nova beneficia à DEO, ad animæ salutem conducentia, unde etiam dicitur *Impetratorium*. Ita communissimè DD. Sporer *l. cit. n.* 72.

& 73. Reiffenstuel *dist 5. n. 42. & seqq.* Idipsum satis clarè colligitur ex Concilio Trident. *ss. 22. Can. 3.* ubi definit sic : *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis. & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

Quæres quartò, in quanam actione sacrificium Missæ essentialiter consistat, an scilicet in oblatione, vel consecratione, vel demum in sumptione?

R. Probabiliùs essentialiter consistit in sola 138
consecratione, etsi 2. sumptio dici possit ac debeat pars integralis. Ita hodie *communiter* DD. Sporer, Reiffenstuel, Henno, Herincx, *disp. 8. n. 42.* de la Croix *l. 6. p. 2. n. 13.* Babenstuber *tr. 8. p. 4. d. 2. a. 2. n. 2. & 7.* Ratio prioris est: quia sacrificium conficitur in persona Christi, ceu principalis offerentis, uti statim videbitur; atqui consecratio, eáque sola in persona Christi conficitur à Sacerdote, veluti patebit perpendenti verba ac modum consecrandi: **ergo probabiliùs in sola consecratione consistit essentia sacrificii: unde etiam Sacerdotium per se primò respicit, & confertur in ordine ad consecrationem.** Ratio autem posterioris est: quia sacrificium Missæ est simul convivium spirituale: atqui ad consumandum convivium pertinet sumptio ciborum &c. qua

ratio-

ratione Cap. *Relatum de Consecr. dist. 2.* dicitur: *Quale erit illud sacrificium, cui nec ipse Sacrificans particeps esse noscitur?*

Dices: ergonè consecratio utriusque speciei est de essentia sacrificii Missæ?

139 R. Est de essentia sacrificii completi. Ratio est: quia Christus Dominus voluit, in sacrificio Missæ offerri Corpus & Sanguinem suum, & quidem sub distinctis speciebus, panis scilicet & vini, veluti docet Concilium Trident. *Ss. 22. c. 1.* ergo de essentia sacrificii completi est consecratio utriusque speciei; tametsi videatur, haud quaquam negari posse, etiam in consecratione unius duntaxat speciei v. g. panis salvari & reperiri essentiam sacrificii saltem incompleti; quandoquidem vi hujus solius consecrationis fiat vera oblatio rei externæ sensibilis, & quidem à legitimo Ministro, in contestationem supremi in nos dominii: ergo salvatur vera ratio sacrificii, etsi adhuc incompleti & non totalis. Ita *communissimè*, SS. Mastrius, Sporer, Reiffenstuel, Henno, Herincx *d. 8. n. 45.*

Quæres quintò, quinam sint offerentes respectu hujus sacrificii?

140 R. 1. Principalis offerens est Christus. 2. minùs principalis, etsi adhuc propriè & per se offerens, est Sacerdos legitimè ordinatus. 3. denique minùs principaliter & impropriè offerentes dici possunt etiam reliqui fideles, præsertim sacrificio assistentes. Ita *communissimè* om-

omnes Catholici. Ratio primi desumitur ex Concilio Florent. ac Trident. quod *ss. 22. c. 2.* ait: *Una est, eadémque hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministeriô, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa &c.* Quod quidem vel ex ipso modo consecrandi haud obscurè colligere licet, quando Sacerdos non in propria, sed in persona Christi loquens ait: *Hoc est corpus meum &c.* Quare multi DD. nominatim de la Croix *cit. l. 6. pa. 2. n. 17.* Babenstuber *tr. 8. p. 4. d. 3. a. 1. n. 5.* existimant, Christum etiam immediatè & propriè per actum quendam elicitum offerre singula sacrificia, dum fiunt actu à Sacerdotibus. Ratio secundi colligitur ex eo: quia Sacerdos est publicus Minister Ecclesiæ, ad hoc ministerium conficiendum specialiter consecratus, juxta illud Christi Domini apud S. Lucam 22. *cap. v. 19. Hoc facite in meam commemorationem &c* Idipsum liquet ex forma ordinationis, in qua Episcopus Neo-Mystæ dicit: *Accipe potestatem offerendi sacrificium DEO, Missásque celebrandi tam pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini &c.* Ratio autem tertii inde colligi potest: nam ante consecrationem post *Memento* dicit Sacerdos: *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.* Et rursus post consecrationem idem Sacerdos ait, *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ &c.* Fatendum tamen est, quòd fideles non, nisi impro-

priè & mediatè offerant, vel quia curant aut petunt, illud pro ſe offerri, vel quia ad ejusdem oblationem alio modo concurrunt, utputa vel miniſtrando, vel eidem aſſiſtendo, vel ſaltem affectu ſeſe conjungendo Sacerdoti offerenti, ceu Miniſtro per ſe ordinato ad hoc miniſterium utì explicat Reiffenſtuel *Theol. Mor. tr. 14. diſt. 5. n. 32.* Herincx ubi ſuprà *d. 8. n. 50.*

Quæres tandem ſextò, pro quibus hoc Sacrificium offerri valeat?

141 R. Sacrificium Miſſæ per ſe loquendo, & niſi aliud obſtet, poteſt offerri tam pro vivis, quàm etiam pro defunctis. Ita rurſus omnes Catholici. Ratio patet ex ipſis verbis in ordinatione Sacerdotis ab Epiſcopo prolatis, & mox relatis, quibus clarè conceditur poteſtas offerendi ſacrificium tam pro vivis, quàm pro defunctis. Accedit ratio: nam per alia ſuffragia juvare poſſumus tum vivos, tum etiam defunctos: ergo vel maximè idemmet poterimus per illud Deo tam acceptabile ſacrificium Miſſæ.

142 Dixi tamen: *Per ſe loquendo, & niſi aliud obſtet &c.* Nam reſpectu vivorum obſtare poteſt 1. Excommunicatio, & 2. Infidelitas, ſeu defectus baptismi: etenim pro excommunicatis non toleratis (de toleratis patebit ex proximè dicendis in caſu tertio:) ſacrificium Miſſæ haudquaquam licitè offerretur. Ratio eſt: quia hoc nedum in perſona Chriſti, ſed etiam nomine Eccleſiæ offertur: Atqui Eccleſia prohibet, ne ſuo nomine, & publico miniſterio Eccleſiæ

cleſiæ oretur pro excommunicatis ſaltem non toleratis, aut pro iisdem Sacrificium Miſſæ oſferatur; uti habetur *cap. à nobis. 28. & cap. Sacris, 38. de ſent. excomm.* ergo &c. Similiter infideles nondum baptizati non ſunt membra Chriſti: Atqui Sacrificium Miſſæ non poteſt directè applicari niſi pro membris Chriſti; quia, ut inquit D. Auguſtinus *lib. 1. de anima & ejus orig. c. 9. quis offerat Corpus Chriſti, niſi pro his, qui ſunt membra Chriſti?* Idem confirmat uſus & praxis S. Matris Eccleſiæ, quæ, quantumvis velut pia Mater omnium etiam Paganorum converſionem, & ſalutem ſummopere affectet, nullam tamen pro ipſis Miſſam ordinavit, neque preces aliquas pro iisdem inſtituit, niſi in ſola die Paraſceves, qua propter ſpeciale myſterium, & ad imitandum Chriſti ſponſi ſui exemplum, qui in cruce pro ſuis etiam inimicis oravit, ſimiliter pro Hæreticis, Schismaticis, Judæis atque Paganis precatur.

Dictum etiam fuit: *Directè applicari nequit* 143 &c. Nullibi enim prohibetur Sacerdos in ſua Miſſa privata ſub *Memento* pro excommunicatis etiam non toleratis, itémque pro Paganis & aliis infidelibus orare, quatenus Deus ipſis velit elargiri veræ fidei lumen. Quin imò, hôc ipſo, quòd Eccleſia ſancta velit Sacrificium Deo offerri pro ſua exaltatione, & veræ fidei dilatatione, item pro tollendo Schismate, vel etiam pro extirpatione hæreſum, cenſetur velle, ut offeratur ſaltem indirectè pro Paganis

&c. quippe quorum converſione veræ fidei dilatatio ſolùm obtineri valet.

144 Porro, quod attinet defunctos, reſpectu horum obſtare poteſt vel beatitudo jamjam adepta ab ipſis, vel damnatio jamjam incurſa. Ratio eſt: quia damnatorum redemptio jam eſt penitus deſperata, & hôc ipſo etiam, quòd damnati ſint, ſunt & manent perpetuò excluſi ab Eccleſiæ ſuffragiis: ergo inutiliter Sacrificium Miſſæ offerretur pro ipſis. Beati autem, hôc ipſo, quòd tales ſint, orationibus noſtris non ampliùs egent: qua ratione *cap. cùm Marthæ. §. tertio locô de Celebrat. Miſſ.* dicitur: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*: ergo nec pro his Sacrificium Miſſæ debet offerri; eſto laudabiliſſimè offeratur Deo in honorem Sanctorum, tum pro gratiis ac beneficiis ipſis à Deo collatis, tum etiam pro illis, quæ DEus pro ſua infinita clementia per Sanctorum ſuorum merita & interceſſionem nobis contulit &c. Reiffenſtuel. *cit. diſt. 5. a. n. 61.* Herincx, Sporer ubi ſuprà *c. 4. n. 272.* & alii DD. *communiter.*

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici de Sacrificio Miſſæ offerendo &c.

CASUS PRIMUS.

Titius Parochus plenus dierum & meritorum ſub SS. Miſſæ Sacrificium poſt peractam jam utrius-

que

que speciei consecrationem passus erat deliquium: concurrêre propterea adstantes, & inter illos etiam D. Cooperator, qui certos quosdam liquores spirituosos partim ori ipsius infundendo, partim etiam exteriùs capiti & temporibus illiniendo, tandem bonum illum seniculum restaurârunt, & quasi resuscitârunt ad vitam: at verò viribus vixdum recuperatis utcunque, illicò cœptum est dubitare, an Dominus Parochus, etsi non ampliùs jejunus naturaliter, an verò potiùs Cooperator, utpote jejunus adhuc, deberet prosequi sacrificium. Quid huic dubio respondendum?

R. Tenebatur ipse Dominus Parochus 145
prosequi suum Sacrificium. Ratio est: quia quisquis hoc tremendum Sacrificium incipit (præsertim ubi jam ultra consecrationem pervenit) tenetur illud complere, & quidem ex præcepto divino: unde non obstat, quòd supponatur non ampliùs esse jejunus; quia hoc præceptum de jejunio naturali servando â celebrante vel communicante, duntaxat humanum est: Atqui præceptum humanum debet cedere divino, ceu fortiori, casu quo utrumque servari impossibile est, veluti evenit in hoc casu: ergo &c. Gobat *Theol. exper. tr. 3. n. 806.* Clericatus *de Sacrificio Missæ, decisione. 32. n. 40.*

Dices. Quid si autem Sacerdos celebrans ita infirmetur, ut meritò dubitetur, an reliquum Sacrificii complere valeat, vel non?

R. Adhuc tentandum & conandum est ad 146

complementum Sacrificii. Et ratio est: quia cùm hoc præceptum divinum sit de re gravissimi momenti, tam facilè prætetiti non debet: & certè negotia humana gravioris momenti homines communiter non tam facilè relinquunt incompleta, ut non omni conatu moraliter possibili nitantur ea complere, & in effectum deducere: ergo similiter, & quidem à fortiori, Sacerdos conari debet omni modo moraliter possibili, ad diviniſſimum hoc mysterium complendum. Secus dicendum foret, casu quo Sacerdos inopinatò infirmatus, sine graviſſimo salutis dispendio, vel periculo gravioris infirmitatis, non ampliùs posset illud prosequi: vel etiam, si non posset illud prosequi nisi post notabilem temporis lapsum, utputa primùm post prandium, vel altera, aut tertia primùm die; quia interveniente tanto temporis tractu non ampliùs censeretur compleri idem moraliter Sacrificium cum priori. Quam ob rem in tali casu deberet alius Sacerdos, etiam non jejunus, complere Sacrificium, veluti expressè præscribit Missale *in Rubricis, tit. de defectibus: in celebrat. Miss. §. 10. n. 3* Ubi etiam præcipitur, ut, si talis Sacerdos infirmatus adhuc communicari valeat, eidem ab alio Sacerdote supplente defectum, vel alia hostia minor, vel ubi talis deficit, pars aliqua de hostia majori consecrata administretur. Videantur de hoc Rubricæ allegatæ, quas in gratiam tyronum

Digitized by Google

ronum Missalibus destitutorum inferiùs *n.* 287. in terminis formalibus referemus.

Dices adhuc: At, quid agendum, si contingat, Sacerdotem graviter infirmari jam anteconsecrationem, vel etiam post consecrationem corporis, nondum inchoata, vel, inchoata quidem, sed nondum completa substantialiter forma calicis?

R. Si Sacerdos ante consecrationem gravi- 147
ter infirmetur, vel in syncopen incidat, aut omnino moriatur, prætermittitur Missa, idémque faciendum, si post semiprolatam formam corporis obeat; quia cùm consecratio nondum sit facta, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. At verò, si consecrata jam una specie corporis scilicet, primùm infirmetur, aut moriatur ante consecrationem alterius speciei formâ calicis vel omnino non, vel semiplenè tantùm prolata, tunc alius, etiam non jejunus debet Missam prosequi; & super eundem calicem repetere integram formam. Vide Rubricas *l. cit. in fine.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Sacerdos dum sumit calicem, videtur sibi bibere aquam: quærit proin ex ministro, an non erraverit in porrigendo debito urceolo? aspicit hic urceolum, negátque se errâsse. At Sempronius rursus admovens ori calicem, judicat, non esse in eo vinum, sed frigidam; idcirco mandat ministro, ut ex

urceolo fundat aliquid in volam manûs, exploretque, quid in eo contineatur; quô facto deprehendit, non eſſe, niſi meram aquam. Quid jam aget Sempronius?

148 R. Practicè procedat in hunc modum. 1. Si id, quod ore jamjam exceperat, nondum deglutivit, deglutiat: inconveniens quippe foret illud denuo revomere, præſertim ſi jamjam hauſerat particulam conſecratam hoſtiæ (de qua oportet Sacerdotem eſſe vel maximè ſollicitum & circumſpectum in hoc caſu) Neque obſtat, quòd hoc modo fracturus ſit jejunium naturale, quandoquidem in iſtis circumſtantiis ſervatu moraliter impoſſibile ſit. 2. At verò ſi particula conſecrata hoſtiæ adhuc innatet aquæ, tunc effundat aquam in pelvim terſam, aut aliud vaſculum mundum, ſi quod habeat ad manus (retenta tamen particula hoſtiæ conſecratæ in calice, aut inde extracta, & mox reverenter ſumpta) aquam verò ita effuſam vel ſumat poſt ablutionem, vel poſtea mittat in piſcinam. 3. Quodſi pauxillum aquæ duntaxat in calice remanſiſſet, ſive cum, ſive etiam ſine particula hoſtiæ conſecratæ, huic ſuperinfundat vinum, illúdque ſine formatione crucis aut aliarum cæremoniarum, præmiſſa tamen oblatione ſaltem mentali, (quæ fieri ſolet per illa verba: *Offerimus tibi Domine calicem ſalutaris &c.*) proferat verba conſecrationis ſuper eundem calicem, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo &c.* veluti præſcribunt Rubricæ, omiſſa-

missàque elevatione, ac cæteris omnibus, ebibat id, quod consecravit. Scotus 4. *dist.* 8. *q.* 3. Gavant. *p.* 3. *tit.* 4. *n* 9. Laym. *tr.* 5. *c.* 7. *n.* 3. Gobat. *tr.* 3. *n.* 769. De la Croix *l.* 6. *p.* 2. *n.* 544.

At, nunquid necessum erit, ut etiam consecret novam hostiam?

R. Necessarium existimat S. Thomas: 149
multi tamen insignes DD. & viri timorati (ait Gobat *n.* 771.) sequuntur opinionem Scoti, absolutè negantis, esse repetendam consecrationem alterius hostiæ; quippe per quam non videtur compleri illud prius sacrificium, sed potiùs inchoari novum. Verùm in praxi standum & insistendum est Rubricis, quæ *de defect Miss. tit.* 4 *n.* 5. præscribunt, ut, siquidem sinè scandalo fieri possit, consecretur etiam nova hostia, si verò Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsunt, sufficit consecrare solum vinum modo jam prædicto. Vide etiam de la Croix *cit. n.* 545.

Dices: At quid, si Sempronius noster primum in sacristia indagando, deprehendisset se locô vini aquam consecrâsse?

R. Si supponatur in sacristia constructum 150
altare ceu locus competens consecrationi, adhucdum supplendus foret defectus; quia juxta *communem* DD. apud Tannerum *q.* 10. *n.* 110. quando defectus substantiales corrigi possunt tempore moraliter contiguo, debent necessariò corrigi: at, tempus, quô Sacerdos ab altari

revertitur ad sacristiam, censetur moraliter continuum cum sacrificio, simúlque supponitur in sacristia haberi locus competens: ergo probabiliùs debet hìc defectus suppleri, modò id fieri possit absque scandalo. Equidem haud ignoro, Suarezium, Conink, Tambur. *l. 2. c. 8 §. 5. n. 5.* Gobat *cit. n. 773.* aliósque non paucos negare, quòd talis defectus in sacristia adhuc sit supplendus, eò quòd talis actio videatur omnino distincta à priori; nihilominus censeo, priorem opinionem Rubricis, mentíque Ecclesiæ esse magìs conformem, ideóque & in praxi sequendam, modò supponatur abesse scandalum, & in sacristia dari locum competentem consecrationi.

Dices adhuc. At quid, si Sacerdos jam in ipso altari omnibus pensatis maneat dubius, sitnè materia, quam consecravit, vinum, vel potiùs aqua, tenebiturnè in tali dubio aliud vinum consecrare, vel non?

151 R. Si prudenter dubitet, ita ut omnibus tentatis & pensatis non possit dubium vincere, probabiliùs tenetur consecrare aliud vinum certum, modò hoc fieri queat sine scandalo. Ita cum Aversa, & Pasqual. *q. 301.* de la Croix *l. 6. p. 2. n. 535.* Contra Tambur, Gobat, & alios nonnullos. Ratio est: quia aliàs Sacerdos sese exponeret certo periculo relinquendi sacrificium mutilum & mancum: at, hoc nunquam est faciendum, ubi certa integritas de facili procurari potest: ergo. Et certè major irreverenati

tia videtur irrogari Sacramento ex eo, quòd relinquatur mutilum, aut certo periculo mutilationis expositum, quàm ex eo, quòd eadem species sanguinis bis consecretur.

CASUS TERTIUS.

Caja fœmina Lutherana rem quandam non minùs sibi charam, quàm pretiosam perdidit: & quia audierat S. Antonium Paduanum rerum deperditarum singularem Patronum haberi, & coli à Catholicis; hinc volens fortunæ suæ tentare aleam, postulavit ab aliquo Sacerdote Catholico, ut in honorem ejusdem sancti Antonii celebraret Missam, pro recuperanda re deperdita. Quæritur proin, an Sacerdos tutâ conscientia id facere, & pro Sacro oblatum sibi stipendium à Caja Lutherana acceptare potuerit?

R. Potuit utrumque tutâ conscientia, sal- 152
tem in hisce partibus nostris, ubi Lutherani sunt tolerati. Ita Navarus, Dicastillo, Sanchez, Lugo *disp. 19. n. 187.* de la Croix *l. 6, p. 2. n 34.* Ratio est: quia in Extravag. Concilii Constant. *Ad evitanda.* Martinus V. concessit fidelibus potestatem communicandi etiam in sacris & divinis cum excommunicatis toleratis: atqui Lutherani, esto sint excommunicati, sunt tamen tolerati in hisce partibus nostris septentrionalibus, qua ratione etiam licitè admittuntur ad Missam publicam, ad funeralia, & alia officia divina: ergo non est, cur Sacer-

dos

dos Catholicus deberet recuſare ſtipendium, vel non ſatisfacere tam piæ intentioni fœminæ Lutheranæ.

Dices tamen: illa facultas communicandi cum excommunicatis ab Eccleſia ſolùm permittitur ob bonum fidelium, ſcilicet ad evitanda ſcandala, & alios animarum remorſus, minimè verò in bonum, aut favorem Lutheranorum, aliorúmque excommunicatorum; Atqui talis communicatio per applicationem ſacrificii in ordine ad recuperandam rem deperditam, præcisè fieret in favorem Cajæ Lutheranæ: ergo illicitè.

153 R. Neg. min. Etenim per tale Sacrificium honoratur Deus, colitur Sanctus, fides Catholica magnificatur, Sacerdos fructum ſpecialiſſimum participat, ſimúlque congruum ſtipendium promeretur; ergo hæc communicatio non fit præcisè in favorem, & relevationem perſonæ excommunicatæ. Et licèt ipſis Excommunicatis etiam toleratis prohibitum ſit communicare cum fidelibus, propterèaque nec deberent petere Miſſam, aut communia ſuffragia Eccleſiæ; ſuppoſitô tamen quòd petant, Sacerdos licitè ipſis condeſcendit, & acceptat congruum ſtipendium; quia huic licitum eſt cum ipſis communicare. De la Croix *l. c.* Kazenberger *de Cenſuris c. 3. n. 73.* Kreſslinger *in addit. ad tr. 14. diſt. 5. poſt num. 65. Theol. moral. P. Reiffenſt.*

At

At verò, inquies, veniunt subinde Rustici & alii simpliciores è fidelibus, petentes sacrum fieri pro suis pecoribus, v. g. Vaccis, Equis, Ovibus &c. an ad talem intentionem licitè applicatur & offertur?

R. Ne dubites illud offerre Deo ad hanc 154
intentionem; Etenim licèt Sacrificium sit per se institutum ad colendum Deum, simul tamen est impetratorium (quidem immediatè ex opere operato) plurium bonorum, nedum spiritualium, sed etiam, saltem secundariò, temporalium, veluti expressè definit Concilium Tridentinum *ss. 22. cap. 2.* ubi ait: *Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apostolorum traditionem offertur.* Et ratio ultimata hæc est: quia similia beneficia impetrari possunt per orationem: Atqui Sacrificium est præstantissimum genus orationis, quippe habens suam efficaciam ex meritis Christi, qui simul est principalis offerens, & res oblata: ergo &c. Idipsum confirmatur ex quotidiano usu & praxi Ecclesiæ, quæ pro pluribus fidelium necessitatibus singulares Missas ordinavit, utputa pro impetranda serenitate aëris, vel pro pluvia &c. item pro felici fine, pro infirmo &c. &c.

§. III.

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

155 COlliges ex hactenus dictis primò, quæ sit differentia inter Sacramentum & Sacrificium; nam Sacramentum per se primò ordinatur ad hominem sanctificandum mediante gratia, quam per se loquendo confert immediatè: è contra Sacrificium per se primò ordinatur ad Deum colendum, & ad contestandum ipsius supremum in nos dominium. Quare Sacrificium quà tale non causat gratiam sanctificantem; neque augmentum gratiæ immediatè confert; quia hæc non acquiritur, nisi vel per proprium meritum; vel per dignam susceptionem Sacramenti. Rursus 2. differunt in eo, quòd Sacramenti essentia salvetur perfectè etiam in consecratione unius duntaxat speciei v. g. panis: è contra essentia Sacrificii, saltem completi, non salvatur, nisi in consecratione utriusque speciei, veluti constat ex dictis *n. 139.* Vid. Reiffenst. *cit. n. 44.* vel de la Croix *l. 6. n. 63.*

156 Colliges secundò, in Sacrificio Missæ tria esse distinguenda, scilicet 1. ratio Sacramenti, 2. ratio Sacrificii, & 3. ratio Missæ. Ratio Sacramenti consistit in eo, quòd Evchatistia sit signum sensibile Corporis & Sanguinis Christi realiter contenti sub speciebus consecratis.

cratis. Ratio Sacrificii in eo sita est, quòd Christus in Missa modo incruento immoletur, Patríque suo Cœlesti offeratur. 3. Ratio tandem Missæ complectitur tam confectionem Evchatistiæ, seu consecrationem, tum reliqua omnia, sive antecedentia, sive consequentia; ac proinde consistit in collectione eorum omnium, quæ à principio ipsius, usque ad finem peraguntur, etsi alia (substantialia scilicet) à Christo; alia verò accidentalia (ut puta certæ cæremoniæ, orationes & collectæ &c.) ab Ecclesia sint instituta. Vid. Reiffenstuel. proximè *cit. n. 16.*

Colliges tertiò, reliquas actiones, exceptâ 157
consecratione, non esse essentiales, tametsi plures concurrere debeant ad integritatem Missæ, scilicet 1. oblatio panis & vini, quæ fit sub offertorio. 2. oblatio Corporis Christi post consecrationem, quando Sacerdos dicit: *unde & memores Domine* &c. 3. Fractio specierum, earúmque mixtio in calice. 4. sumptio, & 5. non ratò etiam distributio respectu aliorum Sacro interessentium. Ratio autem facilè colligitur ex dictis *n. 138.* quia scilicet omnes actiones mox enumeratæ non sunt immutativæ hostiæ, sed sola consecratio. Unde Christus D. etsi confecerit Sacrificium in ultima Cœna, non tamen usus fuit omnibus illis actionibus, sicut nec legitur elevâsse Corpus & Sanguinem consecratum, utì nos defacto assuevimus facere in Sacrificio. Fatendum tamen est, Sacerdotem

gra-

graviter peccaturum, qui hujusmodi actiones sine causa gravi omitteret; quia cùm ab Ecclesia sint præscriptæ, tum ad repræsentanda mysteria dominicæ passionis, tum etiam ad Sacrificium debita cum reverentia celebrandum, hinc sine gravi irreverentia omitti non possunt, saltem per se loquendo. Vide Henno *disp. 11. q. 3.* De la Croix *l. 6. p. 2. n. 12. & seqq.*

158 Colliges quartò, hostiam principalem hujus Sacrificii esse Corpus, & Sanguinem Christi, seu ipsum Christum, ùt existentem sub speciebus panis, & vini vi consecrationis. Ita Concilium Trident *ss. 22. can. 2.* ubi definit, Christum per hæc verba: *hoc facite in meam commemorationem* &c. instituisse Apostolos Sacerdotes, & ordinâsse, ut ipsi, aliíque Sacerdotes offerrent *Corpus & Sanguinem suum*; oppositúmque asserentes anathemate ferit. Et ratio est clara: quia defacto idem offerimus in Sacrificio, etsi modô incruento, quod Christus Dominus obtulit pro nobis in cruce: at, in cruce obtulit semetipsum Patri: ergo idemmet dici debet hostia nostri Sacrificii, non quidem secundùm se præcisè spectatus, (sic enim defacto non esset sensibilis hostia) sed ùt positus sub speciebus vi consecrationis.

159 Dixi: *hostia principalis* &c. fatendum quippe est, etiam substantiam panis ac vini, utpote destruendam vi consecrationis, esse hostiam minùs principalem. Ratio est: quia etiam ipsa substantia panis & vini immutantur reali destru-

structione, facta à legitimo ministro, in honorem Dei, & protestationem supremi ejus dominii, etsi non tam eorum destructione intendamus honorare Deum, quàm novæ, & sanctioris hostiæ productione: ergo rectè dici possunt res oblata per modum hostiæ saltem minùs principalis in eodem sacrificio.

Colliges quintò, per se loquendo semper es- 160
se illicitum, & graviter peccaminosum, unam duntaxat speciem consecrare, utputa solum panem, aut solum vinum. Ratio est, quia præceptum divinum est saltem virtualiter negativum, ut scilicet nunquam fiat sacrificium in una specie tantùm, ait Suarez in *3. p. tom. 3. disp. 43. sect. 4.* & Reginaldus *l. 29. n. 15.* Unde nunquam liceret, nequidem ad communicandum moribundum unam solam speciem, panis scilicet, consecrare; etsi subinde possit contingere, ut una tantùm consecretur sine peccato, utputa in casu, quo inchoato jam sacrificio, & consecrata una specie, primùm advertitur defectus, quòd scilicet altera ob defectum materiæ consecrari non valeat, veluti ex hactenus dictis facilè colligetur. Vide etiam Clericatum *de Sacrificio Missæ decis. 32. n. 30. & seqq.*

Colliges sextò, sacrificium offerri posse pro 161
quibusvis fidelibus non excommunicatis, utputa 1. pro infantibus, 2. pro Energumenis, 3. item pro existentibus in peccato mortali &c. Et licèt peccatori non prosit quoad effectum

satisfactorium, potest tamen eidem etiam prodesse, quatenus est propitiatorium, seu quatenus habet virtutem movendi Deum ad deponendam justissimam iram suam, & ad dandam gratiam reconciliationis. Item potest sacrificium peccatori prodesse, quatenus est impetratorium diversorum beneficiorum, & gratiarum actualium, in ordine ad veram pœnitentiam agendam, & ad resipiscendum efficaciter. Ita communiter DD. Babenstuber *tr. 8. p. 4. d. 3. a. 2. n. 6.* Reiffenstuel *ubi supra dist. 5. n. 63.*

162 Colliges leptimò, graviter peccaturum Sacerdotem, qui aliquem fidelium à fructu generali sui sacrificii vellet excludere. Ratio est: quia licèt ex præcepto charitatis non teneamur pro singulis orare, eos tamen à communibus orationibus licitè non possumus excludere vel sine scandalo gravi, si publicè fiat, vel saltem sine odio formali aut virtuali, etsi privatè tantùm fieret. Adde, quòd talis Sacerdos ageret contra institutionem, & intentionem Ecclesiæ, cujus est Minister, & Legatus, uti notat S. Thomas *2. 2. q. 25. a. 8. ad 9.* quem refert, & sequitur Babenstuber mox *cit. n. 4.*

163 Colliges tandem octavò, etiam illum graviter peccaturum, qui offerret sacrificium Missæ pro aliquo damnato. Ratio est; quia talis excederet terminos sui officii, agerétque nedum contra institutionem Christi, sed etiam contra gravem prohibitionem Ecclesiæ. *c. pro obeuntibus*

tibus 13. q. 2. Idémque censent Dicastillo & la Croix cit. n. 37. si offeratur pro infante defuncto sine baptismate, quippe qui nec est, nec amplius esse potest membrum Christi. Rectè tamen Reiffenstuel tr. 14. dist. 5. n. 61. advertit, hoc esse intelligendum de casu, quô moraliter evidens est, aliquem decessisse in peccato mortali, utpura dum quis se ipsum ex desperatione suspendit, præcipitavit ab alto, vel alio modo occidit. arg. c. placuit. 23. q. 5. Nam secus est dicendum, si de hoc sit dubium; quia tunc oportet meliora de proximo sperare.

CONFERENTIA DECIMASEPTIMA,

DE

Valore Sacrificii, ejusdémque fructibus, & applicatione.

SUMMARIUM.

164. Valor Sacrificii quid sit, & quid fructus illius.

165. Fructus Sacrificii tripliciter dividuntur, & quidem 1. ex parte causalitatis in fructum *ex opere operato, & ex opere operantis.*

166. Ex parte rei dividitur in *meritorium*, *satisfactorium*, & *impetratorium*, qui sub se etiam comprehendit *propitiatorium*, & *expiatorium*.

167. Ex parte participantium dividitur *in generalem*, *specialem*, & *specialissimum*.

168. Valor sacrificii est infinitus extensivè, saltem in actu primo, & quoad sufficientiam, etsi in actu secundo modô finito tantùm nobis applicetur.

169. Sacrificium Missæ ex opere operato est propitiatorium, sed mediatè duntaxat; vi cujus

170. Auxilia gratiæ in ordine ad pœnitendum & resurgendum probabiliùs conferuntur infallibiliter.

171. Et insuper ex opere operato satisfactorium, tam pro vivis, quàm pro defunctis.

172. Sacrificium Missæ porrò est ex opere operato impetratorium diversorum bonorum &c.

173. Quænam in hunc finem dispositio sit necessaria ex parte participantium.

174. Ex parte sacrificantis necessaria est intentio applicandi fructum ministerialem illi, pro quo sacrificat.

175. Sufficit tamen intentio habitualis;

176. Immò ad hoc ut fructus generalis Ecclesiæ, & specialissimus sacerdoti, vel etiam specialis assistentibus adveniat, nulla applicatione speciali opus est.

177. Intentio applicandi fructum ministerialem á sacerdo-

cerdote fieri debet ante ſacrificium, vel ſaltem ante conſecrationem.

178. Reſolvitur Caſus I. de quodam Religioſo, qui in Altari S. Antonii Miſſam celebravit *ad intentionem ſui Superioris*, ignorans, quòd interea idem Superior ſuam intentionem mutaverit.

179. Et quid, ſi idem Religioſus celebrando voluiſſet legere *ad intentionem illam, ad quam à ſuo Superiore hic & nunc, durante ſcilicet ſacrificio* poſitus erat?

180. Religioſus ſubditus contra voluntatem ſui Superioris validè applicat ſacrificium, etſi illicitè.

181. Reſolvitur Caſus II. cujusdam ſacerdotis, qui ex ſiniſtra perſuaſione decem ſacra petita *pro defuncto*, applicavit *pro defuncta*.

182. Et quid, ſi talis ſacerdos primò noluiſſet legere ad intentionem poſtulanti, poſtea tamen contra, vel præter intentionem illius ſacra legiſſet

183. Reſolvitur Caſus III. de alio quodam Religioſo, qui ſemel juſſus legere in altari ſancti Joannis Nepomuceni in gratiarum actionem, fructus ſui ſacrificii diviſit &c.

184. Quod quidem non benè factum, ſi Miſſam celebrare debuit titulô juſtitiæ.

185. Rurſus alia vice juſſus legere pro defunctis, intentionem applicandi fecit primùm poſt conſecrationem, & idcirco non ſatisfecit ſuæ obligationi.

186. Satisfeciſſet tamen, ſi ante conſecrationem habuiſſet intentionem ſaltem implicitam legendi pro defunctis.

187. Sacrificium quà tale non eſt immediatè collativum gratiæ ſanctificantis.

188. Caſu quo Sacerdos nullam prorſus facit intentionem applicandi, fructus miniſterialis cadit in theſaurum Eccleſiæ;

189. Hoc tamen defectu applicationis videtur rarò contingere.

190. Applicatio ſub conditione de futuro contingenti eſt nulla.

191. Applicatio verò hâc modô facta, *ut ſacrificium proſit illi, quem Deus videt primò daturum ſtipendium*, etſi valida, meritò tamen reprobatur à DD.

192. Ut fructus tui ſacrificii alicui v. g. Petro obtingat, ſatis eſt, te ſemel habuiſſe intentionem hoc ſacrificium offerendi pro Petro, eandémque nunquam revocâſſe.

193. Unde non eſt neceſſum, ut in tuo ſacrificio de illo cogites, multò minùs ut illum explicitè nomines.

194. An, vel quando expediat, ut Sacerdos celebrans primariæ ſuæ intentioni adjungat aliam quaſi ſub conditione.

§. I.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de fructibus, & applicatione fructuum Sacrificii.

QUæres primò, quid sit valor? & quid fructus sacrificii?

R. 1. Valor sacrificii est moralis dignitas & 164
æstimabilitas, vel potiùs efficacia illa, quam sacrificium habet ex dignitate tum offerentis, tum etiam ipsius rei oblatæ in ordine ad conferenda bona aliqua offerenti, & iis, pro quibus offertur. 2. Fructus autem sacrificii sunt illa ipsa bona, quæ sacrificium oblatum, vel potiùs ipse Deus confert intuitu sacrificii oblati. 3. Ex quibus patet, valorem à fructu sacrificii differre veluti causam à suo effectu. Vide Spo rer *à n.* 222.

Quæres secundò, quotuplex sit fructus sacrificii?

R. Est multiplex: Majoris tamen claritatis 165
gratia haud incongruè dividitur ex triplici capite. 1. *Ex parte causalitatis.* 2. *Ex parte rei*, & 3. *ex parte participantium.* Explico brevissimè. Primò itaque ex parte causalitatis dividitur in fructum *ex opere operato*, & *ex opere operantis.* Fructus ex opere operato est ille, quem sacrificium confert, quatenus est

opus operatum, & institutum à Christo, quémque confert intuitu meritorum, & satisfactionis Christi, in cujus persona offertur. Fructus verò ex opere operantis appellatur ille, quem sacrificium confert intuitu meriti & devotionis repertæ in illo, qui offert sacrificium, scilicet in Sacerdote. Et quoniam non omnes Sacerdotes sunt æqualis meriti & sanctitatis apud Deum; hinc fit, ut sacrificium Missæ ex opere operantis sit tantò majoris valoris apud Deum, quantò dignior & sanctior est persona Sacerdotis offerentis, ut proin non omnia sacrificia sint æqualia quoad valorem & fructum *ex opere operantis*, licèt omnia sint æqualia quantùm ad valorem & fructum *ex opere operato*, veluti post S. Thomam & Bonaventuram alii DD. communissimè tradunt.

166 Secundò. Fructus ex parte rei dividitur in *meritorium, satisfactorium, & impetratorium.* Meritorius est augmentum gratiæ & gloriæ, correspondens merito offerentis. Satisfactorius est remissio pœnæ temporalis, quæ pro peccatis jam remissis est debita. Impetratorius est impetratio beneficiorum tum spiritualium, tum etiam temporalium, quæ intuitu sacrificii secundariò, & in quantùm conducunt ad salutem animarum, conferuntur. Quocirca tamen advertendum, quòd fructus meritorius sit totus ex opere operantis: econtra fructus impetratorius & satisfactorius tam ex opere operato, quàm ex opere operantis esse possunt.

possunt. Insuper advertendum, quòd fructus impetratorius sub se comprehendat *propitiatorium*, & *expiatorium*; quô nomine remissio peccatorum intelligitur, veluti constabit amplius ex proximè dicendis.

Tertiò. Fructus ex parte participantium tur- 167
sus est triplex, scilicet 1. *Generalis*, qui obtingit toti Ecclesiæ. 2. *Specialis*, quem illi participant, qui sacrificio Missæ assistunt, vel ad illud specialiter concurrunt, utputa ministrando, paramenta, luminaria præbendo &c. Item fructum specialem nonnulli appellant illum, qui participatur ab eo, pro quo sacrificium offertur. Scotus tamen, & alii multi hunc fructum vocant *medium* (scilicet inter generalem & specialissimum) ab aliis verò, præsertim Recentioribus appellatur *ministerialis*: eò quòd à solo Sacerdote, & hujus ministerio conferri possit. Denique *specialissimus* meritò dicitur ille, qui soli Sacerdoti est proprius. Ratio autem hujus divisionis inde desumitur; quia hoc sacrificium debet prodesse tum iis, qui offerunt, tum aliis etiam, pro quibus offertur: atqui Sacerdos est (post Christum) offerens principalis: ergo debet pro se participare fructum specialissimum: & quoniam non præcisè suo nomine illud offert, velut persona privata, sed potiùs velut Minister publicus nomine totius Ecclesiæ; hinc etiam toti Ecclesiæ debet correspondere fructus generalis. Denique quia illud regulariter loquendo semper solemus applicare

pro aliquo vel aliquibus in particulari, idcirco etiam his debet obtingere fructus, quem alii medium, alii ministerialem appellant, ut visum est. Videatur Sporer *n. 245.* vel Babenstuber *tr. . .p. 4. d. 4. a. 2.*

Quæres tertiò, sitnè valor sacrificii Missæ finitus, vel verò infinitus?

168 R. 1. Valor in quantùm provenit ex opere operantis, id est, ipsius Sacerdotis, vel Ecclesiæ, vel aliorum assistentium seu etiam cooperantium, est duntaxat finitus & limitatus; quia horum omnium sanctitas & dignitas tantùm est finita & limitata. At verò 2. Valor ex opere operato est infinitus extensivè, saltem in actu primo, & quoad sufficientiam; quia in eo offertur Christus, qui fuit infinitæ dignitatis, repræsentatúrque passio & merita Christi, quæ pro infinitis hominum peccatis delendis erant abundanter sufficientia. Nihilominus 3. idem valor sacrificii in actu secundo, seu quoad actualem applicationem fructuum est duntaxat finitus, & limitatus. Ratio hujus est: quia talis fuit dispositio divinæ sapientiæ, qua Christus, utpote desiderans hoc sacrificium sæpiùs offerri à suis Ministris, voluit, ut sua merita & satisfactiones infinitæ huic sacrificio incruento annexæ, non nisi modo finito & limitato nobis obtingerent, veluti ex mente D. Bonaventuræ & Scoti docet Mastrius *Theol. moralis disp. 19. à n. 55.* S. Thomas, Bellarminus, Reginaldus, Layman & alii, quos refert

fert & sequitur Clericatus *de sacrificio Missæ decis. 33. n. 36.* Et licèt fructus per respectum ad offerentes sive primarios, ùt Sacerdotes, sive secundarios, ùt assistentes, possit dici syncategorematicè infinitus, id est major semper & tantò major, quantò plures fuerint offerentes, quia hic fructus specialis proportionatur offerentium concursui, & per consequens sicut multiplicato concursu offerentium seu assistentium multiplicantur oblationes, ita & fructus ille; nihilominus fructus medius seu ministerialis per respectum ad eos, pro quibus offertur, nec categorematicè nec syncategorematicè est infinitus, sed simpliciter finitus & determinatus, ita, ut tantò magis minuatur in singulis, quantò sunt plures, pro quibus offertur, idque ob voluntatem Christi, de qua nobis per praxin Ecclesiæ satis constat. Scot. *quodl. 20. n. 20.* Durandus, Bellarminus, Bonacin. Suarez, Lugo, Herincx *disp. 8. n. 88.* Henno *disp. 11. q. 7. concl. 1. & 2.*

Quæres quartò, quomodo sacrificium Missæ sit propitiatorium, seu quomodo conferat ad delenda peccata?

R. 1. Est propitiatorium ex opere operato, 169
seu confert ad remissionem peccatorum tum mortalium, tum etiam venialium, sed 2. mediatè tantùm, quatenus scilicet Deus hujus intuitu illis, pro quibus offertur, clementissimè impertitur auxilia gratiæ, mediantibus quibus peccata sua efficaciter retractare, & amis-

missam gratiam recuperare valeant. Ratio prioris desumitur ex communi sensu Patrum, item ex variis liturgiis, nec non ex Concilio Trident. *ss. 22. de sacrific. Miss. c. 2.* ubi ait: *hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Ratio autem posterioris inde colligitur: quia si sacrificium Missæ immediatè deleret mortalia, tunc ad justificationem obtinendam sufficeret attritio cum sacrificio: deinde attritus, pro quo celebraretur Missa, aut ipse etiam Sacerdos per consecrationem solam justificaretur: utrumque autem est contra sanam Theologiam, & contra communem persuasionem: ergo &c.

At nunquid hæc auxilia gratiæ in ordine ad pœnitendum &c. intuitu sacrificii à Deo nobis infallibiliter conferuntur?

170 R. Probabiliùs conferuntur infallibiliter, Ita Herincx *cit. n. 67.* Sporer *n. 241.* contra Suarezium & nonnullos alios. Ratio est: quia Christus huic Sacrificio absolutè tribuit virtutem remissivam peccatorum, veluti satis clarè innuit Tridentinum *loc. cit.* ubi ait: *docet Sacra Synodus, Sacrificium illud verè propitiatorium esse, per ipsúmque fieri, ut --- ad Deum accedamus, & gratiam inveniamus in auxilio oportuno,* &c. Unde quamvis experientia attestante non semper hujus intuitu conferantur gratiæ efficaces, dicendum tamen est, quòd saltem conferantur novæ gratiæ prævenientes, &

suffi-

ſufficienter excitantes &c. Quòd autem eædem gratiæ non ſemper ſentiantur, procul dubio contingit vel ideò, quia dantur tempore Deo placito, propterea que vocantur à Tridentino *l. cit. auxilium oportunum*; vel etiam ideò, quià peccator illis ponit obicem.

Quæres quintò, quomodo Sacrificium Miſſæ ſit ſatisfactorium?

R. Eſt pariter ex opere operato ſatisfacto- 171
rium, tam pro vivis, quàm pro defunctis in purgatorio exiſtentibus, in quantùm virtute ipſius aliqua pœna, peccatis quoad culpam jam deletis correſpondens, remittitur illis, pro quibus hoc ſacrificium applicatur. Id, quod clarè docet Tridentinum *loc. prox. cit.* inquiens: *quare non ſolùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, ritè juxta Apoſtolicam traditionem offertur.* Rurſus §. 25. *in decreto de purgatorio* docet, *animas in purgatorio detentas fidelium ſuffragiis, potiſſimùm verò acceptabili altaris Sacrificio juvari.* Porro hunc effectum infallibiliter conferri, modò is, pro quo Miſſa offertur, ſit capax ejusdem, & indigeat aliqua ſatisfactione, conſtans eſt Doctorum opinio. Vide Reiffenſtuel *Theol. mor. d. 5. n. 45.*

Quæres ſextò, quô modô Sacrificium ſit impetratorium?

R. Eſt impetratorium, in quantùm habet 172
vim impetrandi à Deo diverſa bona tum ſpiritu-

tualia, tum etiam temporalia, quatenus hæc ad spiritualia conducunt. Ita *omnes Catholici*. Ratio desumitur rursus tum ex Tridentino mox relato, tum etiam ex perpetuo sensu & traditione Ecclesiæ, quæ in hunc finem assuevit sacrificium nunquam non offerre. Cæterùm, quòd bona temporalia secundariò tantùm, quatenus scilicet ad spiritualia conducunt, conferat, inde arguitur: quia effectus & tota vis sacrificii nostri incruenti innititur meritis sacrificii cruenti à Christo in cruce pro nobis oblati: atqui Christus in cruce nobis non promeruit bona temporalia, nisi quatenus ad salutem æternam conducunt; nam secundùm se præcisè spectata, non sunt bona, quin potiùs sæpe sæpiùs nostræ saluti (quam Salvator noster unicè intendit) nociva. Inde etiam oritur, quòd (teste experientia) hæc bona temporalia non semper & infallibiliter à DEO conferantur, etsi credibilissimùm sit nunquam offerri hoc sacrificium, quin Deus vel eadem, vel alia saltem bona temporalia nobis magis expedientia ad salutem, misericorditer concedat. Sed

Quæres septimò, qualis dispositio, vel conditiones ex parte nostra sint necessariæ ad hoc, ut præfata bona nobis vi sacrificii conferantur?

173 R. Breviter cum P. Kreslinger *in addit. post num. 47. ad theol. mor. tr. 14. dist. 5. P. Reiffenstuel*, requiri sequentes. Primò, ut celebrans in-

Digitized by Google

intendat applicare, seu etiam impetrare hos effectus. Secundò. Ad participandum effectum propitiatorium non est necessarius status gratiæ ex parte illius, pro quo offertur; quia gratiæ prævenientes & excitantes dari solent etiam gravibus peccatoribus. Similiter tertiò, ob eandem rationem non est necessarius status gratiæ ad obtinendum fructum impetratorium, etsi procul dubio faciliùs exaudiantur à Deo illi, qui in statu amicitiæ conversantur, propterèaque majores gratias impetrare possint intuitu hujus sacrificii. Quartò denique ad obtinendum fructum satisfactorium necessarius est status gratiæ ex parte illius, pro quo offertur sacrificium; quia secundùm dicta virtute hujus solùm remittuntur pœnæ pro peccatis quoad ad culpam jam condonatis debitæ: ergo necessariò præsupponi debet status gratiæ, & condonatio culparum mortalium.

Quæres octavo, qualis intentio, seu applicatio ex parte Sacerdotis necessaria sit ad hoc, ut fructus sacrificii obveniat illi, qui Missam postulavit, aut pro se offerri curavit?

R. Non sufficit præcisè intentio sacrificandi, sed insuper necessaria est intentio applicandi fructum illum medium seu ministerialem illi, pro quo celebrat, etsi 2. hæc intentio non debeat necessariò esse actualis, sed sufficiat etiam habitualis. Ita *communissimè* DD. Sporer, Reiffenstuel, la Croix, Babenstuber *ubi suprà disp. 4. a. 4. n. 2. & 16.* Clericatus *decis. 36.* Ratio

174

175

tio prioris datur hæc: quia Sacerdos vi suæ ordinationis constitutus est Minister, & dispensator mysteriorum, ac donorum Dei, inque eadem ordinatione accepit potestatem offerendi sacrificium, & consequenter applicandi ejus fructum: ergo ut hic alicui obveniat, necessum est, ut Sacerdos velit hunc eidem applicare. Ratio verò posterioris hæc est: quia voluntas, quatenus applicativa fructûs, non est simul causativa ejusdem; proin non est necessum, ut respectu hujus se activè habeat &c. sed sufficit, ut habeat se per modum donantis, ita scilicet, ut revera velit alteri jus quoddam morale advenire respectu hujus fructus: atqui ad validam donationem, & ad transferendum hoc jus sufficit voluntas habitualis, veluti constat ex contractu matrimonii, vel aliis donationibus: ergo etiam ad applicandum hunc fructum.

176 Dictum tamen fuit, *necessariam esse hanc intentionem habitualem applicandi fructum medium seu ministerialem &c.* Ad hoc enim, ut fructus generalis Ecclesiæ proveniat, atque in fideles derivetur, non est necessum, ut Sacerdos pro his specialiter intendat sacrificium suum applicare; nam hôc ipso, quòd sacrificet, operatur ùt publicus minister Ecclesiæ, adeóque ex intentione ejusdem: ergò cùm Ecclesia velit, ut fructus generalis redundet in omnes fideles, dicendum, quòd ad hoc non sit necessaria specialis intentio. Adde, quòd idem

Mis-

Miniſter ex præſcripto Eccleſiæ in Offertorio ſatis ſupérque *hoſtiam immaculatam DEO Patri offerat, tum pro ſe, tum pro circumſtantibus, tum etiam pro omnibus fidelibus Chriſtianis, vivis, atque defunctis*: ergo etiam ad participandum pro ſe fructum ſpecialiſſimum non eſt opus alia intentione vel applicatione ſingulari. Suarez, Coninck, Oberaſcher, Babenſtuber *cit. n. 3. & 4.*

At quo tempore, vel quando facienda eſt intentio illa applicandi fructum miniſterialem?

R. Neceſſariò facienda eſt applicatio vel 177
ante, vel ſaltem in ipſa conſecratione. Ita Laym. *l. 5. tr. 5. c. 2. n. 12.* Suarez *diſp. 57. ſect. 5. §. Dices*, Herincx. *n. 83.* Babenſtuber, Caſtropalao, & *alii communiſsimè*. Ratio eſt: quia fructus Sacrificii jam diſpenſatur tunc, quando Sacerdos in perſona Chriſti ſubſtantialiter conficit & offert Sacrificium: at, hoc facit in actuali conſecratione ſecundùm dicta ſuperiùs *n. 138.* ergo tunc jam diſpenſatur fructus; conſequenter neceſſum eſt, ut Sacerdos ceu Miniſter legitimus tunc habeat intentionem, cuinam potiùs hunc fructum applicatum velit. Scio equidem, Clericatum *deciſ. 36. n. 9.* cum aliis nonnullis exiſtimâſſe, quòd in Miſſis defunctorum ſufficiat, intentionem applicandi fructum fieri poſt conſecrationem, ad *Memento mortuorum*; verùm hæc opinio ob nimiam incertitudinem, immò probabiliſſimam falſitatem, & inde conſequens certum periculum

lum defraudandi fideles Sacrificium postulantes, meritò pro praxi reprobatur à P. Herincx, & aliis DD. communiter; nàm verissimè perficitur essentia intrinseca Sacrificii in sola consecratione, quâ peracta non apparet, cur effectus illius suspendatur usque ad *Memento mortuorum*, vel omnino usque ad sumptionem. *Memento* etiam defunctorum solùm habet vim Orationis cujusdam, quam habent etiam aliæ Orationes à Sacerdote factæ pro se, aliisque fidelibus, tum ante, tum post sumptionem etiam, & tamen certum est, intentionem applicandi, primùm post peractam sumptionem factam, non sufficere ad applicandum fructum ministerialem: ergo &c.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici, de modo applicandi fructus Sacrificii.

CASUS PRIMUS.

Titius Religiosus in tabula missali (quam nos appellamus illam, in qua designatur ordo & intentio Sacrorum à singulis celebrandorum) positus fuit, ut altera die Missam dicat ad intentionem in Altari sancti Antonii: *interea tamen ad instantiam alterius petentis Sacrum, ab eodem Superiore intentio mutata, & Titius positus fuit*, pro defuncto in Alta-

Altari privilegiato, *quale non erat illud ſancti Antonii. Altera die bonus Titius hujus mutationis prorſus ignarus optima fide proceſsit ad Altare ſancti Antonii, ibique celebravit* ad intentionem ſui Superioris? ●

Quæritur jam, quid de tali applicatione cenſendum, aut, cuinam ex petentibus ſatisfactum fuiſſe, præſumendum ſit?

R. Haudquaquam dubitandum videtur, 178
quin fuerit ſatisfactum intentioni illius, qui Sacrum pro ſe in Altari ſancti Antonii legendum poſtulaverat, ideóque non hæc, ſed alia illa Miſſa in Altari privilegiato pro defuncto fuit ſupplenda. Ratio hujus reſponſionis eſt: quia Miſſa (ſaltem per ſe loquendo) prodeſt illi, pro quo à Sacerdote, ceu Miniſtro legitimo offertur: at, Titius voluit ſuum Sacrificium offerre pro eo, qui Sacrum poſtulaverat in Altari ſancti Antonii: in hunc enim finem heri à Superiore ſuo ſe poſitum vidit, & etiamnum dum celebravit, poſitum ſe exiſtimavit: in hunc finem Altare ſancti Antonii acceſſit celebraturus: nec dubitandum, quin interrogatus, cur hoc Altare accedat, mox reſpondiſſet: ideo, quia vidi me poſitum, ut in hoc Altari legam, & legendo ſatisfaciam piæ intentioni illius, qui in hoc Altari Sacrum pro ſe fieri poſtulavit: ergo huic ſatisfactum fuiſſe, omnino præſumere licet. Neque obſtat, quòd Superior interea intentionem mutâſſe ſupponatur; non enim eſt veroſimile, quòd voluerit ita mu-

tare, & revocare intentionem heſternam, ut ſi Titius hodie etiam bona fide in Altari ſancti Antonii ad intentionem heri deſignatam celebraret, hanc applicationem voluerit eſſe nullam; quin potiùs præſumendum, quòd voluerit (ſaltem habitualiter) eam prodeſſe illi, cui heſterna die illud deſtinaverat, ſicut & Titius hanc voluntatem habitualiter ſaltem habuit: atqui voluntas habitualis ſufficit ad validam applicationem: ergo &c.

Dices: Quidſi autem Titius in præfato Altari ſancti Antonii celebrando intendiſſet ſuum Sacrificium offerre *ad eam intentionem, ad quam defacto, durante ſcilicet Sacrificio poſitus erat à Superiore?*

179 R. Ex hac ſuppoſitione fructus procul dubio obveniſſet defuncto. Ratio eſt clara: quia ſupponitur voluiſſe celebrare ad eam intentionem, *ad quam hic & nunc erat poſitus*: atqui erat poſitus *pro defuncto*: ergo huic profuiſſet Sacrificium. Nec obſtat, quòd Superior voluerit hanc Miſſam legi in Altari privilegiato; nam hæc intentio Superioris erat ſaltem virtualiter duplex, ſcilicet 1. ut Titius legeret *pro defuncto*. 2. ut legeret *in Altari privilegiato*: ergo licèt Titius in Altari S. Antonii, utpote non privilegiato, non ſatisfecerit huic poſterioti intentioni Superioris, ſatisfecit tamen priori. Cæterùm an in hoc caſu intentioni illius, qui Miſſam poſtulavit in Altari privilegiato, jam ſit ſatisfactum, vel quidnam inſuper agendum,

dum, commodiùs dicemus Conferentia proximè ſubſecutura *n. 210.*

Dices adhuc. At quid, ſi ſubditus Religioſus ſcienter, & ex propoſito Sacrificium ſuum applicet contra voluntatem ſui Superioris ad alium finem v. g. pro felici partu &c. cujusnam intentio in hoc caſu prævalebit, an Superioris, an verò Titii ſubditi?

R. Prævalebit intentio ſubditi celebrantis. 180. Ita contra paucos alios hodie *communiſſimè* tenent DD. Babenſtuber, la Croix, Gobat, Layman *ubi ſuprà tr. 5. c. 2. n. 11.* Herincx *cit. n. 80.* Reiffenſtuel *diſt. 5. n. 72.* Clericatus *deciſ. 36. n. 23.* Maſtrius *Theol. moral. diſp. 19. n. 71.* Ratio eſt: quia applicatio Miſſæ eſt actus poteſtatis Ordinis: atqui hæc non dependet ex poteſtate Superioris Regularis: ergo. Eſto proin talis ſubditus peccet, agendo contra obedientiam ſuo Prælato debitam, ejus tamen applicatio irritari nequit per Superiorem, quemadmodum is nec poteſt irritare intentionem conſecrandi, vel alia Sactamenta, è poteſtate Ordinis præcisè dependentia, conficiendi.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius ſcripto petiit à quodam Sacerdote pro Ordinario ſtipendio decem Sacra, legenda pro defuncto, *cui, ut Sacerdos ſatisfaceret, optima fide legit decem Sacra, ſed* pro defuncta, *& quidem*

dem de Requiem, cum Ordinaria illa collecta: quæſumus Domine, pro tua pietate miſerere animæ famulæ tuæ &c. *quibus perſolutis ſcripſit Sempronius, ſe jam legiſſe decem Sacra* pro defuncta, *propterea que exſpectare promiſſum ſtipendium; cui illico reſpondit Sempronius, ſe nunquam poſtulâſſe Sacra* pro defuncta, *ſed* pro defuncto *legenda, ideóque nunquam redditurum ſtipendium, niſi alia decem legeret* pro defuncto. *Stupefactus deſuper Sacerdos inſpicit denuo litteras à Sempronio nuper obtentas, móxque reperit, Sacra illa revera poſtulata juſſe* pro defuncto. *Dubitat proinde ipſemet, an pro jam perſolutis juſtè poſsit prætendere ſtipendium, an verò teneatur alia decem legere? Quid reſpondendum?*

181 R. Poteſt Sacerdos juſtè prætendere ſtipendium pro decem Sacris jam perſolutis, & Sempronius tenetur hoc ſolvere in conſcientia. Ratio eſt: quia Sacerdos legendo illa decem Sacra voluit ſatisfacere intentioni petentis: atqui ad validam applicationem ſufficit voluntas ſatisfaciendi intentioni petentis; ob hanc enim rationem DD. communiſſimè tenent, Religioſum ſubditum ſatisfacere applicando ſuum Sacrificium ad intentionem petentis, vel (quod idem eſt) applicandô ad intentionem ſui Superioris, etſi ignoret, quænam ſit illa intentio: immò verò etſi ſiniſtrè ſibi perſuaſerit, Superiorem habuiſſe hanc intentionem v. g. *pro defuncto*, quàm revera non habuit: ergo minimè dubitandum, quin hæc Sacra

re ipſa obvenerint defuncto; quod quidem à pari facilè ſuaderi poſſe videtur: nam ſi Sponſus habeat hanc mentem: *Contraho cum hac perſona, quam puto eſſe Titiam, vel divitem, vel nobilem &c.* etſi revera talis non ſit, nihilominus matrimonium valet; quia intervenit conſenſus in ſubſtantiam perſonæ, & error ſolùm verſatur circa qualitatem non redundantem in ſubſtantiam: ergo ſimiliter quando Sacerdos facit hanc intentionem: *Applico hoc meum Sacrificium pro anima defunctæ* (præſertim ſi addat: *juxta intentionem petentis*) error iſte merè accidentalis cenſeri debet; nam mens Sacerdotis regulariter loquendo fertur in animam, *quatenus ſupponitur indiga ſuffragiorum*, non autem, quatenus *anima eſt defunctæ*, ſeu perſonæ alterius ſexûs: ergo applicatio & fructus Sacrificii indubitanter ceſſit ad ſalutem animæ illius defuncti, pro quo Sempronius poſtulavit decem Sacra fieri.

Dices adhuc: At quid, ſi ego Sempronio ad primas ſuas litteras illicò reſcripſiſſem, me non velle, aut non poſſe legere illa decem Sacra, poſtea tamen mutando mentem meam, ignorante etiam Sempronio, legiſſem illa decem Sacra pro *defuncto*, an mea hæc Sacra profuiſſent illi animæ? aut poſſemnè propterea prætendere ſtipendium?

R. Ne dubites, quin hæc tua Sacra profuiſ- 182
ſent defuncto: quia Sacrificium prodeſt illi (ſaltem per ſe loquendo) cui applicatur; at,

tu dicis, aut supponis te applicare pro defuncto: ergo &c. Unde nihil refert, quòd Sempronius, utpote ignarus tuæ mentis eadem Sacra non applicârit; non enim illius, sed tuum est, applicare fructum tui Sacrificii. Certum nihilominus est, Sempronium nihil tibi debere ex contractu, quippe quem recusâsti, & illo inscio tu solus renovare non valuisti: nisi ex pòst facto factum tuum ratificâsset, tanquam rem sibi utiliter gestam. Ita Pelizarius *Man. Regular. tr. 5. c. 9. sect. 3. n. 59.* eúmque secutus Sporer *Theolog. Sacram. p. 2. c. 4. n. 286.*

CASUS TERTIUS.

CAjus Religiosus à suo Superiore jussus fuit legere Sacrum in Altari S. Joannis Nepomuceni in gratiarum actionem; *quod & fecit, ita tamen, ut fructum impetratorium sibi, satisfactorium verò suis parentibus defunctis voluerit applicatum. Rursus alia vice jussus legere Sacrum* pro defunctis, *intentionem applicandi fructum primùm fecit post elevationem, ad Memento scilicet mortuorum. Jam quæritur, an benè?*

183 R. Ad primum. Si Missa illa ad intentionem Superioris fuit legenda titulô justitiæ, utpote conducta stipendiô, Cajus non bene fecit separando fructus. Ratio est: quia offerentes stipendium sine dubio omnem fructum impetratorium, & satisfactorium ex opere operato,

rato, vel saltem ordinarium ex opere operantis provenientem, sibi, aut illis, pro quibus conducunt, volunt applicari, etsi de hoc nullam faciant mentionem, dum stipendium expendunt: profectò interrogati de hoc, an scilicet desiderent? Illicò responderent quòd sic, oppositúmque fieri, ægerrimè ferrent: Atqui nedum fructus satisfactorius, sed etiam impetratorius applicari potest & vivis, & defunctis, utì benè explicant Gobat, Sporer, & alii DD. ergo in Missis titulô justitiæ debitis, seu stipendio conductis totus fructus, quantùm potest, applicati debet postulanti.

Dixi tamen: *Si Missa fuit legenda titulô justitiæ.* 184
Secus enim resolvendum esset, ubi Missa fuisset solùm debita titulô Religionis, aut meræ fidelitatis, seu gratuitæ promissionis &c. Unde, si votô te obligâsti, quod velis litare Deo in honorem v. g. Sanctæ Apolloniæ, cujus patrociniô à dentium dolore liberatum te sentis, nihil prorsus obstat, quò minùs idem tuum Sacrificium offerre valeas v. g. pro defunctis tuis Parentibus quoad fructum satisfactorium &c. Item quando duobus seorsim Sacrum liberaliter promisisti, poteris utrique satisfacere unô Sacro, saltem si finis, ob quem promisisti uni, differat à fine, propter quem alteri; ùt si v. g. uni ad obtinendum aliquod beneficium, alteri verò promisisti in gratiarum actionem pro jam obtento, aut pro salute uxoris defunctæ &c. poteris enim in hoc casu se-

parare fructum impetratorium, Eucharisticum, & ſatisfactorium. Ratio eſt: quia liberalis promiſſio eſt ita interpretanda, ut ſit promittenti quàm minimè oneroſa. *l. quidquid adſtringendæ. ff. de Verb. oblig.* Quocirca tamen caveas velim, ne alicui alteri habenti plura Sacrificia oneroſa, titulô ſcilicet fundationis vel juſtitiæ legenda, ut liberaliter promittas tot vel tot in te ſuſcipere, & poſtea ea legendo fructus modo jam præfato dividas: quia hoc modo fraudaretur is, cui Sacra illa debentur. Immò verò, hôc ipſo, quòd liberaliter hujuscemodi Sacrificia in te ſuſceperis, onus juſtitiæ in te tranſtuliſſe convinceris, cui proin non ſatisfaceres dividendo fructus, veluti jam conſtare poteſt ex dictis. Videatur de hoc Tamburinus *l. 3. c. 1. §. 3. n. 47.* Menochius *de præſumpt. l. 6. præſumpt. 9.* Gobat *tr. 3. n. 154. & ſeqq.*

185 R. Jam ad ſecundum. Cajus neque in ſecundo caſu ſatisfecit ſuæ obligationi, ſi ante actualem conſecrationem ſupponatur nullam prorſus, ne quidem implicitam intentionem applicandi habuiſſe, ſimúlque Sacrificium titulô juſtitiæ offerendum fuit: unde in tali ſuppoſitione Casûs teneretur ſupplere, & aliud Sacrificium applicare pro defunctis. Ratio eſt: quia obligationi certæ non ſatisfit per ſolutionem dubiam: neque probabile eſt, quòd incerta applicatio Miſſæ extinguat obligationem certam: atqui applicatio primùm facta poſt con-

consecrationem est nimis incerta, & probabilissimè omnino nulla, secundùm dicta superiùs *n. 177.* simúlque obligatio applicandi ex parte Caji supponitur fuisse certa, utpote contracta titulô justitiæ: ergo per hanc suam solutionem dubiam, & satìs incertam applicationem fructûs non liberatur ab onere aliud Sacrificium offerendi. Videatur Pasqualigo *q. 184.* la Croix *l. 6. p. 2. n. 218.*

Dixi rursus: *Si Cajus ante actualem consecra-* 186
tionem supponatur nullam prorsus intentionem habuisse &c. Etenim si accessit ad Altare cum intentione celebrandi, suæque obedientiæ, vel voluntati sui Superioris satisfaciendi (& quot erunt Religiosi, qui hoc non intendunt, saltem in actu exercito, dum se ad Altare accingunt?) eô ipsô habuisset intentionem implicitam applicandi suum Sacrificium pro defunctis, ùt facilè patebit consideranti: atqui ad validam applicationem sufficit hæc intentio implicita, utì rectè docent Gavant. Diana, Gobat *n. 162.* la Croix *n. 205.* aliíque *communiter.* Quin immò Layman ubi suprà *cap. 2. n. 13.* la Croix *n. 206.* & alii plures existimant, sufficere intentionem interpretativam, id est, talem, ad quam velles sacrificare, si de intentione facienda cogitares. Atque ob hanc causam firmiter mihi persuasum teneo, admodum ratò vel omnino nunquam contingere, ut Religiosus subditus defectu sufficientis intentionis non satisfaciat suæ obligationi.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

187 COlliges ex dictis primò, Sacrificium Missæ quà tale, non conferre immediatè augmentum gratiæ ex opere operato; quia de tali collatione vel efficacia immediatè conferendi gratiam nihil nobis constat, neque ex revelatione, neque etiam ex traditione, vel aliunde: immò potiùs de oppositò: nemo enim recipit augmentum gratiæ habitualis absque proprio merito, vel susceptione Sacramenti. Et certè ex hoc sequeretur, quòd dives justus etiam dormiens, aut de sua salute nihil cogitans, eò magis justificaretur, quò plura pro se offerri curaret, vel etiam ipso omnino ignorante ab alio offerrentur Sacrificia; quod tamen à communi doctrina Theologorum omnino alienum est: etsi negare non possimus, quin Sacrificium Missæ mediatè conferat ad gratiæ augmentum, in quantùm Deus hujus intuitu illi, pro quo offertur, confert gratias actuales, quibus ad majus meritum excitetur. Immò verò Sacerdos celebrans, & ritè dispositus, immediatè acquirit augmentum gratiæ, quatenus hostiam immolatam ceu verum Sacramentum suscipit. Herincx *disp. 8. n. 68.*

188 Colliges secundò. Casu quo Sacerdos nullam prorsus haberet intentionem, applicandi fru-

fructum Sacrificii vel pro se, vel pro alio, fructum medium seu ministerialem ita remansurum in thesauro Ecclesiæ, ut ne quidem ipsi Sacerdoti sacrificanti obveniret. Ita *communiter DD.* Ratio hujus est: quia Christus ita tradidit Sacerdoti potestatem offerendi Sacrificium, ut ejus fructum nemo consequatur, nisi dependenter à voluntate ipsius: atqui in posito casu deesset voluntas Sacerdotis in ordine ad applicandum fructum ministerialem: ergo hic totus cedet in Thesaurum Ecclesiæ.

189 Dictum fuit rursus: *Casu quo nullam prorsus haberet intentionem &c.* quia, ut advertunt Lugo *disp. 19. Sect. 10.* & Babenstuber *d. 4. a. 4. n. 12.* Sacerdos semper videtur habere intentionem generalem, ut prosit, quantùm potest, Sacrificium sibi, & aliis omnibus: hanc quippe intentionem satis explicant illa verba: *Offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis &c. & pro omnibus fidelibus Christianis, vivis, atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad salutem &c.* Ex quo colligitur, Sacerdotem velle, ut, dum Sacrificii fructum specialiter non applicat, is accrescat omnibus, pro quibus offert: itaque credibile est (inquit Babenstuber *l. c.*) fructum Sacrificii semper obtingere vel ipsimet Sacerdoti, vel aliis; adeóque non remanere in Thesauro Ecclesiæ.

190 Colliges tertiò, non posse validè applicari fructum Sacrificii sub conditione contingenti de futuro, vi cujus ad libitum Sacerdotis fructus

ctus ille quodammodo ſuſpendatur in futurum. Ita *communiſsimè DD.* Gavant, Tamburinus, Laym. *l. 5. tr. 5. c. 2. n. 14.* Sporer *cit. n. 281.* Babenſtuber *n. 13.* Ratio eſt hæc: quia Sacerdos habet poteſtatem applicandi fructum Sacrificii tunc ſolùm, quando ſacrificat, dum ſcilicet agit ùt Miniſter Chriſti, in cujus perſona fructum applicat: at, ſi ſub conditione de futuro contingenti applicet, revera non applicatum vult pro tunc, quando ſacrificat: & certè ex hoc ſequeretur, poſſe Sacerdotem ſibi, vel alteri in peccato mortali exiſtenti applicare fructum ſub conditione de futuro, *ſi à peccato fuerit juſtificatus &c.* quod tamen falſum eſt: dicendum proin, quòd, quemadmodum in poteſtate ipſius non eſt, ſuſpendere effectum Sacramenti in futurum, ita nec ſuſpendere effectum Sacrificii. Ex quo rectè infert Herincx noſter ubi ſuprà *diſp. 8. n. 84.* reprobandam eſſe praxin illorum, qui, cùm non habeant ſtipendium pro Sacro faciendo, celebrant ſine applicatione, applicaturi ei, qui datô ſtipendio primò Sacrum ad ſuam intentionem fieri poſtulabit.

191 Colliges quartò, etiam illorum praxin eſſe reprobandam, qui dum non habent Miſſas pro ſtipendio legendas, quaſi per modum anticipatæ ſolutionis applicant ſuum Sacrificium in hunc modum: *Volo ut fructus Sacrificii mei illi obveniat, quem DEUS ſcit, proximè à me poſtulaturum, aut mihi daturum ſtipendium, vel ex*

has

hac vita discessurum &c. &c. Tametsi enim talis applicatio probabiliter valeat, quippe absolutè & independenter à conditione de futuro facta (Deus enim jam actu & de præsenti infallibiliter scit, quisnam proximè sit daturus stipendium &c.) nihilominus in tali applicatione semper occurrit periculum, ne intentioni postea petentis Missam & stipendium præbentis nunquam satisfiat; vel quia pro hìc & nunc non habet debitum pœnæ solvendæ; vel quia est incapax fructûs satisfactorii, utpote constitutus in statu disgratiæ; vel quia adhuc vivit ille, pro quo postea defuncto petetur Sacrum. Idcirco hæc praxis tanquam periculosa, scandalosa, & contraria vetustissimo Ecclesiæ mori jure merito reprobata fuit à S. Collegio Cardinalium Anno 1605. ùt refert Barbosa *in remissione Concilii Trident. ff. 22. in principio.* Castropalao, Herincx *l. cit.* Sporer, Babenstuber *disp. 4. art. 4. n. 14.* Reiffenstuel *n. 76.*

Colliges tamen quintò, ad hoc, ut fructus tui Sacrificii alicui obtingat, satìs esse, te aliquando habuisse intentionem, hoc tuum Sacrificium pro eo applicandi, & hanc intentionem nunquam revocâsse. Unde, si v. g. Petro promisisti, te crastinâ pro illo celebraturum, vel etiam per integram septimanam aut mensem pro illo sacrificaturum, etsi dum actu sacrificas, nihil ampliùs de eo cogites, nihilominus fructus tui Sacrificii Petro obtinget. Ratio 192

tio petenda est ex dictis *n. 175.* quia ad validam applicationem sufficit te habere intentionem habitualem : atqui talem censeris habere eo ipsô , quòd semel pro illo volueris offerre hoc tuum Sacrificium , & hânc tuam intentionem nunquam revocaveris: ergo. Ex quo patet, quàm benè faciant illi , qui se Sacerdoti in sua SS. Missæ Sacrificia recommendant, quámque bene & salubriter faciat ipse Sacerdos, qui sacrificando intendit applicare (semper tamen, quantùm potest sine præjudicio illius, cui debetur fructus ministerialis) pro omnibus illis, qui se unquam suis recommendârunt precibus, & SS. Missæ Sacrificiis : neque enim intentio hæc tam sancta, támque charitativa, sua carebit mercede, quin potiùs à Deo Evchariſtico innumeris gratiis ac beneficiis centuplùm recompensabitur. Vide Babenstuber *cit. n. 18.*

193 Colliges sextò, ad validam applicationem Sacrificii non esse necessarium , ut persona, **pro qua illud offertur , nominatim exprimatur** v. g. dicendo : *Offero tibi Domine hoc Sacrificium pro Petro &c.* Sed satìs est, eam implicitè, vel generali quodam termino tangi , v. g. hoc modô, quem Doctor subtilis *Quodl. 20. n. 19. suggerit : Digneris Domine oblationem istam specialiter acceptare pro illis* (vel pro illo) *pro quibus nôsti me teneri specialiter offerre.* Ex quo similiter patet , Superiores Regulares, aliósque Prælatos Ecclesiasticos, habentes plura Sacra , diver-

diverſis titulis, etiam oneroſis dicenda, ſatisfacere ſuæ obligationi, formando hanc, vel ſimilem intentionem: *Digneris Domine Miſſas ad intentionem meam legendas acceptare, pro illis, quibus debentur, & eo ordine & modo, quô ipſis debentur.* Patet inſuper, ſubditum Religioſum ſatisfacere ſuæ obligationi faciendo hanc intentionem: *Volo celebrare ad intentionem mei Superioris;* vel: *Volo celebrare ad intentionem petentis &c.* Patet ulterius, Dominos Parochos, aliósque Beneficiatios, qui per annum tenentur ſingulis menſibus, ſeptimanis, aut certis diebus celebrare certas Miſſas v. g. pro defunctis Fundatoribus &c. ſatisfacere, ſi celebrando intendant applicare Miſſam *pro ea anima, vel pro illis animabus, quibus ea die debetur.* Tambur. *lib. 2. c. 2. §. 9. n. 17.* apud Sporer *n. 279.* Herincx *cit. n. 86.*

Colliges tandem ſeptimò, expedire vel 194
maximè, ut Sacerdos c[illegible]brans primariæ ſuæ intentioni adjungat aliam quaſi ſub conditione dicendô v. g. *Offero hoc ſacrificium pro Petro: ſi verò is non ſit capax, vel non indigeat, volo illud oblatum pro Paulo, aut ſi is non indigeat, pro meis Parentibus &c. pro Fratribus &c.* idque omnino prudenter facimus in Miſſis, quas liberè, non obligati aut conducti titulô juſtitiæ &c. Deo litamus. In Miſſis tamen obligatoriis ſecunda intentio conditionata non debet fieri pro noſtro arbitrio, ſed hoc, vel ſimili modo: *Domine DEUS! offero hoc ſacrificium debi-*

tum pro NN ſi huic non poſſit prodeſſe, offero pro illis, quibus nôſti ipſum deberi. Et ratio eſt: quia omnium fundantium, aut ſtipendio ſoluto conducentium Miſſas videtur hæc eſſe intentio, *ut, ſi ipſis non proſit, proſit aliis ſibi conjunctis &c.* Nihil tamen obſtat, quò minùs ſacerdos in quibusvis ſuis ſacrificiis poſſit facere hanc intentionem: *Domine, quantùm poſſum ſine præjudicio illius, aut illorum, pro quibus ſacrificare teneor, offero tibi hoc meum ſacrificium pro me, deinde pro meis Parentibus, amicis &c. &c.* Vide Marchant. *Tribun. tr. 2. p. 2. tit. 4. q. 2. dub. 2.* Sporer *n. 284.*

CONFERENTIA DECIMAOCTAVA.

DE

Obligatione celebrandi Miſſas, & de Miſſarum ſtipendio.

SUMMARIUM.

195. Simplex Sacerdos aliquoties ſaltem per annum tenetur celebrare vi ſui Ordinis.

196

Digitized by Google

196. Beneficiatus toties, quoties fundator præscripsit.

197. Parochus autem vel per se ipsum, vel saltem per alium tenetur celebrare toties, quoties Parochiani sibi subjecti ex præcepto Ecclesiæ obligantur audire sacrum.

198. An verò idem sacrificium teneatur pro iisdem suis subditis offerre? disputant DD. & multi negant. At verò

199. Certum jam videtur, quòd diebus Dominicis & Festivis teneatur illud applicare pro suis Parochianis.

200. Sacerdos intuitu sui sacrificii licitè accipit stipendium: & quo titulo?

201. Quantitas stipendii universaliter determinari nequit.

202. Probabilius tamen videtur, pro Missa ordinaria, seu (ut vocant) non stata prætendi non posse victum integri diei.

203. Non licet sacerdoti Missam alteri legendam committere, retenta sibi parte stipendii manualis.

204. Secus dicendum, si ille alter omnino liberè & sponte consentiat.

205. Resolvitur Casus I. cujusdam D. Parochi, dubitantis an sibi liceret Missas ex fundatione debitas alteri sacerdoti concredere, legendas pro minori stipendio, quàm ex fundatione percipit.

206. Parochus Missam annuatim legendam ex fundatione licitè legit, esto hæc incidat in diem Festivum aut Dominicum,

207. Paupertas ſola non præbet ſacerdoti jus detrahendi aliquid de ſtipendio manuali pro ſacrificio accepti.

208. Et quid, quantùm ad hoc, noſtratibus cenſeatur licitum.

209. Reſolvitur Caſus II. de Sacerdote, qui ſacrum *pro defuncto*, & alterum, *pro defunctis*, *in Altari privilegiato petitum*, legit in Altari non privilegiato, ne illa nimium differre cogeretur.

210. An propterea teneatur pro defuncto aliud ſacrificium offerre in Altari privilegiato?

211. Reſolvitur Caſus III. de quodam Beneficiato, qui quidem obligationis ſuæ de quotidiano ſacro dicendo haud ignarus, ob amiſſas tamen litteras fundationis dubitârit, an teneretur illud quotidie applicare ad intentionem fundatoris?

212 Is, ſi omnibus penſatis dubitet, ſimúlque pingues redditus accipiat vi ſui beneficii, tenetur illud applicare, ad intentionem fundatoris.

213. An etiam teneatur ſupplere ſacra hactenus intermiſſa.

214 Beneficiatus ob infirmitatem impeditus à quotidiano ſacro, an teneatur illud ſupplere per alium.

215. Et quid, ſi aliquoties per annum ſponte negligat celebrare.

216 Quid denique, ſi non celebret in illo Altari, vel in illa Eccleſia in qua debuiſſet celebrare.

217 Qui ſacrum titulô juſtitiæ debitum celebrare negligit, per ſe loquendo peccat mortaliter.

218. Non item ille, qui negligit ſacrum, titulô ſolius fidelitatis debitum.

219. Et

219. Et ille, qui sacra nimiùm differt, potest graviter peccare.

220. Quanta dilatio reputetur nimia.

221. Pro eodem sacrificio non licet recipere plura stipendia.

222. Nec satisfacit, qui propterea uni fructum ministerialem, & alteri fructum specialissimum vult applicare.

223. Neque in hoc excusat paupertas sacerdotis: & quò hujuscemodi pauperculis recurrendum, quando pro sacrificiis non recipiunt congruum stipendium.

224. Multò minùs Edituis, aliisvè sæcularibus permissum est, partem stipendii pinguioris sibi retinere & alteram dare sacerdoti pro sacrificio celebrando.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de obligatione Sacrum celebrandi.

QUæres primò, an vel quoties Sacerdos etiam simplex teneatur per annum celebrare?

R. Probabiliùs tenetur per se loquendo sal- 195
tem aliquoties celebrare, utputa ter, aut quater in anno, in principalioribus scilicet festivitatibus v. g. Paschæ, Pentecostes &c. Ita

Reiffenstuel. *tr. 14. d. 15. n 82.* Gobat *Theol. exper. tr. 3. n 482.* Scotus, & alii. Ratio hujus desumitur partim ex Concil Trid. *ss. 23. c. 4. de reform.* ubi ait: *Curet Episcopus, ut sacerdotes saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, si autem curam habeant animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent;* partim etiam ex eo, quòd ita sentiant, si non omnes, saltem plerique DD. immò & plebei, qui (ut ait Gobat *l. cit.*) malè sentire solent de Sacerdotibus hoc tam pretiosum talentum defodientibus. Qua ratione Innocentius III. *cap. dolentes de Celebr. Missar.* graviter reprehendit eos, qui Missarum solennia vix quater in anno celebrant. Certè Doctores satìs communiter Sacerdotem per integrum annum nunquam celebrantem, peccati mortalis condemnant, saltem per se loquendo, nisi ob justam causam, qualis esse posset major sui ipsius humiliatio, vel infirmitas, vel etiam nimia in celebrando perplexitas, seu etiam scrupulositas &c. à celebrando abstineret. Vid. Gobat *l. cit. à n. 484.*

Quæres secundò, an, vel quoties teneantur celebrare, qui possident Capellaniam, vel beneficium fundatum?

196 R. Capellanus seu Beneficiarius ex justitia sub mortali culpa tenetur ad illum Missarum numerum, quem exprimunt litteræ fundationis beneficii, ad cujus onera illud acceptando sese obligavit. Ita Layman, *l. 5. tr. 5. c. 3. n. 6.*

Go-

Gobat *n. 488.* Reiffenstuel *cit. n. 87.* & alii *communissimè.* Ratio est clara : quia hæc obligatio de se est gravis, & in æquitate naturali fundata, cui contraveniendo injustè reciperet stipendia Missarum : ergo &c.

Quæres tertiò, an, vel quoties Sacerdos curatus teneatur ad celebrandum?

R. Tenetur toties (sive per se, sive per a- 197
lium) quoties plebs sibi subjecta ex præcepto Ecclesiæ obligatur ad audiendum Sacrum. Ita *omnes.* Ratio desumitur ex verbis Trident. Concil. mox relatis : quia curatus tam frequenter debet celebrare, ut suo muneri satisfaciat : at, si non celebret illis diebus, quibus plebs sibi subjecta Sacrum audire obligatur, non satisfacit suo muneri ; quia tunc plebs non posset audire Sacrum (ùt supponimus) nec satisfacere præcepto Ecclesiæ: ergo tenetur ad celebrandum, sin minùs per se, saltem per alium.

Dices. At nunquid etiam hisce saltem diebus tenebitur suum sacrificium applicare pro suis Parochianis?

R. Multi DD. hoc negant, nominatim 198
Laym. *l. 5. tr. 5. c. 3. n. 3.* Herincx *disp 8. n. 95.* Engel *in Manual. Paroch. part. 2. c 7. n. 8.* Babenstuber *tr. 8. p. 4. d. 5. a. 1. num. 11.* Suarez, Lugo, Sannig, & alii ; hac ratione ducti, quòd pro tali & tanta obligatione non possit afferri solidum fundamentum, sive ex ratione, sive etiam ex auctoritate : sine solido autem fundamento nemini imponi debet

obligatio, præsertim tam gravis: ergo &c. Hanc opinionem censet probabilem Gobat *tr. 3. n. 492.* La Croix verò *lib. 3. part. 1. n. 762.* ùt probabiliorem; quibus ego lubens subscriberem, nisi me absterrerent tot authenticæ declarationes Cardinalium, etiam auctoritate Pontificia confirmatæ pro opinione contraria.

199 Unde R. jam ad quæsitum: defacto DD. Parochi tenentur diebus saltem Festivis & Dominicis sacrificium suum applicare pro suis Parochianis. Ita jam tenet communior Theologorum ac Juriſt. Barbosa *de Officio Parochi part. 1. c. 11. n. 10.* Reiffenstuel *lib. 3. decret. tit. 41. num. 22.* Item *lib. 5. tit. 3. num. 209. & seqq.* Schmalzgrueber *lib. 3. tit. 41. n. 106.* Fagnanus *in cap. Fraternitatem à n. 93.* Clericat. *de Sacrific. Missæ decis. 35. n. 40.* Illsung *tr. 6. d. 5. n. 168.* Henno *disp 11. q. 10. Concl. 1.* Kazenberger *Supplem. decalog. P. Sporer c. 2. Sect. 1. n. 61.* Kreslinger *addit. post num. 86. Theol. Moral. P. Reiffenstuel tr. 14 dist. 5.* & novissimè D. Nicollis *in praxi Canonica Tom. 1. lit. C. §. 1. de Celebrat. Miss. n. 132.* Ratio autem, & fundamentum, meo judicio, sufficiens hujus, quantumvis rigidæ opinionis, desumitur (ùt dixi) ex declaratione Cardinalium sæpiùs emanata, & repetita ad præsens dubium, *utrum scilicet Parochus Missam celebrare teneatur, & sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis & Festivis, sive habeat congruam, sive non?* Ad quod sub *die 10. Maji 1692.* sacra Congregatio juxta

alias

alias declarationes cenſuit, *teneri, nec poſſe iisdem diebus aliam eleemoſynam recipere.* Hócque decretum poſtea, *die 24. April. 1699.* Innocent. XII. Bulla *Nuper à Congregatione.* auctoritate ſua Apoſtolica approbavit, & confirmavit, voluítque infallibiliter ſervari. Teſtatur etiam Reiffenſtuel *cit. l. 5. decret. tit. 3. n. 218.* hoc idem decretum in plena forma authentica à ſacra Congregatione transmiſſum, ſícque Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo Domino Vicario Generali Friſingenſi debita cum reverentia exhibitum, & ab eodem ùt authenticum recognitum fuiſſe. Quare oppoſita Sententia, eſto multis Doctoribus olim probabilis fuerit viſa, defacto tamen poſt tot declarationes authenticas, poſt confirmationem etiam & ratificationem Pontificiam, mihi (ſalvô tamen meliori judicio) non ampliùs videtur ſatìs tuta & practicabilis, niſi forſan quis prætendere poſſit, hujuscemodi declarationes non eſſe in ſua Diœceſi promulgatas aut receptas; quod ipſum tamen aſſerere difficultate ſua non caret; eò quòd declarationes toties circa hanc quæſtionem emanatæ ſe fundent in æquitate naturali, & jure divino, quod procul dubio ubique acceptandum eſt.

Quæres quartò, poſſitnè Sacerdos absque labe Simoniæ pro ſuo ſacrificio recipere ſtipendium?

R. Pro ipſo fructu Sacrificii, vel pro labore intrinſeco, id eſt, inſeparabili à Sacrificio, 200

utì eſt conſecrare, dicere collectas &c. nequit Sacerdos prætendere vel acceptare ſtipendium absque nota ſimoniæ; bene tamen 2. pro ſua ſuſtentatione, vel etiam pro labore extrinſeco, id eſt, non neceſſariò connexo cum Sacrificio, utputa quòd debeat legere ſacrum tali hora, tali die, in hoc vel illo templo aut altari, fortè etiam propiùs diſtante &c. Ita *Communiſſimè DD.* Sporer *Theol. Sacr. p 2. c. 5. num. 356.* Henno *diſp. 11 q. 16. Concl. 1. & 2.* Babenſtuber *cit. diſp. 5. a. 1. n. 7.* Ratio prioris indè patet: quia ſimoniacum eſt, accipere pretium temporale (utì eſt ſtipendium) pro re ſpirituali: atqui fructus Sacrificii, ſicut & labor intrinſecus ſunt quid ſpirituale: ergo pro his non licet accipere, multò minùs prætendere ſtipendium; ſicut nec pro Evchariſtia, vel pro alio Sacramento. Ratio autem poſterioris eſt: quia juxta effatum Chriſti *Matth. 10. Dignus eſt operarius cibo ſuo.* Et certè recta ratio poſtulat, ut qui pro alio occupatur miniſtrando eidem ſpiritualia, ab eo ſuſtentetur, temporalia recipiendo, juxta illud Apoſt. 1. *Cor. 9. Qui altari deſerviunt, cum altari participant.* Quemadmodum ergo ſine omni labe ſimoniæ etiam ex juſtitia prætendi poteſt panis, & vinum, item cera, tamquam alimentum ignis in Sacrificio requiſiti: ita pari ratione jure meritò exigi poteſt cibus neceſſarius ad alimentum Sacerdotis, quippe qui eſt ſummè, immò magìs neceſſarius ad celebrandum, quàm ignis ille &c.

Idque

Idque non solùm de Sacerdote paupere, sed etiam de divite, vel aliunde habente suam sustentationem &c. procedit; Cujus ratio est: quia uterque celebrando exercet suum ministerium in gratiam alterius (pro quo scilicet celebrat) ergo unus æquè ac alter potest ab illo prætendere necessaria ad celebrandum; inter quæ meritò veniunt media pro sustentatione Sacerdotis necessaria.

Quæres quintò, quodnam censeatur justum stipendium intuitu sacrificii administrandum Sacerdoti?

R. Quantitas stipendii justi universaliter de- 201
terminari non potest, idque ob diversitatem locorum, & valoris tum monetarum, tum etiam alimentorum &c. Nihilominus DD. in eo satìs conveniunt, illud scilicet existimandum esse justum stipendium, quod vel Episcopali lege, vel consuetudine loci taxatum est, vel etiam communi piorum ac prudentum virorum usu dari, aut recipi solet. Ità Henno *l. cit. de Evchar. concl. 4.* la Croix *l. 6. p. 2. n. 126.* Sporer *n. 357.* Babenstuber *cit. disp. 5. a. 2.*

At (inquies) nunquid justè pro uno sacrificio exigere licet tantum, quantum mihi ceu honesto viro pro communi & frugali mensa unius diei sufficit?

R. Ita censuêre Cajetanus & Navarrus: id- 202
que verum esse existimat P. Sporer, loquendo de Beneficiato, qui quotidie sacrificium suum offerre, & pro fundatore, vel certè ad hujus

inten-

intentionem applicare tenetur; quia consuetudo, & recta ratio suadere videntur, ut Sacerdoti toto anno celebranti pro certa persona, ab eadem retribuatur sustentatio annua. At verò loquendo de stipendio manuali, seu pro Missis non statis, omnino dicendum, non posse propterea à Sacerdote justè exigi integrum victum unius diei pro uno Sacro. Ita hodie communissimè tenent DD. Vasquez, Suarez, Castropalao, Illsung, la Croix, Babenstuber *cit. n. 7.* Layman *lib. 5. tr. 5. c. 1. n. 13.* Gobat *n. 563.* Ratio est: quia communis usus Ecclesiæ & fidelium persuasio, huic repugnat. Neque etiam æquitati consonum videtur, ut pro labore unius horæ, vel semihorulæ exigatur victus unius diei, præsertim cùm Sacerdos aliis actionibus tum sacris, tum etiam civilibus honestis possit reliqua sibi necessaria promereri. Itaque ubi tale stipendium lege, vel consuetudine taxatum non est, debet sufficere illud, quod à prudentibus ac DEUM timentibus dari ac peti solet. Minus tamen dimidia parte sustentationis communiter non permittit consuetudo in Germania nostra. In Italia pro Missa privata ordinarium stipendium est unus Julius: in Hispania unus Regalis: apud Germanos autem, majori victu indigentes ordinariè solent dari 5. circiter baccii. Ita Gobat, Layman, Sporer *cit. n. 357.*

Quæ-

Quæres adhuc sextò, an Sacerdos, qui pinguius stipendium accepit pro Missa, v. g. dimidium Florenum, salva conscientia possit eam alteri committere legendam, dato eidem minori stipendio v. g. quinque bacciis?

R. Non licet hoc, nisi alter omnino sponte 203
& liberè consentiat, velitque esse contentus. Ita constat ex Bulla Urbani VIII. *Cùm sæpe contingat edita 1625.* ubi hoc severè fuit prohibitum. Idipsum docuit Alexander VII. damnando sequentem, *n. 9.* propositionem: *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Et certè si hoc esset licitum, posset aliquis etiam non celebrando ditescere; quod sine periculo turpis lucri, & infamis negotiationis haudquaquam practicari potest.

Dixi tamen: *nisi alter liberè & sponte consen-* 204
tiat &c. Nam quemadmodum ille alius omnino gratis posset in se suscipere onus talium Missarum; ita etiam potest sponte ac liberè relinquere partem stipendii, & esse contentus reliqua v. g. 5. bacciis, seu 20. crucigeris, veluti communissimè notant DD.

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de obligatione Missarum dicendarum pro stipendio.

CASUS PRIMUS.

Titio Parocho vi fundationis incumbunt multa Sacra annuatim legenda, pro quibus solitò pinguius stipendium, scilicet pro singulis unum florenum, percepit: verùm quia non raro contingit, ut vel infirmitate, vel aliis etiam functionibus parochialibus, v.g. exequiis celebrandis præpeditus, non possit per se ipsum satisfacere hujuscemodi anniversarius, hinc eadem committere debet alteri Sacerdoti legenda, dubitat tamen, an illi alteri teneatur dare totum stipendium, integrum scilicet florenum, an verò satisfaciat suæ conscientiæ dando minus v.g. quinque baccios? Item dubitat 2. an hujusmodi anniversaria possit legere pro stipendio, quando ea incidunt in diem Festivum, vel in diem Dominicam? Quid Titio respondendum?

205 R. ad primum. Titius Parochus non tenetur dare integrum florenum, sed satisfacit dando partem congruam v.g. 20. Crucigeros. Ratio est: tum quia tale stipendium adhuc est justum; tum etiam quia prohibitio Alexandri VII. & Urbani VIII. mox relata, non venit intelligenda de Beneficiatis, veluti satis communiter tenent DD. & teste Lugo *de Eychar. disp.*

disp. 21. n. 30. sacra Congregatio idemmet declaravit; tum denique, quia si Beneficiatus, vel Parochus substituit alium (ubi Fundator non requisivit specialiter, ut per seipsum satisfaciat) talis substitutio non adversatur menti fundatoris, neque etiam sapit periculum turpis lucri, præsertim cùm id fiat necessitatis causâ, & aliunde prudenter præsumere liceat, fundatorem tantum stipendium non legâsse præcisè pro Sacrificio, sed vel maximè etiam pro ipso onere perpetuo Beneficio annexo &c. &c. Et ita tenent præter alios plures Sporer *n. 366.* Illsung *tr. 6. d. 5. n. 169.* Babenstubet *tr. 8. p. 4. d. 5. a. 2. n. 11.* la Croix *l. 4. n. 820.* Item *l. 6. p. 2. n. 131.* Ubi ait, idipsum licitè fieri à Capellano amovibili, si scilicet habeat Missas perpetuò legendas, pro quibus recipit pinguius stipendium.

R. jam ad secundum. Titium tutâ conscientia posse legere hujuscemodi Missam annuam, si hæc incidat in diem Festum, vel in Dominicam. Ratio est; quia, tametsi S. Congregatio declaraverit, Parochos, qui redditus pingues habent, singulis diebus teneri ad applicandum Sacrificium pro suis Parochianis, hæc tamen declaratio (inquit P. Kressling *in addit. post n. 86. ad tr. 14. dist. 5. Theol. moral.* P. Reiffenstuel) intelligenda est discretè cum grano salis, excipiendo scilicet anniversaria, exequias, & similes obligationes Parocho ex officio incumbentes; non enim est verosimile, 206

quòd

quòd eadem S. Congregatio vi declarationis mox allegatæ voluerit quidpiam præjudicare functionibus, & obligationibus jam aliunde vi officii incumbentibus Parocho, quas inter utique recenſenda eſt perſolutio Miſſarum, annuatim ex fundatione legendarum.

Dices adhuc: Ego ſum Sacerdos ſimplex & pauperculus, obtinuíque nuper à bono quodam amico 200. Sacra legenda pro 100. Florenis: ergonè illicitè agam deferendo medietatem illorum, 100. ſcilicet alteri legenda, & dando illi 30. duntaxat Florenos?

207 R. Quantumvis pauperem te dicas, neutiquam tamen licitè hoc practicabis, niſi hæc Sacra cum tanto ſtipendio ab eo qui ſtipendium præbuit, intuitu paupertatis tuæ ſublevandæ tibi ſint concredita, vel niſi alter ſponte & voluntariè velit tibi relinquere reliquam partem ſtipendii. Ratio hujus eſt: quia regulariter loquendo (inquit Layman *cit. n.* 14.) cenſetur eſſe voluntas ſtipendium dantis, ut vel ipſe Sacerdos, cui præbet ſtipendium, ſacrificet, vel ſi hoc alteri commendare velit, totum ei ſtipendium largiatur. Nec refert, ſi dicas, alterum libenter acceptare hoc onus pro 30. Florenis; nam ſi id faciat ex eo duntaxat, quia hìc & nunc non poteſt obtinere Sacra pro pinguiori ſtipendio, túque eidem majus dare non vis, vel quia ignorat, te accepiſſe pinguius ſtipendiũ pro iisdem Sacris, nequaquam tutus eris in conſcientia, quemadmodum à vitio uſuræ im-

immunis non esses, si alius cuispiam vi mutui tibi aliquid daret ideò tantùm, quia timet, ne alioquin mutuum à te non accipiat, nunquam daturus, si constaret, se à te, vel ab alio sine tali onere posse obtinere mutuum. Meritò proin Gobat, Sporer, Babenstuber & alii dicunt, rem hanc non vacare periculo gravis peccati.

At, inquies forsitan, novi idipsum practicatum fuisse à Religiosis, quòd scilicet unus Superior alteri alterius Conventûs transmiserit Sacra legenda, retenta sibi parte stipendii.

R. De hoc mihi non constat; bene verò 208
de eo, quòd etiam nostri Superiores locales Guardiani scilicet, Sacra pro *defunctis nostris Confratribus legenda* (pro quibus utique nullum recipiunt stipendium) committant aliis, sibi verò & suo Conventui retineant Sacra à Benefactoribus stipendio conducta, in quo nullum prorsus inconveniens apparet. Datô tamen etiam casu tuo, respondeo cum nostro P. Sporer *cit. n. 372.* id nulla alia ratione fieri, vel excusari posse, quàm tacito saltem consensu Ministri, aut Capituli Provincialis, cujus est de eleemosynis Conventuum transferendis vel non transferendis disponere, secundùm quod viderit magis expedire in Domino: partim etiam ob consensum saltem tacitum dantium stipendium; qui vel ideò etiam faciliùs consentire meritò præsumuntur, quòd ipsimet noverint,

rint, Fratrum bona debere esse communia, ait Sporer *l. cit.*

CASUS SECUNDUS.

SEmpronius *competens stipendium accepit pro duobus Sacris, quorum unum petebatur* pro defuncto, *alterum verò* pro defunctis, *utrumque tamen* in Altari privilegiato *celebrandum. Verùm quia Altare illud non nisi semel per Septimanam gaudebat privilegio, hinc ne ob alia jam pridem in se suscepta hæc duo cogeretur Sempronius nimis diu differre, utrumque legit in Altari non privilegiato. Nihilominus conscientiæ stimulis nonnihil agitatus jam dubitat, an suæ obligationi satisfecerit. Quid respondendum?*

209 R Legendo Missam pro defunctis petitam, satisfecit quidem suæ obligationi, non item legendo Missam pro defuncto in Altari non privilegiato. Ratio disparitatis est hæc: quia celebrando in Altari privilegiato poterat animæ illius defuncti impetrare privilegium indulgentiæ plenariæ, quod non poterat, legendo pro pluribus defunctis; quia hoc privilegium duntaxat concedi solet pro uno vel una defuncta: ergo legendo in Altari non privilegiato pro defuncto, defraudavit animam hujus indulgentia illa, cujus intuitu fideles plerumque solent petere Missas in Altaribus privilegiatis legendas, consequenter huic intentioni & obligationi in se susceptæ non satisfecit, esto satis-

satisfecerit alteri intentioni, scilicet pro defunctis, oblationem jam datam.

Dices. Si Sempronius in alio Altari non privilegiato celebrando non satisfecit suæ obligationi, nunc tenetetur vel restituere stipendium, vel certè aliud Sacrificium pro eodem defuncto in Altari privilegiato celebrare: utrumque autem videtur non minùs difficile, quàm absurdum; quandoquidem fructum ministerialem sui Sacrificii jam applicaverit pro illo defuncto; ergo &c.

R. Multis Doctoribus id nequaquam videri 210
absurdum; unde Gobat *tr. 3. n. 576.* cum Castropal. & Azorio censet, talem Sacerdotem obligari ad aliud Sacrificium pro defuncto offerendum. Fateor tamen, oblationem jamjam allatam, & mihi difficile videri condemnare illum ad illud Sacrificium offerendum: quemadmodum enim dans stipendium non petiit duo Sacrificia, neque duplicis Sacrificii fructum; ita nec Sacerdos acceptando illud præsumi debet, se voluisse ad hoc obligare: quare, cùm præter Sacrificium jamjam oblatum pro defuncto nihil aliud prætendi valeat, quàm privilegium Altaris, seu indulgentiæ plenariæ, hinc ego cum nostro P Kazenberger *in Suplem. Theol. Sacram. P. Sporer c. 3. n. 137.* & Kreslinger *in addit. post n. 94. tr. 14. dist. 5.* P. *Reiffenstuel* judico probabile, quòd Sempronius noster ad nihil ampliùs teneatur, quàm, ut in complementum suæ obligationis conetur

devotè lucrifacere indulgentias plenarias, concessas intuitu communionis generalis, vel etiam obeuntibus viam Crucis, easdémque pro eodem defuncto applicare. Vide etiam de hoc, si placet, P. Babenstuber *cit. disp. 5. a. 3. n. 16. & 17.* vel Sporer *n. 355.*

CASUS TERTIUS.

Cajus simplex Beneficiatus percipit è suo beneficio valdè pingues reditus, sed ob amissas fundationis litteras, jam ignorat obligationem suam claram, etsi sciat confusam, dicendi scilicet Missam perpetuam; unde quærit & scire cupit, an ad quotidianam, vel ad quot in hebdomada, mense aut anno Missas obligetur? 2. an teneatur facere compensationem Sacrorum hactenus neglectorum? Casum hunc vix non iisdem terminis proponit P. Gobat *tr. 3. n. 473.* & quia hic est valde practicus, magnique momenti, hinc placuit eundem referre. Jam verò cum eodem Doctore *l. cit.*

211 R. Esse gnaviter indagandum, unde constet Cajo, quòd sit obligatus ad Missam perpetuam, utrum scilicet exemplô suorum Antecessorum, vel ex relatione antiquorum, vel ex aliqua scriptura, vel denique ex consuetudine locorum? Et si quidem Antecessores semper existimârunt, se obligatos ad quotidianum Sacrum, vel si hoc asserant Antiquiores, aut ex scriptura aliqua, vel consuetudine loci constaret de hoc, eò scilicet, quòd alii Benefi-

neficiati habentes conſimiles pingues redditus ad hoc ſint obligati, etiam Cajus ſe obligatum credere debet, veluti bene probat Gobat *l. cit. n. 476. & 477.* nam factum præſumitur ab eo, qui erat obligatus facere. Maſchard. *de Probat. Concluſ. 734.* & juxta *l. ſemper 34. ff. de R. I. id ſequamur* (oportet) *quod in regione, in qua aliquid actum eſt, frequentatur.* Secus dicendum, ſi aliunde de contrario conſtaret.

At quid, ſi omnibus penſatis maneat dubium, an Cajus ſit obligatus ad quotidianum Sacrum vel non?

R. Cum eodem Doctore, in eo dubio eſſe 212 obligandum; tum quia inſpicimus in obſcuris, quod plerumque fieri ſolet, *cap. in obſcuris. de R. I. in 6.* Et omnes ſumunt argumentum à conſuetis, juxta Menoch. *de præſumpt. l. 1. q. 18. n. 5.* atqui plerumque in particularibus Eccleſiis totius Orbis fieri ſolet, ut pingues Capellaniæ habeant annexum hujusmodi onus: ergo &c. tum etiam quia per Miſſam *perpetuam*, non poſſumus intelligere illam, quæ fiat ſingulis annis, vel etiam ſingulis ſeptimanis ſemel duntaxat; foret enim nimia inæqualitas inter datum & acceptum, quam tamen maximè averſatur juſtitia, ait Gobat *l. cit. n. 479.* ubi etiam citat pro hac opinione S. Thomam 2. 2. *q. 62 a. 11.* Vide etiam Kreſslinger *cit. addit. 1. & 2. poſt n. 103.*

213 R. Jam ad ſecundam quæſiti partem. Cajus per ſe loquendo tenetur facere aliquam compenſationem ob Sacra neglecta, & quidem per alia Sacra. Ratio eſt: quia acceptum ob cauſam, cauſâ non ſecuta, obnoxium eſt reſtitutioni. Quare ſi mala fide omiſit, tenetur tot Sacra, ſive per ſe, ſive per alium legenda, ſupplere, quot omiſit: quia nemo de ſua negligentia commodum reportare debet. *cap. intelleximus. de judic.* at verò ſi bona fide omiſit, utpote inculpabiliter ignorans obligationem ſuam, tunc non tenetur ad compenſanda quotidiana ſacrificia, ſed duntaxat ad reſtituendum tantùm, quantùm per illas decimas vel redditus factus eſt ditior, juxta communiſſimam doctrinam & Regulam reſtituendi, tradi ſolitam de poſſeſſore bonæ fidei: adeóque pro illo quanto tenebitur vel ipſe legere ſacrificia, vel curare, ut ab alio legantur. Ita Gobat *cit. n. 480. Ubi n. 481. in fine* mox ſubdit, in ejuſmodi dubiis pro majori ſecuritate conſulendum eſſe Ordinarium.

Dices: At quid, ſi talis Beneficiatus per annum infirmetur, tenebiturnè quotidianum ſacrificium per alium ſupplere?

214 R. Probabiliter non tenetur, ſi ad breve tempus duntaxat v. g. ad unam vel alteram ſeptimanam, immò (juxta opinionem Lugonis & Laymanni) ad unum etiam menſem infirmetur.

tur. Ratio colligitur à pari; nam etiam temporalis Herus, tametſi jure detrahere poſſet à mercede famuli propter ejus ægritudinem, ut multi deducunt ex *l ſi uno. §. item, cùm ff. locati*; ſi tamen pius & benignus eſt, non facilè detrahere ſolet, quando ægritudo brevi tempore duravit; ergo idem meritò præſumere licet de voluntate pii fundatoris reſpectu Beneficiati ad breve tempus ægrotantis. Reiffenſtuel *cit. diſt. 5. n. 88.* Layman *l. 5. tr. 5. c. 3. num. 7.*

Dices iterum: Quidſi autem talis Beneficiatus una duntaxat vel altera vice Sacrum ſponte intermittat ſeu negligat? Et quid ſi illud in alio altari, vel pro alio quodam offerat?

R. primò. Beneficiatus obligatus ad quotidianum Sacrum, poteſt aliquoties pro ſe vel etiam pro ſuis propinquis & Benefactoribus defunctis illud applicare. Quoties autem id liceat, non ita concordant Doctores. Gobat eúmque ſecutus la Croix *l. 4. n. 830.* tenent, poſſe id fieri per annum quinquies aut ſexies, vel omnino ſæpiùs. Quin etiam, ubi hæc obligatio non eſt impoſita à fundatore ſpecialiter ratione alicujus loci ſacri, vel ob commoditatem populi, ſed potiùs intuitu Perſonæ, ſeu Beneficiati, putant Navarrus, Diana *p. 2. tr. 14. Reſolut. 28* Reiffenſtuel *cit. n. 89.* poſſe Beneficiatum quandoque etiam ſemel in ſe- 215

primana abstinere à celebratione. Rationem hujus desumunt, tum ex mente fundatoris, qui rationabiliter creditur, non voluisse tam strictè obligare, ut Beneficiato nunquam prorsus voluerit esse liberum, vel abstinere à Sacro, vel illud pro se aut suis offerre &c. tum etiam ex *cap. significatum. de præbend.* ubi de obligato ad quotidie celebrandum dicitur, *eum teneri quotidie extra casum infirmitatis celebrare; salva honestate suâ & debitâ devotione*; quæ cùm ob mundanos casus nonnunquam impediri soleat, videtur præbere causam justam abstinendi à sacrificio. Rectè tamen inferunt DD. hujusmodi Beneficiatum (supposito quòd celebret) non posse suum sacrificium pro stipendio ab alio acceptato applicare; prudenter enim præsumere non licet, hanc fuisse mentem fundatoris. Reiffenst. el *cit. n. 90.* Gobat *tr. 3. n. 584.* Pasqual. *de sacrific. q. 1194.*

216 R. jam secundò. Is, qui titulò fundationis, vel ex alia conventione, ratione scilicet recepti stipendii tenetur in certa aliqua Ecclesia vel in certo altari celebrare, per se loquendo peccat ad minùs venialiter, alibi celebrando. Ratio est: quia rationabilis, piaque voluntas fundatoris, vel dantis eleemosynam pro celebratione Missæ est adimplenda: hoc autem non facit, qui alibi celebrat &c. Nihilominus si ex gravi & rationabili causa id fiat, utputà quia Ecclesia vel altare, in quo sacrificandum esset, est profanatum, vel quia è sacristia egressus

sus invenit altare jam ab alio præoccupatum &c. in tali casu nullum omnino committet peccatum alibi celebrando. Facilius etiam excusari potest à gravi peccato Beneficiatus, si admodum ratò, utputa bis vel ter in anno, vel semel aut bis in mense mutet Ecclesiam; & adhuc facilius, si in Ecclesia præscripta celebrando, solùm mutet altare, etsi illud alterum, in quo debuisset celebrare, fuisset privilegiatum. Lugo *de Evchar. disp. 21. n. 36.* Herincx *p. 4. tr. 2. d. 8. n. 185.* Babenstuber *tr. 8. part. 4. disp. 5. art. 3. d. n. 11.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

217 COlliges ex dictis primò; Sacerdotem, qui Sacrum alteri titulô justitiæ debitum negligit celebrare, per se loquendo peccare mortaliter. Ita omnes, teste Layman *cit. tr. 5. c. 3. n. 6.* & Spoter *n. 353* Ratio est: quia negligit satisfacere obligationi justitiæ in materia gravi: at hoc fieri nequit sine gravi delicto: ergo &c. Quo tamen non obstante existimat idem Spoter cum Gobat, Fagundez & Dicastillo, eum, qui pro Sacro parvum duntaxat stipendium accepit v. g. trés baccios &c. non delinquere, nisi venialiter; quia gravitas culpæ in hoc casu dimetienda venit à gravitate stipendii: idque facilè credo, si is, qui præbuit stipendium, fuit saltem mediocriter dives. Nihilominus certum esse debet, quòd talis Sacerdos turâ

conſcientia non poſſit ſibi retinere ſtipendium acceptum, ſed teneatur illud vel Domino reſtituere vel certè Sacrum pro eo legere: ſecus enim nunquam ſatisfieret juſtitiæ.

Dixi etiam: *qui Sacrum titulo juſtitiæ debitum negligit &c.*

218 Nam qui Sacrum alteri ex ſola fidelitate debitum & promiſſum negligit, venialiter duntaxat peccat, niſi expreſsè intendiſſet ſe graviter obligare. Et ratio eſt: quia promiſſio liberalis, etſi de re gravi, non parit obligationem gravem per ſe loquendo. Nec refert, quòd Sacrificium Miſſæ à parte rei ſit res magni momenti; quia à fidelibus non ſolet adeò magni fieri, ait Sanchez apud Sporer *l. cit.* maximè quando ipſis nihili conſtat. Vide tamen & obſerva, quæ diximus mox ſuprà *Confer. 17. n. 184.*

219 Colliges ſecundò, etiam illum Sacerdotem graviter poſſe delinquere, qui ſacrificium ex juſtitia debitum nimis diu differt. Ita cum *communi* Bonacin. Henno, Gobat, la Croix & Herincx *n. 181.* Ratio eſt: quia poteſt contingere, ut is, qui ſtipendium dedit, omnino fraudetur fructu ſacrificii, ut ſi illam petiit pro impetranda ſanitate, vel pro felici partu, aut pro evadendo præſenti periculo &c. Miſſa autem primùm legatur, poſteaquam æger, vel etiam mulier in partu jam occubuit &c. Quin etiam in tali caſu tenetur Sacerdos ad reſtitutionem; quandoquidem ſuæ obligationi non

ſatis-

satisfecerit. Ex quo liquet, Urbanum VIII. in suo decreto de Celebratione Missarum §. 8. sapienter resolvisse, quòd *eleemosynas manuales, & quotidianas ita demum Sacerdotes accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis.* Ita Urbanus *l. cit.* Secus tamen dicendum foret, si tribuens eleemosynam pro celebratione Missarum sciat & consentiat, ut illæ tunc primùm celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, veluti declaravit Congregatio Cardinalium, videnda apud Reiffenstuel, Gobat, la Croix & alios.

Dices. At quanta dilatio nimia censeri debet?

R. Non conveniunt DD. in hoc; aliqui220 enim putant dilationem unius; alii verò duorum mensium dilationem non esse nimiam existimant. Verùmtamen cum P. Gobat, Sporer, Dicastillo aliisque multis puto, in hac re spectandam potissimùm esse voluntatem rationabilem illius, qui stipendium obtulit. Etenim ratio sana dictat, Sacrum pro instanti necessitate v. g. pro felici partu, aut pro felici fine, vel etiam pro impetranda sanitate &c. tamdiu differri nec posse, nec debere, quamdiu differri potest Sacrum petitum in honorem alicujus Sancti v. g. Antonii pro gratiarum actione. Ratio facilè colligetur ex mox dictis: quia

præ-

præbens ſtipendium in priori caſu tam facilè non ferret dilationem, quàm facilè in poſteriori, quando quidem in priori urgeat neceſſitas, non item in poſteriori. De quo videri poſſunt Gobat *tr. 3. n. 597.* Sporer *n. 354.* Babenſtuber *art. 5. n. 21.*

221 Colliges tertiò, haudquaquam licitum eſſe, pro uno eodémque Sacrificio plura acceptare ſtipendia. Ita hodie communiſſima, & certa ſententia DD. Ratio fundamentalis hæc eſt: quia cùm valor Sacrificii ſit finitus duntaxat & limitatus, ſequitur neceſſariò, quòd in plures diviſus nequeat eſſe tantus, quantus eſt, ſi uni ſoli applicetur: ergo cùm quivis ex offerentibus ſtipendium velit obtinere totum fructum, unum, idémque Sacrificium pro pluribus ſtipendium integrum præbentibus nunquam ſatisfaciet ſingulis, ſed alteruter, immò uterque neceſſariò fructu optato, vel certè quantitate fructûs deſiderati defraudabitur. Ex quo rurſus liquet, quàm juſtè S. Pontifex Alexander VII. anno 1665. ſequentem *n. 10.* propoſitionem damnaverit: *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unicum offerre: neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramentô firmata danti ſtipendium, quòd pro nullo alio offeram.* Sporer *n. 361.*

222 Neque etiam excuſaberis ex eo, quòd intendas alteri fructum tuum ſpecialiſſimum applicare; etenim ille alter præbendo tibi ſtipendium

dium non postulavit fructum specialissimum, sed ministerialem, seu medium, & quidem totum. Et certè multi DD. meritò dubitant, an Sacerdos fructum suum specialissimum, hôc ipso, quòd talis sit (Sacerdoti scilicet proprius) alteri valeat applicare; ergo vi hujus intentionis te non liberabis ab onere suscepto. Hac de causa idem Alexander VII damnando rejecit sequentem inter alias *n. 8.* propositionem: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs, ipsimet Sacerdoti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.* Vide de hoc Clericatum *de Sacrificio. decis. 35. num. 33.*

Dices forsitan: At sum aliunde pauperculus, & habeo multa Sacra ex fundatione annuatim legenda, pro quibus recipio valde exiguum stipendium (urpura 12. aut 15. crucigeros) hisce temporibus in nostra Patria inusitatum: ergonè non satisfaciam legendo & applicando unum Sacrificium pro duobus tam exiguis stipendiis?

R. Non satisfacies, aut certè nunquam eris 223
securus in tua conscientia hoc practicando, prout facilè colliges ex sequenti Decreto Cardinalium, emanato 1652. & ab Urbano VIII. confirmato: *Ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis plura stipendia, quantumcunque incongrua, exigua, sive ab uno, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur*

in

in futurum, Sacerdotibus, Ecclesiis &c. sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita, ut alioquin ii, ad quos pertinent, suæ obligationi non satisfaciant, quin immò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur &c. Quia tamen negari non potest, quin tale onus sæpe sæpiùs pauperculis Sacerdotibus (sive Sæcularibus, sive etiam Regularibus) nedum grave accidere, sed etiam in laqueum animarum vergere natum sit; hinc Summus Pontifex Benedictus XIII. *in Concilio Romano annô 1725. celebrato tit. 15. cap. 8.* clementer concessit Episcopis, qui vel per se, seu personaliter, vel legitimè impediti per alium Procuratorem eidem Concilio interfuêre, ut hujusmodi Sacra possent reducere ad numerum correspondentem eleemosynæ, seu etiam stipendio in tali Provincia dari consueto. Idcirco tibi consulo, ut pro majori animæ tuæ quiete ad Reverendissimum tuum Ordinarium causam hanc deferas, qui pro sua pastorali sollicitudine hujusmodi reductionem procul dubio faciet, aut, si fortè hac facultate non gaudeat, eam de facili Româ impetrabit, prout ego factum fuisse certò novi. Vide de hoc *Concil. Rom. loc. cit.* cui, si placet, adjunge P. Kressling*er in addit. Theol. Mor.* P. Reiffenstuel *post n. 91. tr. 14. dist. 5.* Gobat *tr. 3. n. 567. & seqq.* Sporer *n. 362.*

Col-

Colliges ex hactenus dictis quartò, à fortiori Edituis, alíſve Sæcularibus illicitum eſſe, retenta parte ſtipendii alteram tantùm dare Sacerdoti pro Sacrificio celebrando. Nefas itidem eſt, ſi hæres de ſtipendio à defuncto pro Sacris relicto partem ſibi retineat. Ratio eſt clara: quia hoc nimiùm adverſatur voluntati eorum, qui præbuêre ſtipendium: & quoad hæredem obſtat illa clariſſima deciſio juris c. *ultima 13. q. 2.* ultima defuncti voluntas omnibus modis ſervari debet. Ita Sporer *Theolog. Sacram. p. 2. c. 5. Sect 4. n. 372. fin.* ubi etiam citat Tambur. *Opuſculo de Sacrif. lib. 3.* & Gobat *Alphabet. Sacrificant. Caſ. 16. & 17.* 224

CONFERENTIA DECIMA NONA.

DE Tempore, & loco ſacrificandi.

SUMMARIUM.

225. Tempus ordinarium celebrandi incipit ab aurora, & finitur in meridie.

226. Nomine Auroræ intelligitur prima irradiatio lucis;

227.

227. Quæ non Mathematicè, ſed moraliter ſumenda eſt.

228. Cuilibet Sacerdoti ritè diſpoſito permiſſum eſt quotidie celebrare: & quid de triduo ultimo hebdomadæ ſanctæ.

229. De facto tamen nemini licet pluries eadem die ſacrificare, niſi in natali Domini, & in caſu veræ neceſſitatis.

230. Prohibitum etiam eſt, omnes tres Miſſas media nocte natalitia dicere, aut in eis communicare alios

231. Sacrificium de jure Ordinario offerendum eſt in templo, vel alio loco ſacro.

232. Excipitur tamen ab hac regula Caſus neceſſitatis.

233. Item Caſus, quò Sacerdos, quantùm ad hoc, diſpenſatur ab Epiſcopo.

234. Idem privilegium ſuper Altare portatili in loco non ſacro celebraudi olim à diverſis Pontificibus fuit conceſſum diverſis Religioſis:

235. Huic tamen Privilegio hodie per Concilium Tridentinum, & Clementem XI. probabiliùs derogatum fuit.

236. In Eccleſia polluta celebrare, nefas eſt.

237. Eccleſia quinque modis pollui poteſt: & quid ad hoc requiratur.

238. Celebrans ante dictum Matutinum & Laudes, probabiliùs peccat venialiter: ſi tamen rationabili de cauſa hoc faciat, non peccat.

239. Reſolvitur Caſus I. cujusdam Capellani aulici, qui ordinariè cogitur celebrare horâ 12. & frequenter etiam horâ prima, vel mediò ſecundæ.

240. Hoc ſecundum per ſe loquendo non eſt licitum, niſi in quibusdam caſibus jure exceptis.

241. Reſolvitur Caſus II. de quodam Religioſo, qui, ne die Feſtivo integra Communitas deſtitueretur Sacrificio Miſſæ, ad inſtantiam Domini Parochi binavit, etſi non ampliùs jejunus.

242. Recenſentur breviter nonnulli Caſus, in quibus Eccleſia permittit, duas, vel adhuc plures Miſſas ab uno Sacerdote celebrari.

243. Utrum etiam diebus ferialibus licitum ſit binare, id eſt, bis ad aram litare.

244. Reſolvitur Caſus III. de quodam Juvene, qui, quòd in Eccleſia procuraverit pollutionem, ab alio viro honeſto graviter pereuſſus fuit, non ſine multa ſanguinis effuſione.

245. Si pollutio illa occultè duntaxat fuiſſet procurata, propterea Eccleſia non fuiſſet polluta.

246. Et quid Sacerdoti agendum, ſi inter celebrandum audiat, Eccleſiam fuiſſe pollutam per actionem injurioſam.

247. Pollutâ Eccleſia ſimul cenſetur pollutum cæmeterium eidem contiguum.

248. Quomodo talis Eccleſia ſit reconcilianda.

249. Neutiquam tutum, aut conſulendum eſt, ut Religioſus vi privilegiorum hodie præſumat celebrare in loco non ſacro &c. niſi Epiſcopus id expreſsè concedat.

250. Nihilominus ſi Religioſus infirmitate detentus nequeat egredi cellam, licitè in eadem celebraret &c.

251. A fortiori poſſunt Religioſi in ſuis infirmariis extruere altare in ordine ad celebrandum, vel communicandum &c.

252. Quin etiam in aliis locis ſibi propriis erigi poſſe à Religioſis Oratoria, multi probabiliter tenent.

253. Neutiquam tamen id poſſunt in locis ſibi non ſubjectis.

254. An, vel quomodo Româ impetrari poſſit privilegium, ſeu licentia pro Sæcularibus, in domibus illorum erigendi Oratorium.

§. I.

Præmittuntur, & breviter reſolvuntur Quæſita, ſcitu neceſſaria ad debitè reſolvendos Caſus practicos de Tempore, & loco ſacrificandi.

QUæres primò, quô tempore SS. Miſſæ Sacrificium offerre liceat?

225 R. Tempus ordinarium celebrandi Miſſam incipit ab Aurora, & terminatur in meridie, id eſt, horâ diei (juxta computationem horologii noſtri germanici) duodecima. Ita communiſſimè DD. & patet ex Rubricis Miſſalis, *tit. de Defectibus in Miniſterio ipſo concurrentibus*, ubi *n. 1.* dicitur, quòd *Tempus debitum celebrandi ſit ab aurora usque ad meridiem communiter.* Quocirca tamen

226 Notandum venit 1. nomine *Auroræ* non intelligi ipſum ortum ſolis, ſed primam ſolis irradia-

radiationem, quando ſcilicet aliquid lucis apparet. Eſto autem hoc crepuſculum non ſit æquale in omnibus locis; ordinariè tamen ſolet incipere vel horâ integra, vel quadrante, vel omnino ſesqui horâ ante ortum ſolis.

Notandum ſecundò, hoc tempus *auroræ* 227
non mathematicè, ſed potiùs moraliter conſiderandum, & computandum eſſe, propterea-que Doctores latìs communiter inferunt, poſſe Miſſam inchoari duabus horis ante ortum ſolis, ita, ut circa initium auroræ finiatur. Quin immò tempore hyberno recepta conſuetudo in partibus noſtris ſeptentrionalibus obtinuit, quòd Miſſa tribus, aut omnino quatuor horis ante ſolis ortum celebretur; eò præſertim, quòd valdè conveniens videatur, ut homines, priùs, quàm laboribus ſuis manualibus ſeſe dedant, Sacroſancto Miſſæ Sacrificio aſſiſtant, à Deo Evchariſtico petituri & impetraturi, ut is benedicat operibus manuum ſuarum. Layman *l. 5. c. 4. n. 3.* Reiffenſtuel *diſt. 5 n. 106.*

Quæres ſecundò, ſitnè cuilibet Sacerdoti permiſſum quotidie ad aram DEO litare?

R. Cuilibet ritè diſpoſito permiſſum eſt, 228
exceptis duntaxat tribus diebus poſtremis hebdomadæ Sanctæ. Ita rurſus *DD. communiter.* Et prior quidem pars hujus reſponſionis eſt certa, atque deciſa *cap. conſuluiſti. de celebrat. Miſſar.* confirmatúrque receptiſſima praxi univerſalis Eccleſiæ. Poſterior verò pars deſumitur, ac probatur ex recepta Eccleſiæ con-

ſuetudine, inquit Reiffenſtuel. Et quòd in die Paraſcèves non ſit licitum celebrare, fatentur omnes. Major tamen controverſia movetur de feria quinta Cœnæ Domini, & Sabbato Sancto: quocirca Layman, Suarez, Barboſa, eósque ſecutus Gobat. *tr. 3. n. 219. & ſeqq.* cenſent, non eſſe prohibitum etiam hiſce duobus diebus privatim celebrare, modò id feriâ quinta fiat ante, & Sabbato S. poſt officium ſolenne: idipſum tenet la Croix *l. 6. p. 2. n. 231.* & mordicùs defendit Babenſtuber *tr. 8. p. 4. d. 8. a. 1. n. 6.* At verò P. Kreſslinger *in ſuo ſupplemento, addit. poſt n. 110. ad tr. 14. d. 5. P. Reiffenſtuel* exiſtimat, huic opinioni moderno tempore non ampliùs eſſe locum in praxi, eò quòd à S. R C. & à Clemente XI. *23. Martii 1701.* item *20. Aprilis 1707.* interdictum fuerit, die Jovis, aut Sabbato Sancto, in una eadémque Eccleſia, præter Miſſam ſolennem dicere aliam privatam: id ipſum de Sabbato S. jam antè declaraverat S. Congregatio *die 12. Febr.* & iterum *die 11. Martii 1690.* etiam non obſtante contraria conſuetudine. Quare ſi Feſtum S. Joſephi, vel Annuntiationis incideret in illum diem Jovis hebdomadæ ſacræ, poſſunt celebrari aliquæ Miſſæ privatæ ante ſolennem, ut populus adimplere valeat commodiùs præceptum audiendi Miſſam. Quando autem ſimile feſtum occurreret Sabbato Sancto, vel die Paraſceves, transfertur etiam in foro, & quoad præceptum audi-

audiendi Missam, post pascha usque, ex decreto Congregat. *11. Martii 1690.* ita vix non in terminis P. Kreslinger. Censeo tamen quoad hoc attendendas esse locorum consuetudines; quia memorata decreta non ubivis satis promulgata, vel certè non uniformiter sunt recepta, veluti praxis nos docet.

Quæres tertiò, sitnè aliquando licitum ab uno Sacerdote plures Missas eadem die celebrari?

R. Defacto id non ampliùs licet, præter- 229
quam in die Nativitatis Domini, & in casu veræ necessitatis. Ita statutum legitur *consuluisti, &c. Te referente de celebrat. Missar. juncto c. sufficit. de consecrat. dist. 1.* ubi redditur hæc ratio: *Non modica res est, unam Missam facere, & valde felix est, qui unam dignè celebrare potest.* Quòd autem in die Nativitatis Domini cuivis Sacerdoti liceat tres Missas dicere, patet tum ex ordinatione Missalis, tum etiam ex praxi Ecclesiæ; etsi nullus per se loquendo sit obligatus tres Missas dicere, sed cuilibet liberum est ex tribus dicere unam, quam maluerit: melius tamen facit, qui volens unam duntaxat Missam celebrare, legit tertiam, utpote ejus oratio concordat cum officio diei.

Id solùm hìc breviter annotare placuit, sci- 230
licet, defacto non ampliùs esse licitum, dicere omnes tres Missas media nocte, aut in eis communicare alios, veluti liquet ex decreto

S. R. Congregationis, emanato *8. Decembris 1702.* sequentibus omnino verbis: *Non licet in media nocte Nativitatis dominicæ celebrare successivè alias duas Missas, & in eis communionem Sacram exhibere, sed utrumque omnino prohibitum &c.* Et hoc decretum in hac Archi-Diœcesi Salisburgensi ubique promulgari & observari voluit Celsissimus noster LEOPOLDUS ANTONIUS &c. &c. Cæterùm, quandonam censeatur urgere necessitas ad binandum, seu duas, vel plures omnino Missas eadem die dicendas, patebit ex dicendis *n. 242.*

Quæres quartò, quô loco SS. Missæ Sacrificium sit offerendum?

231 R. De jure ordinario offerendum est in templo, ab Episcopo consecrato aut benedicto, vel saltem in Oratorio ad Dei cultum consecrato, & per Episcopum ad hoc designato. Reiffenstuel *cit.* Herincx *disp. 8. n. 109. & seqq.* Et ita statuitur *c. Nullus, de consecr. dist. 1.* item in Concil. *Trident. ss. 22. cap. de observand. in celebrat. Missar.* Idque meritò, quia Ecclesiæ visum fuit id expedire, tum ad debitam reverentiam hujus Sacrificii & Sacramenti; tum etiam ad majorem devotionem fidelium. Ex quo Doctores communiter inferunt, transgressores hujus salubberrimi statuti peccare mortaliter, eò quòd in re gravi violent præceptum Ecclesiæ.

232 Dictum tamen fuit: de jure ordinario offerendum esse in Ecclesia &c. &c. Ab hac enim regula

Digitized by Google

regula excipiendus eſt primò Caſus neceſſitatis, qualis cenſetur intervenire. 1. Si Sacerdos longa peregrinatione in partibus infidelium vel hæreticorum conſtitutus, non habeat copiam loci ſacri, in quo Deo litare valeat. 2. Si Eccleſiæ ſint dirutæ. 3. Si locus ſacer ſit ita parvus & exiguus, ut propterea multi fidelium die feſto non poſſent intereſſe Sacro. 4. Si Milites in caſtris conſtituti, vel in mari navigantes diebus feſtivis deberent carere Sacro &c. in his ac ſimilibus caſibus licitè ſacrificaretur in loco non ſacro, de ſe tamen honeſto atque decenti, modò id fiat ſupra altari portatili. Ita communiſſimè tenent DD. Suarez, Layman, Caſtropalao, Gobat, Reiffenſtuel & Babenſtuber *cit. diſp. 9. a. 1. n. 3. & ſeq.*

Excipiendus eſt ſecundò Caſus, quo Epi-233
ſcopus diſpenſat; etenim quod ex diverſis juribus *c. Miſſarum. de conſecrat. diſt. 1.* item *c. ult. de privileg. in 6.* (non obſtante etiam decreto Concilii Trident. *de obſervand. & evitand. in celebrat. Miſſæ*) Epiſcopi ex rationabili cauſa poſſint concedere facultatem ſuper altare portatile in loco etiam non ſacro celebrandi, meritò tenent Babenſtuber, Illſung. *tr. 6. diſp. 4. n. 151.* aliique multi: id quod etiam confirmatur ex praxi, vi cujus novimus, Epiſcopos Germaniæ hanc facultatem concedere; & efficaciſſimè confirmatur ex decreto à Summo Pontifice Benedicto XIII. anno 1725. in Concilio Lateranenſi facto, ubi confirmavit conſtitu-

ſtitutionem Innocentii XIII. *Apoſtolici Miniſterii &c.* in qua declaratur, quòd *prohibitio facta Epiſcopis de non erigendis altaribus in domibus laicis &c. intelligenda non ſit de domibus etiam laicis, in quibus ipſi Epiſcopi fortè ---- excipiuntur &c.* Videatur de hoc Concil. *cit. in Appendice §. 16. n. 22.* vel P. Kreſslinger *addit. 6. poſt. n. 146. diſt. 5.* P. *Reiffenſtuel.*

Dices; Sed quid hodie tenendum de privilegio Fratribus Prædicatoribus & Minoribus olim conceſſo *cap. in hiſ 30. de privileg.* Vi cujus ipſis permittebatur, ut ſuper altare portatile etiam extra Eccleſiam, vel Oratoria, in loco tamen honeſto, litare poſſent &c.

234 R. Juxta opinionem P. Babenſtuber *l. cit. n. 10.* neque huic privilegio vi Tridentinæ conſtitutionis derogatum eſt; tum quia privilegio inſerto corpori Juris communis (quale hoc eſt) non cenſetur derogatum, niſi clarè conſtet de revocatione ejusdem, utì hìc non conſtat; tum etiam, quia juxta Regulam traditam ab Alexandro VI. 1501. *quando oritur dubium in intellectu privilegiorum Regularium, ſemper per Jurisperitos, & alios Judices in favorem Regularium facienda eſt interpretatio.* Ita Babenſtuber.

235 Nihilominus quoad hoc adſtipulor P. Reiffenſtuel in ſuo jure can. *lib. 3. tit. 41. de celebrat. Miſſ. n. 5. & ſeqq.* ubi is oſtendit per decretum Clementis XI. *Quoniam Sancta, editum.*

1703.

1703. 15. Decembr. huic privilegio fuiſſe derogatum, ut nobis extra Caſus veræ neceſſitatis jam ſpecificatos, & ſine ſpeciali licentia Epiſcopi, jam non ampliùs liceat celebrare in domibus Sæcularium, vel in loco non ſacro; quandoquidem Pontifex in ſuo decreto mox allegato ſatis clarè & expreſsè id prohibeat omnibus Religioſis, & expreſsè annullet licentias ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus *cap. in his de privileg.* Vid. Doct. *l. cit.*

Dices iterum. At quid, ſi Eccleſia polluatur?

R. In Eccleſia polluta celebrare, nefas eſt. 236
Ita DD. *communiſſimè.* Et conſtat *ex toto tit. de conſecrat. Eccleſ.* Ratio etiam patet: quia juxta Suarezium, pollutio Eccleſiæ nihil eſt aliud, quàm cenſura quædam, ſeu prohibitio Eccleſiaſtica, vi cujus interdicitur, ne in tali Eccleſia, quamdiu polluta manet, Sacrum, aliavè officia divina celebrentur. Sed hîc ulteriùs

R. Eccleſia quinque modis violari ſeu pol- 237
lui poteſt 1. per homicidium injurioſum, ac notorium in Eccleſia factum, ſive juſto, ſive etiam injuſto modo, cum, vel ſine effuſione ſanguinis. Unde pollueretur Eccleſia, ſiquis à Judice juſtè condemnatus in ea ſuſpenderetur, vel etiam ex deſperatione ſeipſum ſuſpenderet &c. 2. Polluitur per mortaliter peccaminoſam, & notoriam (ſive notorietate juris, ſive

cati mortalis condemnârunt Sacerdotem, ſine cauſa celebrantem ante dictum Matutinum; quia nemo condemnandus eſt ad pœnas æternas, neque ad obligationem gravem, niſi conſtet de certa lege obligante: At, nullibi conſtat in hoc caſu de certa lege graviter obligante; nec aliunde videtur ſpecialis connexio, aut dependentia Miſſæ ab illis precibus: ergo &c.

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici de Tempore, & loco ſacrificandi.

CASUS PRIMUS.

Titius Capellanus aulicus regulariter loquendo cogitur ſuum Sacrificium inchoare horâ duodecima, ſcilicet in meridie, illúdque quadrante poſt dexterrimè abſolvit: aliquoties verò, & forſitan ſæpiùs, quàm par eſt, jubetur exſpectare, usque dum Princeps è venatione redeat, quod ſubinde horâ prima, ſubinde etiam horâ ſecunda, vel medio ſecundæ primùm fit: poſtulat proin ſcire, an tutâ conſcientia in hoc Principi ſuo deſerre poſſit. Quid judicii?

R. Ad hunc Caſum, illud priùs licitè fieri, 239
non item hoc poſterius. Ratio prioris eſt: quia non eſt illicitum ante auroram inchoare Sacrificium, ita, ut in aurora abſolvatur: ergo neque videtur illicitum illud inchoare in meridie, ita, ut poſt meridiem abſolvatur. Et certè,

certè, juxta communiſſimam DD. paulò poſt meridiem celebrare, reputatur parvitas materiæ reſpectu hujus præcepti, ita, ut ſi fiat ex rationabili cauſa, omni prorſus culpa vacare credatur: At, Titius id facit ex rationabili cauſa, ſcilicet obſequendi ſuo Principi: ergo. Ratio autem poſterioris inde facilè colligetur; quia ſecundùm dicta, tempus ab Eccleſia ad celebrandum præſcriptum eſt illud, quod currit ab aurora usque ad meridiem, & non ultra. Tum etiam, quia Pius V. *Bulla: Sanctiſſimus in in Chriſto Pater.* Prohibuit ſub pœna ſuſpenſionis ferendæ, Miſſam inchoari poſt meridiem. Profectò etiam ſola prolongatio venationis non videtur ſufficiens cauſa differendi Sacrificium usque ad horam primam vel medium ſecundæ; cúmque aliundè Princeps diebus illis ferialibus non ſit obligatus ad audiendum Sacrum; hinc fortè meliùs omnino faceret illud omittendo, quàm contra Eccleſiæ prohibitiones & ſanctiones nimium differendo.

At verò ſi Titius noſter ſine gravi offenſa, fortè etiam ſine majori fortunæ ſuæ periculo nequeat recuſare obſequium, non auſim illum gravis peccati condemnare, cùm id faciat neceſſitate compulſus. Suaderem tamen, ut pro majori ſecuritate ab Epiſcopo petat diſpenſationem, quam intuitu ſui Principis haud difficulter impetrabit.

240 Dixi etiam, *hoc ſecundum non licitè fieri, ſaltem per ſe loquendo;* per accidens enim, in quibus-

busdam veræ neceſſitatis caſibus, licet celebrare poſt meridiem horâ prima, vel ſecunda, vel etiam tertia. Caſus autem à Salmanticenſibus annotantur ſequentes. 1. Si ob ſolennitatem alicujus Feſti officium aut concio ſit nimis protracta. 2. Si Sacerdos in itinere conſtitutus, die feſtivo præſertim, ante meridiem celebrare non potuit. 3. Si urgeat neceſſitas communicandi moribundum, ne is ſine S. Viatico decedat. 4. Si curandum ſit funus alicujus Principis. 5. Si Epiſcopus ob juſtam cauſam diſpenſavit, aut privilegium id practicandi à ſummo Pontifice ſit obtentum; quale poſt Concilium Tridentinum Gregorius XIII. conceſſit Congregationi S. Juſtinæ de Padua, teſte Clericato *de Sacrificio Miſſæ deciſ. 39. n. 40.* Vide etiam Babenſtuber *de ſacrif. Miſſ. diſp. 8. a. 2. n. 8.*

CASUS SECUNDUS.

Sempronius Religioſus in itinere conſtitutus die Dominica circa nonam Matutinam divertit apud aliquem D. Parochum, qui, cùm ab inſperato graviter fuiſſet infirmatus, rogavit Sempronium, ut ſuo nomine pro populo litaret ad Aram. At, quia Religioſus illo die jam ſemel ſtetit ad Aram, hinc humiliter ſe excuſare nitebatur: denique tamen ad iteratam inſtantiam D. Parochi, ne tota communitas Sacro audiendo deſtitueretur, denuo, etſi non ampliùs naturaliter jejunus, accinxit ſe ad aram, Deóque litavit altera vice. Quæritur, an licitè?

R. Sem-

241 R. Sempronius probabiliùs illicitè egit: licèt enim in casu necessitatis permittatur, ut unus idémque Sacerdos possit binare, id tamen duntaxat permittitur sacerdoti naturaliter adhuc jejuno, prout vel inde colligere fas est, quòd Ecclesia in Natali Domini sumenti primam ablutionem, non ampliùs permittat legere secundum, vel tertium Sacrum: Atqui Sempronius supponitur non ampliùs fuisse jejunus: ergo illicitè egit, altera vice litando ad aram. Secus dicendum foret, casu quo in populo grave scandalum fuisset timendum, ex eo, quòd illa die nullus celebrâsset; tunc enim per Epikejam, & rationabiliter præsumptam voluntatem Ecclesiæ etiam non jejunus licitè celebraret; præsertim cùm præceptum de non præbendo scandalo, utpote fundatum in jure naturali, fortiùs obliget, quàm illud merè Ecclesiasticum, de jejunè celebranda Missa. Credo tamen in hoc nostro casu scandalum de facili evitari potuisse, erudiendo scilicet populum, eidémque intimando, quòd Parochus ob infirmitatem derepentè supervenientem celebrare nequeat, alius verò Sacerdos naturaliter jejunus non adsit defacto, proindéque in tali casu populus ob moralem impotentiam deobligatus sit ab audiendo Sacro illa die. Vide la Croix *l. 6. p. 2. n. 235. & seqq.* vel Babenstuber *ubi suprà a. 2. n. 6.*

Dices:

Dices. Quibusnam ergo in Casibus Ecclesia eidem Sacerdoti permittit binare, seu duas, aut plures Missas offerre eadem die?

R. Casus à Doctoribus mox *citt.* referuntur 242 sequentes. 1. Si infirmus aliàs deberet mori sine Viatico; quod tamen de raro contingere natum est. 2. Si aliàs populus die festivo aut Dominica deberet carere Sacrificio Missæ defectu Sacerdotis, uti sæpe contingit in partibus infidelium, præsertim in Anglia. 3. Conceditur Parocho habenti duas Parochias, vel Beneficia diffita; ut in utroque loco possit eadem die celebrare, nisi habeat cooperatorem, qui in alterutra celebret. 4. Si in die Festo superveniat inopinatò magna multitudo peregrinorum, vel Episcopus, aut magnus Princeps; quod ultimum tamen Henno & alii multi negant; eò quòd hìc non videatur urgere vera necessitas; ídque omnino verum existimo, si Sacerdos non ampliùs sit jejunus: universaliter enim quisquis eadem die vult legere Missam alteram, debet in prima abstinere à sumptione ablutionis. Rectè etiam monet Reiffenstuel, hodie circa hoc punctum standum esse consuetudini locorum; cùm ob multiplicationem Sacerdotum aliqui ex recensitis casibus ratò ampliùs locum habere videantur. Vide la Croix *mox cit. n. 236.*

Dices adhuc: At, quid, si idem Sacerdos habeat duo Beneficia, licebitnè eidem etiam diebus ferialibus in utroque celebrare?

R. Si

243 R. Si in utroque loco sit sufficiens multitudo fidelium, quotidie Missam audientium, licitum est tali Beneficiato aut Parocho in utroque celebrare, etiam diebus ferialibus. Ita Suarez, Castropalao, Salmanticenses, quos refert, & sequitur Babenstuber *cit. art. 2. n. 6.* Ratio est: quia hæc videtur verè gravis, & satis urgens causa binandi, ne scilicet populus privetur suo Sacrificio, & opportunitate audiendi Missam. Optimè tamen facier, si in hoc se accommodet receptæ consuetudini, quippe quæ in his rebus magnam habet vim.

CASUS TERTIUS.

CAjus juvenis procurandis pollutionibus proprii corporis usque adeò assueverat, ut ne quidem in Ecclesia ab illo scelere continere se posset, aut certè non vellet: unde contigit, ut dum semel turpissimo huic operi vacaret, alius quidam vir gravis & honestus id animadvertens, eidem gravissimam alapam infligeret in Ecclesia, non sine copiosa sanguinis effusione è naribus: quò facto ingens in Ecclesia subortus est tumultus, & Sacerdos inter sacrificandum non modicè perturbatus, propterea que dubitare cœpit, essetnè Ecclesia polluta, nec ne. Quid respondendum?

244 R. Si perditus ille juvenis vi procurationis verè effudit semen, Ecclesia procul dubio fuisset polluta; quia secundùm dicta *n. 237.* hæc polluitur per voluntariam, mortaliter malam, & notoriam humani seminis effusionem *c. ult.* de

de conſecrat. Eccleſ. &c. Eccleſiis diſt. 1. de Conſecrat. Atqui in noſtro caſu hæc omnia interveniſſent: ergo &c. At verò ſi ſupponatur nondum perveniſſe ad effuſionem ſeminis, tametſi intenderit & tentaverit illam, vi hujus Eccleſia nequaquam cenſeri debet polluta: quia (univerſim) *crimen non intelligitur, niſi ſit conſummatum c. hæc autem juncta gloſſa. diſt. 1. de pœnit.* At neque polluta fuit propter illam ſanguinis effuſionem: quippe quæ non fuit mortaliter peccaminoſa, neque facta ſuadente diabolo, ſed potiùs impellente zelo honoris divini: hanc ob cauſam DD. communiſſimè tenent, Eccleſiam non pollui, ſi pueri ſe invicem ex veniali colera fortè percutiant in Eccleſia, etſi non ſine effuſione ſanguinis è naribus. Vid. Reiffenſtuel *cit. tr. 14. diſt. 5. n. 122.* Layman *lib. 5. tr. 5. c. 5. n. 7. & ſeqq.*

Dices: At quid, ſi juvenis ille ſe polluiſſet in Eccleſia, nemine præter illum virum honeſtum animadvertente?

R. Propterea non fuiſſet polluta Eccleſia, 245
ídque defectu notorietatis facti & juris: quia ſecundùm ſuperiùs dicta, quamdiu de tali delicto publicè (notorietate ſcilicet facti, vel juris) non conſtat, ita ut nemo, aut non, niſi pauci illud ſciant, Eccleſia judiciô hominum permanet in ſuo honore & bona fama, ideóque non polluitur, juxta Gloſſam communiter receptam *cap. 1. ℣. pollui de Conſecr. Eccleſ. in ſexto.* Cenſebitur tamen Eccleſia polluta, ſi

ex post facto innotescat delictum, & palam fiat; quia tunc apud homines bonam famam, atque existimationem quodam modo deperdit, ait Reiffenstuel *cit. n. 130.* Herincx *disp. 8. n. 121.* Suarez *disp. 81. sect. 4.*

Dices iterum: quid igitur agendum fuisset Sacerdoti in nostro casu, si is ad aram actu litando intellexisset, Ecclesiam fuisse verè pollutam effusione seminis, aut sanguinis humani?

246 R. breviter cum Suarezio, Laymanno *c. 5. n. 13.* Babenstuber *cit. disp. 9. a. 1. num. 14.* quòd si talis violatio fiat, vel saltem à Sacerdote intelligatur facta primùm post Canonem inceptum, is debeat absolvere & complere Missam: si autem id contingat ante Canonem inchoatum, debet à Sacrificio cessare. Ratio disparitatis hæc est: quia in priori casu SS. Missæ Sacrificium censetur jam quasi substantialiter inchoatum, ideóque & prosequendum; non item in posteriori casu. Videatur de hoc Cleticatus *de Sacrif. decis. 40. per totam.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

247 COlliges ex dictis primò, pollutâ Ecclesia simul cœmeterium eidem contiguum habendum esse pro polluto: non tamen è contra pollutô cœmeterio censetur polluta Ecclesia. Ratio est: quia accessorium sequitur principale:

cipale: Atqui cœmeterium eſt quid acceſſorium Eccleſiæ, & non è contra: ergo &c. ſi tamen cœmeterium ſit ab Eccleſia remotum, eâ polluta non polluitur, veluti expreſsè decidit*ur c. un. de conſecr. Eccleſ. in 6.* Vid. Herincx *diſp. 8. num. 121.*

Dices. Quo igitur modô cœmeterium, aut Eccleſia polluta ſunt reconcilianda?

R. cum diſtinctione. Nam ſi Eccleſia fuit 248
duntaxat benedicta & non conſecrata, poteſt per Sacerdotem cum aqua ab ipſo benedicta reconciliari, veluti DD. ſatis communiter tenent, & deducunt *ex cap. ſi Eccleſia, de Conſecr. Eccleſiæ.* Idem eſt de reconciliatione cœmeterii, quando hoc vulgari modo ſolitariè, non autem cum Eccleſia conſecrata fuit benedictum. Si verò Eccleſia fuit aliquando conſecrata, debet per Epiſcopum reconciliari aquâ per aliquem Epiſcopum benedicta, cum vino & cinere. Prælati tamen Regulares ex Privilegio à Leone X. conceſſo *Bullâ ſexta in Bullario Rodriquez* poſſunt ſuas Eccleſias conſecratas, quando pollutæ ſunt, reconciliare; ſed aquâ ab Epiſcopo benedicta cum cinere & vino. Quin etiam, ſi Epiſcopus diſtet ultra duas dietas, id eſt, ultra 14. Leucas, poſſunt ipſimet aquam benedicere, & ea mediante Eccleſiam reconciliare. Vide Rodriquez *Tom. 1. qq. Regul. q. 19. a. 6.* Portel ☞. *Eccleſia in addit. num. 10.* Herincx *cit. num. 122.* Layman *l. cit. cap. 5. n. 12.* ubi etiam addunt, vi ejusdem Privilegii

iisdem Prælatis Regularibus concessum fuisse, ut possint solenniter benedicere suas Ecclesias & Cœmeteria, si Episcopi nolint, aut negligant.

249 Colliges secundò, nequaquam consultum esse, ut hodie Religiosi vi Privilegiorum suorum (extra Casus veræ necessitatis) præsumant celebrare in locis profanis, seu non sacris, seu etiam in domibus Laicorum. Ratio desumenda est ex dictis *n. 235.* quia Clemens XI. id severè prohibuit, revocatis etiam quibuscunque Privilegiis antehac concessis. Unde nullatenus dubitandum, quin Ordinarii contrariam praxin audientes gravissimè offenderentur, & fortè etiam pœnis Canonicis in hujusmodi transgressores animadverterent. Secus tamen dicendum foret, si id cum approbatione, vel etiam dispensatione Episcopi fiat v. g. ob infirmitatem cujuspiam, vel etiam ob mortem Nobilium, prout aliquoties factum esse novimus experientiâ. Vide Kreslinger *citt. ad dist. 5. Appendice 1. addit. 2.*

250 Colliges tamen tertiò, non obstante Constitutione Clementis XI. à Religiosis privilegiatis in suis Cameris seu Cellis privatis, dum eas gravi infirmitate detenti egredi nequeunt, erigi posse altare portatile in ordine ad celebrandum & communicandum. Ita Salmanticenses, aliique plures ab ipsis relati. Ratio est: quia Clemens XI. in sua Constitutione se refert ad Concilium Trid. *ss. 22.* per Concilium verò Tri-

Tridentinum ſolùm injungitur Epiſcopis, ne permittant celebrari Miſſas in domibus privatis, quæ non ſunt dicatæ cultui divino, atque adeò extra Eccleſiam omnino: Atqui Cellæ & cubicula privata Religioſorum non veniunt nomine domûs privatæ, nec ſunt omnino extra Eccleſiam; quia ſunt partes Monaſterii, quod totum venit nomine Eccleſiæ. Accedit, quod Pius IV. annô 1565. ideóque poſt Concilium Trident. hoc Privilegium conceſſerit Canonicis Regularibus Lateranenſ. quô privilegio viâ communicationis etiam alii Religioſi participant: ergo vi hujus Conſtitutionis Tridentinæ nihil poteſt eſſe derogatum memorato privilegio. Videatur Babenſtuber *tr. 8. p. 4. d. 9. a. 1. n. 11.* Sporer *part. 2. n. 440. fin.* Kreſslinger *addit. 6. poſt n. 146. Theol. Mor. tr. 14. diſt. 5. P.* Reiffenſtuel. Lezana *tom. 3. Summæ V. Altare.*

Colliges à fortiori quartò, à Religioſis in propriis infirmariis ad inſerviendum infirmis erigi poſſe Capellas, ſeu etiam Oratoria. Ita enim diverſi Pontifices indulſerunt, veluti videre licet apud DD. *mox citt.* Neque etiam à Tridentino hæc privilegia ſunt revocata: quippe quod ſolùm mandavit, ne Epiſcopi patiantur etiam à Regularibus Miſſas celebrari in domibus privatis, aut extra Eccleſiam &c. Ex quo P. Babenſtuber rectè infert, etiam Sæculares Sacerdotes in tal Capella celebrare poſſe; eò quod in privilegiis conceſſis nulla fiat reſtri-

251

ſtrictio: ídque totum confirmatur ex recepta praxi.

252 Quin etiam in aliis locis extra ſepta Monaſterii, ſibi tamen, Religioſis ſcilicet propriis erigi poſſe Oratoria, aut Capellas in ordine ad celebrandum, docet idem Babenſtuber ob rationem mox datam: quia poſſunt erigere in quocunque loco proprio Religionis: at ſupponitur talis locus eſſe proprius Religioni: ergo &c.

253 Dixi tamen: in loco Religioni proprio; etenim quòd in aliis locis profanis vi privilegiorum ſuorum ampliùs celebrare nequeant, multò minùs erigere Capellas vel Oratoria, hodie videtur certum, & ſatìs colligi poteſt ex jam dictis; quia vel illa Privilegia nunquam ſe extenderunt ad illa loca aliena jurisdictioni Religioſorum non ſubjecta, vel ſi quocunque demum modo ſe extenderunt, per Clementem XI. jamjam fuerunt reſtricta.

Petes adhuc, an, vel quomodo pro Sæcularibus Româ impetrari poſſit facultas erigendi Oratorium, Miſsámque celebrandi vel audiendi in propriis ipſorum domibus?

254 R. breviter, hanc facultatem quadrupliciter concedi, & Româ impetrari poſſe, ſcilicet 1. Pro Rure tantùm. 2. Pro Civitate. 3. Pro infirmis Nobilibus, & 4. pro itine-

ran-

rantibus. Et quidem primò, pro Rure tantùm (id eſt, pro locis ſeu habitationibus extra Urbem aut oppidum) datur hoc privilegium pro perſonis etiam non nobilibus, & nulla jurisdictione temporali aut dominio præditis. 2. Pro Civitate verò, & omnibus omnino locis, ſive ea ſint oppida, ſive Villæ, ſive dominia, conceditur tantùm perſonis nobilibus, exercentibus jurisdictionem altam, vel baſſam in aliquo loco, qui in ſupplica exprimi debet. 3. Pro infirmis Nobilibus hæc licentia impetrari poteſt, tametſi nullam exerceant jurisdictionem. 4. Denique pro itinerantibus conceditur eadem licentia, at cum ſequentibus Clauſulis 1. Ut perſona ſit nobilis, ſive jurisdictionem exerceat, ſive non. 2. Ut hæc licentia valeat, & ſe extendat ad certum duntaxat diſtrictum, v. g. per Germaniam, vel per Italiam &c. 3. Ut valeat tantùm in actuali itinere, & quidem, ubi Miſſarum commoditas deeſt. Taxa verò pro hujusmodi licentia ad 12. circiter ſcuta aſcendet. Videantur de hoc P. la Croix *lib. 6. part. 3. n. 931. § de Oratoriis.* Vel P. Kreſslinger *in ſua Appendice I. poſt n. 136. addit. 7. & ſeq. ad tr. 14. diſt. 5. Theol. Mor. P. Reiffenſtuel.*

CONFERENTIA VIGESIMA.

DE

Altari, Paramentis, aliísque ad ritè sacrificandum necessariis.

SUMMARIUM.

255. Quid intelligatur nomine altaris ?
256. Quomodo debeat esse instructum, ut in illo licitè celebretur ?
257. Quot modis altare semel consecratum suam deperdat consecrationem.
258. Quid sit Sigillum, & quid sepulchrum Altaris ?
259. Ob fractionem sigilli, aut sepulchri præcisè, probabiliùs non execratur altare.
260. Quibus vestimentis Sacerdos celebrans debeat esse indutus.
261. Vestes sacerdotales debent esse benedictæ ab Episcopo, vel alio privilegiato.
262. Calix cum patena debet esse deauratus saltem.
263. Insuper debet esse consecratus; & quomodo instructus ?
264. Minister altaris debet esse mas, & callens suum ministerium, & preces.

265

265. Ordinariè legenda est Missa, Officio, seu Breviario diei correspondens.

266. Quandonam Ecclesia permittat Missas votivas, vel etiam de Requiem privatim legendas?

267. Et quando permittat Missas votivas vel de Requiem publicas, seu publicè legendas?

268. Rubricæ Missalis aliæ sunt directivæ tantùm, aliæ etiam præceptivæ.

269. Qui voluntariè non observat Rubricas præceptivas circa valorem, aut integritatem, vel etiam circa partes accidentales ordinarias, per se loquendo graviter delinquit;

270. Non item is qui negligit Rubricas circa aliquid accidentarium non ordinarium.

271. Resolvitur Casus I. de Sacerdote, cui sacrificaturo Angeli Sancti mirabiliter asportârunt crucem.

272. Ad licitè celebrandum probabiliter sufficit crux sola sine imagine crucifixi.

273. Quid agendum, casu quô ventorum impetu sub Sacrificio luminaria extinguuntur?

274. Resolvitur Casus II. de Sacerdote, qui inculpabiliter oblitus stolæ, ab alio fuit sub Sacrificio correctus; sed non bene.

275. Est tamen corrigendus ille Sacerdos, qui deprehenditur errare circa aliquid substantiale Sacrificii; utì est consecratio &c.

276. Non tenebatur præfatus Sacerdos acceptare stolam sibi sub Sacrificio ab alio missam, multò minùs eam postulare, si propterea debuisset incurrere infamiam &c.

277. Resolvitur Casus III. de alio quodam, qui ex respectu humano multas Rubricas non observavit celebrando; ideóque bonus politicus, non tamen bonus Sacerdos meritò arguitur.

278. Tametsi tales Rubricæ non fuerint, nisi de accidentalibus, potuit tamen peccare mortaliter saltem per accidens.

279. Qui advertit, se accidentaliter errâsse, v. g. omittendo *Credo &c.* non tenetur talem defectum supplere, si jam aliquantulum sit progressus in suo Sacrificio.

280. Qui in altari, vel etiam calice non consecrato celebrare præsumit, graviter peccat.

281. Calix noviter deauratus probabiliter non indiget nova consecratione.

282. Vestes, aliáque paramenta Ecclesiastica, quandonam suam consecrationem perdere censeantur?

283. Qui scienter omittit totam Epistolam cum graduali &c. graviter delinquit;

284. Non item is, qui duntaxat omittit *Gloria*, vel *lauda Sion &c.*

285. Et quid Sacerdoti agendum, casu quo prævidet, se in Sacrificio celebrando unam alteramvè ceremoniam aut actionem non posse observare?

286. Qui ob infirmitatem nequit elevare hostiam, licitè celebrat, saltem privatim.

287. Recensentur Rubricæ Missalis *de defectibus corrigendis.*

§. I.

Digitized by Google

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de Altaribus, Paramentis, aliisque ad ritè celebrandum necessariis.

QUæres primò, quidnam intelligatur nomine Altaris?

R. Intelligitur illa mensa, supra quam per- 255
agitur incruentum Missæ Sacrificium. Porro aliud est altare fixum, aliud portatile. Fixum vocatur, quod alicui basi immobiliter est affixum, uti communiter sunt Altaria in Ecclesiis erecta. Portatile verò appellatur, quod de facilè amoveri, & de loco in locum portari potest; unde & portatile nuncupari solet.

Quæres secundò, quomodo altare debeat esse instructum, ut in eo ritè ac licitè res divina peragatur?

R. Altare, sive fixum, sive portatile sit, de- 256
bet inprimis esse lapideum; quia repræsentat Christi sepulchrum, quod fuit in petra excisum, vel etiam ipsum Christum, qui in Scriptura dicitur Petra, lapis &c. 2. Debet esse con-

consecratum *argum. can. 30. & 31. de consecrat.* 3. Debet insuper esse coopertum tribus tobaliis benedictis, aut certè juxta receptam aliquorum consuetudinem duabus, quarum una sit duplicata, aut cooperta corporali. 4. Debet altare esse ornatum antipendio, quod etiam potest confici ex asseribus, aut marmore polito. 5. Debet insuper supra altare stare candela accensa ex cera, eáque duplex: etsi in casu necessitatis etiam sufficeret una, etiam ex sebo, vel alia lucerna, aut lampas. 6. Denique debet in altari esse exposita imago crucifixi, aut saltem crux, ut̀ patebit ex dicendis *in resolutione Casûs I. n. 271. & 272.*

Quæres tertiò, quot modis altare semel consecratum disperdat suam consecrationem?

257 R. Duobus modis potest illam deperdere. 1. Ex eo, quòd in altari fixo pars superior seu mensa consecrata removeatur ab altera parte inferiori, & fixa, cui erat compaginata, ut habetur *c. 1. de consecrat. Eccles.* 2. Eam deperdit, si ita enormiter frangatur illa mensa, ut ob fractionem, vel potiùs separationem illam (sola enim scissio lapidis nihil officit) lapidis non ampliùs remaneat tantum, quantum sufficeret ad decenter in eo collocandum calicem cum patena, & hostia consecrata; veluti subinde contingit cum altaribus portatilibus.

Dices: At quid, si frangatur solum sigillum Altaris, & sepulchrum illius cum Reliquiis auferatur?

Ante

Ante reſponſionem ſuppono, nomine ſe-258
pulchri intelligi loculum illum, ſeu capſulam, in qua ſacræ Reliquiæ reconduntur: nomine verò ſigilli intelligi parvulum illum lapidem, quô ſepulchrum clauditur, & tegitur; quô ſuppoſitô

R. Per talem fractionem probabiliùs non 259
execrari Altare. Ita Reffenſtuel *l. 3. decret. tit. 40. n. 39. & 40.* Ratio inde deſumitur, quia nullo claro textu juris oſtendi poteſt, Reliquias Sanctorum eſſe neceſſarias ad conſecrationem altaris, eſto in conſecratione ob laudabiliſſimam praxin Eccleſiæ non debeant prætermitti. Idipſum efficaciter confirmari poteſt ex eo, quòd tempore belli Suecici ab hæreticis in ſola Diœceſi Auguſtana aliquot millia altarium fuerint ſpoliata ſacris Reliquiis, & Sacra Rituum Congregatio deſuper conſulta quidnam ſcilicet de hujuscemodi altaribus tenendum aut agendum? teſte P. Franciſco Schmier *lib. 3. Jurisprud. tr. 1. p. 2. Sect. 3. n. 146.* reſpondit, Reliquias denuo eſſe recondendas in altaribus, ſed absque nova altarium conſecratione: ergo cenſuit, altaria illa manſiſſe conſecrata, tametſi ſepulchra fuerint fracta.

Quæres quartò, quibus veſtimentis Sacerdos debeat eſſe indutus, ùt licitè celebret?

R. Debet eſſe indutus ſequentibus 1. hu-260
merali ſeu amictu. 2. Alba cum cingulo. 3. Manipulô, ſtolâ, & Caſula, ſeu planeta. Color autem Caſulæ, ſtolæ ac manipuli, ſicut & velum

velum calicis, debent correspondere tempori, præscriptóque Rubricarum Ita *omnes*. Id unum hìc adnotandum duxi, quòd juxta DD. *communiter*, Rubrica de servando colore sit duntaxat directiva, vel saltem non graviter præceptiva; è contra Rubrica de ipsis vestibus Sacerdotalibus graviter obligat; quia juxta *can. 42. dist. 1. de consecrat.* contrarium facientibus *gravis ultio imminet*; siquis tamen necessitate compulsus celebret sine stola vel manipulo, excusari potest à culpa, præsertim gravi, veluti docent Filliucius *tr. 5. c. 5. n. 15.* Layman *l. 5. tr. 5. c. 6. n. 17.* Rodriquez & alii plures, quos citat & sequitur Sporer *n. 409.*

261 Porro vestes sacerdotales mox recensitæ, debent esse benedictæ ab Episcopo vel alio, habente speciale privilegium: quale habent Superiores Regulares in ordine ad benedicenda illa paramenta Ecclesiastica, vel etiam vasa, quæ non indigent unctione chrismatis, veluti fusiùs demonstrat Reiffenstuel *lib. 3. decret. tit. 40. n. 50. & seqq.* Suarez *tom. 4. de Relig. l. 2. c. 30.* Rodriquez *QQ. Regul. tom. 1. q. 19. a. 2.*

Quæres quintò, qualis calix ad ritè sacrificandum sit necessarius, & quomodo is debeat esse instructus?

262 R. Juxta præscriptum *can. 44. & 45. dist. 1. de consecrat.* Calix cum patena, si non ex auro, omnino ex argento debet esse confectus. Pauper Ecclesia saltem stannеum calicem ha-

habeat. De ære autem vel auricalco non debet confici calix; quia ob vini virtutem ærugi-
nem cauſat, quæ vomitum provocat. Quin etiam juxta præſcriptum Miſſalis, *de defectibus Miſſæ. tit. 10.* ſufficit, ſi cuppa calicis ſit aurea, argentea, vel in Eccleſiis pauperculis ſtannea, etſi pes ejusdem de alia materia ſit confectus. Nec videtur, quo minùs in Eccleſiis pauperculis uſurpari queat calix ex alio metallo, modò talis cuppa intùs deauretur; quia tunc non ampliùs provocabit vomitum; quod unicè ſacri Canones voluêre remotum.

R. Secundò. Calix, in quo Sacerdos 263
vult celebrare, debet eſſe inſtructus 1. Purificatorio lineô. 2. Palla linea, ac benedicta. 3. Corporali ſimiliter benedicto & mundo. 4. Velô, atque burſa corporalis; quæ tamen ultima ubi de facili haberi nequeunt, ſine culpa prætermittuntur in Miſſa, etiam ex mera devotione celebranda; eò quòd hæc non ita proximè accedant ad miniſterium hujus Sacrificii, ſicut illa prius recenſita.

Quæres ſextò, qualis miniſter adhibendus ſit ad hoc divinissimum miniſterium?

R. Miniſter debet eſſe Mas, & inſuper 264
callere ſuum miniſterium in tantùm, ut poſſit reſpondere Sacerdoti: Ita *communiſsimè* DD. Barboſa *de offic. & poteſt. Parochi part. 1. c. 11. n. 40.* Sporer *n. 390. & ſeqq.* Layman, Gobat aliíque. Ratio eſt: quia Eccleſia ſapienter voluit *fœminas ab altaris miniſterio remotas, c. inhiben-*

hibendum. de cohabitat. Cleric. & Mulier. idque ob periculum alicujus motûs incontinentiæ in altaris ministerio, ait Sporer. Ex quo DD. communiter inferunt, ne quidem in Casu necessitatis ad hoc ministerium admittendam esse fœminam, nec monialem, sed præstare, ut deficiente alio ministro Sacerdos sibimet respondeat, & celebret sine omni alio ministro potiùs, quàm cum fœmina.

Quæres septimò, qualis Missa singulis diebus sit legenda?

265 R. Legenda est Missa conformis Officio, seu Breviario illius diei; ita enim præscribunt Rubricæ. Excipiendus tamen ab hac regula est Casus, quô quis legit in aliena Ecclesia, ubi celebratur solennitas, vel Festum duplex; tunc enim omnino oportet nos conformare tali Ecclesiæ, præsertim in colore, tametsi aliud Officium recitâssemus illo die, veluti decidit Sacra R. Congregatio 1668. 9. *Junii.* Excipiendum itidem est; nisi quis rationabili de causa velit dicere *Missam votivam*, aut *de Requiem* illis diebus, quibus ab Ecclesia permittitur.

Dices: quandonam ergo Ecclesia permittit legi Missam votivam, vel de Requiem?

266 R. Missam, *votivam privatam*, sicut & Missam *privatam de Requiem* legi permittit, quandocunque non est Festum duplex, aut Dominica, aut talis dies, in quo prohibetur fieri Festum de duplici. Specialiter tamen prohibentur fieri hujusmodi Missæ infra Octavas Epipha-

phaniæ, Paſchatis, & Pentecoſtes, Corporis Chriſti, & Nativitatis Domini; item in Vigiliis Nativitatis, Epiphaniæ, Pentecoſtes, nec non Feriâ quarta Cinerum, atque in tota hebdomada majori. Totum hoc aſſertum eſt commune inter DD. & continetur *in Rubricis Miſſalis. part. 1. Titul. 4. n. 3. & ſeqq.*

Dixi tamen: *Miſſam votivam privatam;* etc. 267
him Miſſas votivas ſolennes pro publica neceſſitate, v.g. avertenda peſte, fame, aut bello &c. itémque Miſſam ſolennem de Requiem, præſente tamen corpore defuncti, permittit Eccleſia in omnibus Duplicibus, quæ non ſunt primæ Claſſis, itémque in Dominicis non æquivalentibus Feſtis primæ Claſſis, utì æquivalent Dominica I. Adventûs, Quadrageſimæ, Palmarum, aliæque plures. Verùm ad hæc pleniùs addiſcenda remittimus Lectorem ad Rubricas Miſſalis, nec non ad alios Rubricistas, quorum eſt ſimilia docere ex profeſſo. Si quis tamen deſuper velit conſulere Moraliſtas, adeat P. la Croix *l. 6. p. 2. à n. 407.* item *à n. 497.* Matthæucci *in official curiæ Eccleſiaſt. c. 10. §. 2. n. 67.* Kreſslinger *cit. in Appendic. 3. add. 6. & ſeqq. ad tit. 14. diſt. 5.*

Quæres denique octavò, an, vel quomodo Sacerdos peccet, qui deliberatè non obſervat Rubricas Miſſalis?

Ante Reſponſionem rurſus ſupponendum, 268
cum *communi* DD. alias eſſe Rubricas directivas tantùm, alias etiam eſſe præceptivas. Dire-

dicuntur tantùm dicuntur, quæ solùm consulunt, quid agendum ad celebrandum cum majori decentia vel devotione &c. veluti consuluntur quædam preces ante, & post Missam à Sacerdote dicendæ: & istæ Rubricæ non obligant sub peccato, eô ipso, quòd sint duntaxat consultivæ. Præceptivæ autem appellantur, quæ vel expressè aliquid mandant sub peccato, vel saltem præscribunt & designant talem materiam, quæ aliunde, ex jure scilicet, vel consuetudine observanda est; ídque vel circa partes essentiales Missæ, utì est consecratio; vel circa integrales, utì est sumptio; vel denique circa partes duntaxat accidentales; è quibus rursus aliæ dicuntur accidentales ordinariæ, eò quòd ordinariè, ad omne Sacrificium concurrere soleant ac debeant, veluti sunt *Introitus, Oratio primaria, Epistola, Evangelium, Canon &c.* aliæ extraordinariæ appellantur, utì *Gloria, Credo, Orationes secundariæ, Præfatio extraordinaria, vel communicantes speciale*, quæ utique ordinariè non concurrunt in omni sacrificio Missæ. h. n.

269 R. 1. Qui voluntariè non observat Rubricas præceptivas circa ea, vel aliquid eorum, quæ concernunt valorem, vel saltem integritatem sacrificii, graviter peccat: idem tenendum est de eo, qui non observat Rubricas circa partes accidentales ordinarias, nisi parvitas materiæ, vel inadvertentia excuset. Et ratio est: quia talis agit contra præceptum Ecclesiæ in re

gra-

gravi; omnes enim istæ partes continentur absolutè sub rubricis præceptivis, quæ per Bullam *Quò primùm tempore* à Pio V. editam, & præfixam Missali Romano, jubentur observari in *virtute sanctæ obedientiæ*, utì observant la Croix *cit. n. 417. & 418.* Gobat *tr. 3. n. 746.*

R. secundò. Qui non observat Rubricam circa aliquid accidentale extraordinarium, per se loquendo venialiter duntaxat delinquit. Ratio est: quia *communi DD.* judiciò (cui in his moralibus multùm per omnem modum tribuendum, immò acquiescendum est) partes accidentales extraordinariæ non censentur materia adeò notabilis, ut Legislator sub gravi culpa voluerit adstringere ad earum observantiam. Ita etiam tenent la Croix *n. 420.* Gobat, Filliucius, Quarti, Sporer *n. 426.* Pasqualig. *q. 200.* 270

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici circa Altaria, Paramenta, & alia in Sacrificio Missæ observanda.

CASUS PRIMUS.

Titius Sacerdos à Kazizio Agarenorum Rege interrogatus, quam ipse artem calleret, respondit, se esse Sacerdotem, & omnes artes, Regúmque potentiam quamcunque superari suo ministerio. Rex, se intueri velle hujusmodi ministerium, & ut illud in suo conspectu celebraret, mandavit. Sacerdos è con-

tra respondit, destitui se rebus necessariis ad sacram rem peragendam. Quare Rex continuò jubet, ut è proximo Christianorum oppido peterentur, quæ ad hoc Mysterium celebrandum opportuna esse videbantur. Afferuntur ea: orsurus tamen Missam Sacerdos constitit. Causam cunctationis Regi sciscitanti, crucem deesse dixit, quæ consuêsset his ritibus, & præsertim illo die (erat festum inventionis S. Crucis) adhiberi. Vix hæc erat effatus, cùm fornice, qui altari imminebat, dehiscente magnus splendor effulsit, & per illum hiatum duo Angeli de cœlo illapsi, crucem lignea m bipalmarem deferentes, super altare paratum deposuerunt. Stupet Rex Agarenus cum suis Aulicis, tantô miraculo conspecto; fidem cum iisdem amplectitur, & sacello intra arcem constructo, angelicam illam crucem intra arcam pretiosam reponit. Ita factum hoc mirabile narrat P. Gobat *tr. 3. n. 286.* ex Ciaccono & Gretsero; cujus occasione hîc meritò moveri posset dubium, an Titius licitè Regi obtemperâsset celebrando sine cruce?

271 R. Si id fecisset ad instantiam Regis, & quidem sine contemptu aut scandalo, haudquaquam peccâsset Titius. Ratio est: quia tametsi ex præscripto Rubricarum Sacerdos celebraturus debeat habere crucem super altari positam, idque etiam juxta novissimum decretum S. R. Congregationis, editum 14. Maji 1707. tunc, quando supra altare expositum prostat Venerabile; nihilominus qui præciso omni contemptu ac scandalo absque cruce exposita ce-

celebrat, non nisi venialiter delinquit, immò ne venialiter quidem, ubi de facili crux haberi nequit: tunc enim, inquit Gobat *cit. n. 295.* satiùs est, facere Sacrum etiam ex sola devotione, quàm illud omittere ob defectum crucis: atqui Titius de facili non potuisset habere, propterèaque forsitan Angelorum ministeriô illam obtinuit: ergo ad instantiam Regis omnino licitè celebrâsset, præsertim si inde effectum tam felicem sperare licuit. Videatur de hoc Vasquez *disp. 233. n. 26.* Fagundez *de præcept. Eccles. præcept. 1. l. 3. c. 21. n. 31.*

At, inquies, sufficitnè habere solam crucem, an verò præterea debet esse expositus crucifixus supra altare?

R. Debet exponi imago crucifixi, ubi pot- 272
est de facili haberi; ita enim præscribit cæremoniale Episcoporum, & ita docent Gavant, Layman, aliique: quod & usus hodiernus, praxisque Ecclesiæ confirmat. Nihilominus cùm Missale loquatur duntaxat de cruce, & Angeli Sancti in nostro casu solam crucem, non item imaginem crucifixi asportârint Sacerdoti; ideò faciliùs permitti potest, cum sola cruce depicta in tabernaculo aut charta aliqua papyracea, quàm sine omni cruce celebrari. Immò verò Tamburinus *l. 1. c. 6.* putat, sufficere crucem vel crucifixi imaginem depictam in pariete vel tabula ad latus; consentiunt & Sporer *n. 385.* & Gobat *cit. num. 299.*

Dices adhuc: quidsi autem sub Sacrificio Missæ ventorum impetu luminaria extinguantur?

273 R. Cum Lugone, Sporer *n. 381.* la Croix *l. 6. p. 2. n. 393. & 394.* Kreslinger *cit. append. 2. addit. 3.* quòd, si Missa cum luminaribus inchoata, jam sit producta usque ad Canonem, vel etiam usque ad Offertorium, ea possit continuari etiam sine lumine; si tamen sit spes reaccensionis, debet tantisper exspectari v. g. per medium quadrantem horæ: post consecrationem autem jamjam peractam, non est opus, ut tamdiu exspectetur; quia tunc spectatis omnibus circumstantiis censetur talis reaccensio moraliter impossibilis.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius in aliena Ecclesia rem divinam facturus, sese induit sacris vestibus, oblitus tamen stolæ: inchoat proin Sacrum, nec memor, nec observans defectum stolæ: observavit tamen Parochus loci, propterea que sub tempus Evangelii eidem per suum sacristam submisit stolam. Mirabatur primùm Sempronius, deinde dubitabat, an vel quomodo illam deberet induere. Demum eam collo circumduxit, non sine notabili difficultate, mirantibus, qui aderant, factum, ejúsque causam non satis assequentibus. Quæritur jam, utrum Parochus prudenter egerit corrigendo Sempronium, eidémque stolam submittendo?

R. Quòd

R. Quòd non. Ratio eſt: quia genera- 274
tim loquendo imprudenter agimus, quando inculpabiliter errantem in re nulli prorſus nociva corrigimus, cum non levi ejusdem, fortè & aliorum incommodo: atqui illa correctio ſeu admonitio fuit in primis admodum gravis Sempronio; tum propter publicam confuſionem, tum etiam propter devotionem, haud dubiè non parùm inde impeditam: immò & ipſis aſſiſtentibus non parum incommoda fuit, ob admirationem, diſtractionem, fortè etiam riſum &c. utì ſapienter advertit Gobat *cit. n. 344.* ergo &c.

Dixi tamen: *quando inculpabiliter errantem in* 275
re, nulli prorſus noxia corrigimus &c. Secus enim reſolvendum exiſtimo, ubi talis error redundare in notabile damnum tertii, vel detrimentum honoris divini &c. præſertim ſi talis error feret cum invaliditate alicujus Sacramenti; tunc enim amor DEI, vel proximi jubent nos præferre honorem DEI noſtræ confuſioni, præſertim non adeò gravi. Hac de cauſa arbitror, prudenter ac laudabiliter egiſſe illum Cericum, qui animadvertens alium quendam Sacerdotem ad aram litando ſuper panem prœuliſſe verba calicis: *Hic eſt enim calix &c.* illico eum deſuper admonuit, etſi non ſine aliqua confuſione, quæ utique valori, honori, & reverentiæ auguſtiſſimi hujus Sacramenti poſtponenda fuit.

Dices adhuc: quidsi autem sub Sacrificio Missæ ventorum impetu luminaria extinguantur?

273 R. Cum Lugone, Sporer *n. 381.* la Croix *l. 6. p. 2. n. 393. & 394.* Kreslinger *cit. append. 2. addit. 3.* quòd, si Missa cum luminaribus inchoata, jam sit producta usque ad Canonem, vel etiam usque ad Offertorium, ea possit continuari etiam sine lumine: si tamen sit spes reaccensionis, debet tantisper exspectari v. g. per medium quadrantem horæ: post consecrationem autem jamjam peractam, non est opus, ut tamdiu exspectetur; quia tunc spectatis omnibus circumstantiis censetur talis reaccensio moraliter impossibilis.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius in aliena Ecclesia rem divinam facturus, sese induit sacris vestibus, oblitus tamen stolæ: inchoat proin Sacrum, nec memor, nec observans defectum stolæ: observavit tamen Parochus loci, propterea que sub tempus Evangelii eidem per suum sacristam submisit stolam. Mirabatur primùm Sempronius, deinde dubitabat, an vel quomodo illam deberet induere. Demum eam collo circumduxit, non sine notabili difficultate, mirantibus, qui aderant, factum, ejúsque causam non satìs assequentibus. Quæritur jam, utrum Parochus prudenter egerit corrigendo Sempronium, eidémque stolam submittendo?

R. Quòd

R. Quòd non. Ratio eſt: quia genera- 274
tim loquendo imprudenter agimus, quando inculpabiliter errantem in re nulli prorſus nociva corrigimus, cum non levi ejusdem, fortè & aliorum incommodo: atqui illa correctio ſeu admonitio fuit in primis admodum gravis Sempronio; tum propter publicam confuſionem, tum etiam propter devotionem, haud dubiè non parum inde impeditam: immò & ipſis aſſiſtentibus non parum incommoda fuit, ob admirationem, diſtractionem, fortè etiam riſum &c. utì ſapienter advertit Gobat *cit. n. 344.* ergo &c.

Dixi tamen: *quando inculpabiliter errantem in* 275
re, nulli prorſus noxia corrigimus &c. Secus enim reſolvendum exiſtimo, ubi talis error redundare in notabile damnum tertii, vel detrimentum honoris divini &c. præſertim ſi talis error feret cum invaliditate alicujus Sacramenti; tunc enim amor DEI, vel proximi jubent nos præferre honorem DEI noſtræ confuſioni, præſertim non adeò gravi. Hac de cauſa arbitror, prudenter ac laudabiliter egiſſe illum Cericum, qui animadvertens alium quendam Sacerdotem ad aram litando ſuper panem prœuliſſe verba calicis: *Hic eſt enim calix &c.* illico eum deſuper admonuit, etſi non ſine aliqua confuſione, quæ utique valori, honori, ac reverentiæ auguſtiſſimi hujus Sacramenti poſtponenda fuit.

Dices: At, fuitnè Sempronius in nostro Casu obligatus acceptare stolam sibi à Parocho subministratam, vel illam è sacristia petere, si sub Sacro animadvertisset hunc defectum?

276 R. Si Sempronius multos habuit observatores, fortè etiam obmurmuratores, sequae quam fuit obligatus; idque ob præsens periculum gravis perturbationis, oblocutionum, vel etiam illusionum statui sacerdotali minimè convenientium. At verò, si non alerant, nisi pauci, qui illud notâssent, aut certè non multùm apprehendissent, ut proin non nisi levis perturbatio aut obmurmuratio fuerit timenda, tenebatur eam acceptare, immò proprio motu postulare; tum quia juxta effatum S. Thomæ *3. p. q. 83. a. 6. ad secundum. ubi difficultas occurrit, semper accipiendum est illud, quod habet minus de periculo*; tum etiam, quia ordinariè loquendo defectus sive in agendo, sive in orando seu recitando commissi, non sunt supplendi, nisi fuerint substantiales, aut, nisi commodè suppleri queant; secus enim committeretur major deordinatio in Sacrificio, supplendo talem defectum v. g. *Gloria* vel *Credo* primùm dicendo ante, vel omnino post elevationem, quàm omnino omittendo. Videatur Gobat ubi suprà *n. 45.* Henno *disput. 11. q. 15. conclus. 2.*

CA-

Digitized by Google

CASUS TERTIUS.

Cajus Sacerdos fatetur se sæpiùs ad aram accessisse sine præparatione prævia, id est, sine accessu dicto, seu precibus ordinariè dici solitis ab aliis, proptereáque non rarò minori, quàm par erat, cum devotione celebrâsse, ita, ut aliquoties non sumpserit orationes debitas, vel certè sine ordine debito; aliquoties omiserit Gloria *vel* Credo; *aliquoties eorum oblitus, postea primùm inciderit, quòd debuisset sumere: subinde etiam omiserit* Secreta, *id est, secretas orationes de jure dicendas. Demum etiam subjungit, se assuevisse memento suum facere priùs quàm ad aram se confert, ne videretur adstantes nimiùm detinere, vel, veriùs loquendo, ut ab aliis haberetur velut homo dexter & expeditus in omnibus suis actionibus. Quid jam de Cajo tenendum, vel quomodo peccâsse judicandus est?*

R. Cajus videtur bonus politicus, non ta- 277
men bonus Sacerdos. Ratio est: quia bonus Sacerdos & fidelis Minister Christi debet potiùs attendere & curare DEI gloriam, quàm hominum benevolentiam, aut vanam gloriam inde captandam, juxta illud Apost. *Galat. 1. c. si hominibus placerem*, id est (ut exponitur ab aliis) cum detrimento divinæ gloriæ placere quærerem, *Servus Christi non essem*: at Cajus potiùs respexit homines, quàm Deum: ergo &c. Unde

278 R. Secundò. Tametsi omnes illæ negligentiæ in casu enarratæ per se loquendo (præsertim seorsim spectatæ) videantur non excedere culpam venialem; quia, ùt ex dictis *n. 268. ac seqq.* facilè patebit consideranti, omnes illi defectus, vel sunt contra rubricas directivas duntaxat, vel contra præceptivas quidem, sed non in materia gravi; consequenter per se loquendo non excedunt culpam venialem. Nihilominus, si Cajus vel ordinariè, vel saltem à potiori omittat *Gloria*, vel *Credo*, vel *Orationes secretas*, profecto satìs manifestat, res divinas parùm sibi cordi esse. Et certè cùm id faciat sine rationabili causa, convincitur quodammodo contemnere ministerium hoc omnium divinorum divinissimum; quod haud dubiè non vacat gravi culpa. Mirandum sanè nequaquam esset, si ex tali tantáque luriditate se sentiret expositum periculo gravioris lapsus: arbitror proin, Cajum, sin minùs reprehensione, certò tamen seriosa animadversione dignum, & adhortatione indigum esse. Vide Illsung *tr. 6. disp. 5. a. 6. n. 171.* la Croix *n. 419.*

Dices: at quid, si Sacerdos ex oblivione duntaxat (utì subinde fit) omittat *Credo*, vel *Communicantes extraordinarium*, & posteà primùm hujus erroris commissi recordetur?

279 R. Si primùm recordetur, posteaquam in suo Sacrificio jam aliquantulùm processit, nihil ampliùs tenetur repetere, utì jam constare debet ex dictis paulò ante *n. 276.* (multò minùs

nùs si primùm recordetur illius post Sacrificiũ jam absolutum) partim quia istiusmodi defectus non sunt substantiales: partim etiam quia similes Orationes ex præscripto Ecclesiæ ita inter se ordinatæ atque connexæ sunt, ut, si quid postea repetatur, ordo Missæ potiùs pervertatur, quàm procuretur, veluti post S. Thomam rectè notârunt Castropalao *tr. 22. pu. 11. n. 6.* Quarti, aliíque plures, quibus adstipulatur la Croix *l. 6. p. 2. n. 531.* Henno *de Eucharist. disp. 11 q. 15. concl. 2.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

COlliges ex hactenus dictis primò, Sacerdotem peccare mortaliter, si celebret in Altari non consecrato, aut in calice non consecrato. Ratio est: quia agit contra præceptum Ecclesiæ in materia gravi, veluti *ex communi* docet Sporer *n. 396.* Non tamen peccat, qui in Altari celebrat, quod probabiliter est consecratum, utputa quia is, qui consecravit, probabiliter habuit ex Privilegio potestatem consecrandi. Et ratio hujus est: quia in dubio semper præsumitur pro valore actûs: ergo à fortiori idem præsumi debet, ubi probabile est actum valuisse: ergo & in præsenti casu præsumi debet pro valore consecrationis, de cujus invaliditate; quamdiu non certò constabit, semper manebit Altare quodammodo in pos- 280

sess.

sessione suæ consecrationis. Rectè etiam la Croix *l. cit. n. 309.* cum aliis docet, Sacerdotem non teneri indagare, sitnè Altare, vel calix, in quo celebrare intendit, consecratus vel non? prudenter enim præsumere licet, esse talem; secus non exponeretur pro usu ab illis, quorum interest gerere curam.

Dices. At quid, si patena vel calix semel consecratus postea de novo inauretur, indigebitnè nova consecratione?

281 R. Quòd non. Ratio colligitur à pari: quia etiam Ecclesia non reputatur execrata, vel indigens nova consecratione ex eo, quòd in parietibus de novo dealbetur, aut novo cœmento superinduatur. Suaderem tamen, ut, ubi facilè id fieri potest, fiat, vel petatur fieri nova consecratio; quia opposita sententia suis non caret fundamentis, utì videre licet apud Reiffenstuel *lib. 1. Decret. tit. 16. à n. 31.* Certum tamen habetur ab omnibus, purificatoria, pallas, & corporalia vi lotionis non execrari. Oportet nihilominus ea, priúsquam Personis Laicis quibuscunque demum, etiam Monialibus lavanda extraduntur, ab aliquo in Ordinibus constituto lavari. Layman *l. 5. c. 6. n. 7.* Sporer *n. 395.* Busenbaum apud la Croix *n. 255.*

282 Colliges secundò, Vestes, & alia Paramenta Ecclesiastica suam deperdere benedictionem, quando ita immutantur, ut vel amittant pristinam formam, utpota si ex stola fiat manipu-

pulus, vel ex caſula detrita ſtola &c. Vel ſi cingulum ita frangatur, ut neutra pars ſufficiat ad cingendum Sacerdotem. Secus dicendum, ſi altera pars ſufficiat ad cingendum utcunque dicto modo, tunc enim non cenſetur amiſiſſe benedictionem, poteritque huic pars minor rurſus conjungi velut acceſſorium principali. Vide Kreislinger *cit. append. 3. addit. 1. R. 3.* Sporer *n. 413.* Laym. *cit. c. 6.* Gavant *in Rubric. p. 2. tit. 1. litt. R.* Quocirca DD. *citt.* advertunt, mortaliter peccare ſacriſtas, qui veſtes & Paramenta valde immunda, ita, ut dedeceant notabiliter majeſtatem tanti miniſterii, non curant lavari priùs, quàm in iis denuo ſacrificetur.

Colliges tertiò, etiam illos graviter delin- 283
quere, qui ſcienter omittunt totam Epiſtolam cum Graduali & aliis ſtrophis accommodatis. Item, qui omittunt Evangelium cum Offertorio, aut quamlibet periodum in Canone (qui, juxta *communem* DD. apud Herinex *diſp. 8. n. 163.* incipit ab illis verbis: *Te igitur Clementiſſime Pater*, & finit ad *Pater noſter.*) Ratio eſt: quia hæ partes, etſi accidentales, ſunt tamen ordinariæ, & quidem notabiles, juxta DD. *communiter.* Secus dicendum, ſi quis omitteret ſolùm *Kyrie eleiſon*, vel *Orationem ordinariam*, vel *unam aut alteram benedictionem ſuper oblata &c.* vel *unum duntaxat verbulum in Canone &c.* quia hujusmodi partes, etſi ordinariæ, non tamen reputantur materia gravis, ut tenent multi DD.

DD. Vide Sporer *n.* 425. vel Kreslinger *cit. Appendic. 3. addit. 11. ad tract. 14. dist. 5. q. 10.* R. P. *Reiffenstuel.*

284 Colliges quartò, probabiliter non peccare graviter sacerdotem, qui in Sacrificio Missæ omitteret *Gloria*, aut *Credo*, vel alium etiam Rhytmum extraordinarium e. g. *Lauda Syon, victimæ Paschali*, vel *veni Creator &c.* Ita Henno *cit.* la Croix *n.* 420, aliíque plures. Ratio est: quia hujusmodi partes sunt accidentariæ duntaxat, & quidem extraordinariæ, propterèaque communi DD. judiciô non reputantur materia gravis. Fatendum tamen est, per accidens saltem de facili posse in his etiam incurri gravem culpam, vel ratione scandali, vel ratione contemptûs, qui quasi semper interveniet, ubi talis omissio præmeditatè contingit; cùm nulla prorsus causa rationabilis videatur, ob quam omitti deberent.

Dices adhuc. Sed quid agendum, casu quo Sacerdos certò prævidet, fore, ut in Sacrificio unam, alteramvè Cæremoniam, aut actionem observare nequeat?

285 R. In eo casu attendendum atque ponderandum esse, ex una parte gravitatem Cæremoniarum intermittendarum, ex altera verò parte necessitatem celebrandi, quæ, si præponderet, consultiùs erit celebrare, quàm abstinere: Secus, si præponderet gravitas Cæremoniarum, & non adeò gravis urgeat necessitas: quia tunc nulla supperetet causa sufficiens contraveniendi

di institutionibus Ecclesiasticis. Major itaque necessitas requiritur ad non observandas Rubricas præceptivas, quàm ad non observandas merè directivas, utì facilè patebit ponderanti hactenus dicta. Suarez, Tambur. Gobat *n. 743.* la Croix *ubi suprà n. 426.* Kressling. *addit. 12.* Ex his

Colliges tandem quintò, Infirmis, qui de- 286
fectu virium nequeunt elevare hostiam, vel ob vertiginem nequeunt se ad populum vertere dicendo *Dominus vobiscum &c.* haudquaquam subtrahendum esse hoc solatium, sed potiùs permittendum tutâ conscientia, ut saltem in loco privato v. g. in infirmaria, vel alia Capella aut Oratorio celebrent. Ratio est: quia, ùt sapienter advertit Gobat jam sæpiùs *cit. tr. 3. n. 745.* ex una parte modò specificati defectus non videntur tales tantíque momenti, ut propter eos Sacerdos infirmus fructu sacrificii, animæ solatio (quô præ cæteris indigent infirmi) & jure sacrificandi jam aquisito, privari deberet. Ex altera tamen parte obviandum est, quoad commodè possumus, scandalo & admirationi plebis, propterea áque in actibus tam publicis non debemus quasi jure nostro recedere à regulis communibus. Si tamen urgeat necessitas celebrandi v. g. ob penuriam alterius vel aliorum sacerdotum, simúlque plebs instruatur & doceatur, hujusmodi omissiones fieri ob solam infirmitatem, de facili credo, obviabitur scandalo. Vide etiam la Croix *lib. 6. part. 2.*

n. 427.

n. 427. Verùm pro pleniori notitia & confirmatione hactenus dictorum operæ pretium duxi in fine hujus Tractationis de Sacrificio Missæ subnectere Rubricas Missalis *de Defectibus in Celebratione Missarum occurrentibus*, eo præsertim, quòd pauci Tyrones Missalia, aliumvè librum, unde sequentes Regulas sanè notabilissimas commodè addiscere valeant, habere noscantur. Præfatæ igitur Rubricæ de verbo ad verbum ita sonant.

De Defectibus in Celebratione Missarum occurrentibus. I.

287 SAcerdos celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Evchariſtiæ conficiendum. Potest autem defectus contingere ex parte materiæ consecrandæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte Ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, & Ordo sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscunque aliis deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alii verò sunt Defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere.

De

De Defectibus materiæ. II.

Defectus ex parte materiæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim, ut sit panis triticeus, & vinum de vite: & ut hujusmodi materia consecranda, in actu consecrationis sit coram sacerdote.

De Defectu panis. III.

1. Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus; non conficitur Sacramentum.

2. Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est, an conficiatur.

3. Si cœperit corrumpi, sed non sit corruptus; similiter si non sit azymus, secundùm morem Ecclesiæ latinæ; conficitur, sed conficiens graviter peccat.

4. Si celebrans ante consecrationem adverterit hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam; remotâ illa hostia, aliam ponat, & facta oblatione saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit.

5. Si id adverterit post consecrationem, etiam post illius hostiæ sumptionem, positâ alia, faciat oblationem ùt suprà, & à consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis: *Qui pridie quàm paterentur*, & illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis, & Sangui-

nis, vel alii ſumendam tradat, vel alicubi reverenter conſervet. Si autem ſumpſerat, nihilominus ſumat eam, quam conſecravit: quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris eſt ponderis, quàm quòd à jejunis ſumatur.

6. Quòd ſi hoc contingat, poſt ſumptionem Sanguinis, apponi debet rurſus novus panis, & vinum cum aqua; & facta priùs oblatione ùt ſuprà, Sacerdos conſecret, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie*, ac ſtatim ſumat utrumque, & proſequatur Miſſam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus ſervetur ordo.

7. Si hoſtia conſecrata diſpareat, vel caſu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri: tunc altera conſecretur, ab eo loco incipiendo, *Qui pridie quàm pateretur*, facta ejus priùs oblatione ùt ſuprà.

De Defectu vini. IV.

1. Si vinum ſit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, ſeu non maturis expreſſum, vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum ſit corruptum; non conficitur Sacramentum.

2. Si vinum cœperit aceſcere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel muſtum de uvis tunc expreſſum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua roſacea, ſeu alterius diſtillationis, conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat.

3. Si

3. Si celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in calice; debet statim apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ùt suprà, consecrare incipiendo ab illis verbis *Simili modo &c.*

4. Si post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam; deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & consecret, resumendo à verbis prædictis, *Simili modo.*

5. Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ; apponat aliam hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, & consecret, & sumat, quamvis non sit jejunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione ùt suprà, consecrare, ac statim sumere, & prosequi cætera.

6. Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel aliàs corruptum, idem servetur quod suprà, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in calice,

7. Si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba consecra-

tionis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.

8. Si materia, quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis vel vini non posset ullo modo haberi; si id sit ante consecrationem Corporis, ulteriùs procedi non debet: si post consecrationem Corporis aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, alterâ jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, & Missa absolvenda; ita tamen ut prætermittantur verba, & signa quæ pertinent ad speciem deficientem. Quòd si exspectando aliquamdiu haberi possit, exspectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum.

De Defectibus formæ. V.

1. Defectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis, quæ sunt forma hujus Sacramenti, sunt hæc: *Hoc est enim corpus meum.* Et, *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis, & Sanguinis, & in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si verò aliquid adderet, quod signi-

significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissimè peccaret.

2. Si celebrans non recordetur se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei constat, se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cætera prosequatur per ordinem. Si verò valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse; iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulteriùs.

De Defectibus Ministri. VI.

Defectus ex parte Ministri possunt contingere quoad ea, quæ in ipso requiruntur. Hæ autem sunt: inprimis intentio, deinde dispositio animæ, dispositio corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso quoad ea, quæ in ipso possunt occurrere.

De Defectu intentionis. VII.

1. Si quis non intendit conficere, sed delusoriè aliquid agere. Item si aliquæ hostiæ ex oblivione remaneant in altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat, cùm non intendat consecrare, nisi quas videt. Item si quis habeat coram se undecim hostias, & intendat consecrare solùm decem, non determinans quas decem intendit; in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans

esse quidem decem, tamen omnes voluit consecrare quas coram se habebat: nam tunc omnes erunt consecratæ; atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.

2. Si Sacerdos putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Quòd si deprehendat post sumptionem Corporis & Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem sacrificium spectant.

3. Si verò relicta sit hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat: si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in altari supra Corporale decenter opertam, sumendam unà cum altera, quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice seu patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculum reponatur, vel ab altero sumatur; quod si non habeat quomodo honestè conservetur, potest eam ipsemet sumere.

4. Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cùm accedens ad altare intendat facere, quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum; etsi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.

De

De Defectibus dispositionis animæ. VIII.

1. Si quis suspensus, excōmmunicatus, degradatus, irregularis, vel aliàs canonicè impeditus celebret, conficit quidem Sacramentum, sed gravissimè peccat, tam propter Communionem, quam indignè sumit, quàm propter executionem Ordinum, quæ sibi erat interdicta.

2. Si quis habens copiam confessoris celebret in peccato mortali, graviter peccat.

3. Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secùs si conteratur: debet tamen cùm primùm potetit, confiteri.

4. Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, & satisfaciendi.

5. Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere.

De Defectibus dispositionis corporis. IX.

1. Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ vel

alterius potûs, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcunque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.

2. Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat: sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

3. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cùm non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.

4. Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, & in ultima tantùm percipiat purificationem.

5. Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à communione, & celebratione, nisi aliud confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare

&

& celebrare; nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

De Defectibus in ministerio ipso occurrentibus. X.

1. Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo, vel in Altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto: si non adsint luminaria cerea: si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem communiter: si celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit: si omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus: si vestes sacerdotales, & mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ: si non adsit Clericus, vel alius deserviens in Missa, vel adsit, qui deservire non debet, ùt mulier: si non adsit calix cum patena convenient, cujus cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea; non ærea vel vitrea: si corporalia non sint munda, quæ debent esse ex lino, nec setico in medio ornata, & ab Episcopo vel ab alio hanc habente potestatem benedicta, ùt etiam superiùs dictum est: si celebret capite cooperto sine dispensatione: si non adsit Missale: licèt memoriter sciret Missam, quam intendit dicere.

2. Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem verò Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.

3. Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa: si post consecrationem Corporis tantùm, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeò tamen ut possit communicare, & non adsit alia hostia consecrata, Sacerdos qui Missam supplet, dividat hostiam, & unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolatâ forma Corporis obiit Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. Si verò obîerit semiprolatâ forma Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eundem calicem repetat integram formam, vel ab eo loco, *Simili modo postquam cœnatum est*, vel posset super alium calicem præparatum integram formam proferre, & Hostiam primi Sacerdotis, & Sanguinem à se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum semiconsecratum.

4. Si

4. Si quis extra hujusmodi caſus neceſſitatis, integra Sacramenta non ſumpſerit, graviſſimè peccat.

5. Si muſca vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in calicem ante conſecrationem, projiciat vinum in locum decentem, & aliud ponat in calice, miſceat parum aquæ, offerat ùt ſuprà, & proſequatur Miſſam: ſi poſt conſecrationem ceciderit muſca, aut aliquid ejusmodi, & fiat nauſea Sacerdoti, extrahat eam, & lavet cum vino, finitâ Miſſa comburat, & combuſtio ac lotio hujusmodi in ſacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nauſea, nec ullum periculum timeat, ſumat cum Sanguine.

6. Si aliquod venenoſum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum conſecratum reponendum eſt in alio calice, & aliud vinum cum aqua apponendum, denuò conſecrandum: & finita Miſſa Sanguis repoſitus in panno lineo, vel ſtuppa tamdiu ſervetur, donec ſpecies vini fuerint deſiccatæ, & tunc ſtuppa comburatur, & combuſtio in ſacrarium projiciatur.

7. Si aliquod venenatum contigerit hoſtiam conſecratam, tunc alteram conſecret, & ſumat modô, quo dictum eſt, & illa ſervetur in tabernaculo loco ſeparato, donec ſpecies corrumpantur, & corrupta deinde mittantur in ſacrarium.

8. Si ſumendo Sanguinem, particula remanſerit in calice, digito ad labium calicis eam

addu-

adducat, & ſumat ante purificationem, vel infundat vinum, & ſumat.

9. Si hoſtia ante conſecrationem inveniatur fracta, niſi populo evidenter appareat, talis hoſtia conſecretur: ſi autem ſcandalum populo eſſe poſſit, alia accipiatur, & offeratur: quòd ſi illius hoſtiæ jam erat facta oblatio, eam poſt ablutionem ſumat. Quòd ſi ante oblationem Hoſtia appareat confracta, accipiatur altera integra, ſi citra ſcandalum, aut longam moram fieri poterit.

10. Si propter frigus, vel negligentiam, Hoſtia conſecrata dilabatur in calicem, propterea nihil eſt reiterandum; ſed Sacerdos Miſſam proſequatur, faciendo cæremonias, & ſigna conſueta cum reſidua parte Hoſtiæ, quæ non eſt madefacta ſanguine, ſi commodè poteſt. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, ſed omnia dicat, omittendo ſigna, & ſumat pariter Corpus & Sanguinem, ſignans ſe cum calice, & dicens: *Corpus & Sanguis Domini noſtri &c.*

11. Si in hieme Sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis: ſi id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare; dummodo in calicem non intret, donec liquefiat.

12. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Chriſti ceciderit, ſi quidem ſuper terram, ſeu ſuper tabulam, lingua lambatur, & locus ipſe radatur, quantum ſatis eſt, & abraſio comburatur, cinis verò in ſacrarium recondatur. Si

verò

verò super lapidem altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, & locus benè abluatur, & ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum altaris, & ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium: linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, calice supposito, & aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quòd si in ipso solùm corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, & ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, benè abluatur, ùt suprà.

13. At si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, & de effuso reliquo Sanguine fiat, ùt dictum est. Si verò nihil omnino remansit, ponat iterum vinum, & aquam, & consecret ab eo loco: *Simili modo postquam cœnatum est*, facta priùs tamen calicis oblatione, ùt suprà.

14. Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integræ apparent, reverenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratæ cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in sacrarium projiciantur. Quòd si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in sacrarium mittantur.

15. Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus ubi cecidit, mundetur; & aliquan-

quantulum abradatur, & pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium mittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, & lotio ipsa in sacrarium effundatur.

16. Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus & cæremonias ipsas in eo servandas: de quibus omnibus in superioribus Rubricis copiosè dictum est.

CONFERENTIA VIGESIMA PRIMA.

DE

Sacramento Ordinis in genere, nec non de singulis Ordinibus in specie.

SUMMARIUM.

1. Nomine Ordinis ùt sic, intelligitur quidam gradus Clericorum.
2. Reipsâ autem Ordo est verum Sacramentum N. Legis.
3. Ab ipsomet Christo in ultima cœna institutum.

4. Se-

4. Septem dantur Ordines; è quibus

5. Tres dicuntur majores, & ſacri: quatuor autem appellantur minores, & non ſacri.

6. Epiſcopatus eſt Ordo inadæquatè tantùm diſtinctus à Presbyteratu, quippe quem includit eſſentialiter.

7. Probabiliùs omnes, & ſinguli Ordines, etiam minores ſunt Sacramentum:

8. Quô non obſtante Ordo ùt ſic dicitur unum è reliquis ſeptem Sacramentis.

9. Generatim loquendo materia remota Ordinis dicitur illa res, per cujus traditionem confertur poteſtas ſpiritualis: proxima eſt ipſa traditio: forma verò conſiſtit in certis verbis ab Epiſcopo prolatis, quibus ſignificat poteſtatem illam &c.

10. & ſeqq. breviter recenſentur materiæ, formæ, & officia ſingulorum Ordinum.

18. Ad validam Ordinationem probabiliùs requiritur contactus phyſicus materiæ, ita, ut non ſufficiat moralis.

19. Prima Tonſura quid ſit?

20. Et quinam ſint hujus effectus?

21. Privilegium Canonis, quid importet?

22. Et quænam requirantur, ut Tonſurati illo gaudeant?

23. Reſolvitur Caſus I. de quodam Clerico ſcrupuloſiſſimo, qui ſub actuali collatione Presbyteratûs videbatur ſibi revocâſſe intentionem ſuſcipiendi.

24. Quô non obſtante videtur probabiliſſimum, intentionem non defuiſſe ex parte ipſius. Unde

25. Eſto

25. Esto in hoc casu Ordo Presbyteratûs sub conditione fuerit iteratus, pro majori securitate, nihilominus

26. Titius potuisset se probabiliter practicè resolvere, & ministrare in Ordine suscepto, etiam non repetita priùs ordinatione.

27. Resolvitur Casus II. cujusdam Episcopi, qui conferendo Ordines, alicui Subdiaconando calicem cum vino, & alteri Presbyterando calicem sine vino per errorem porrexit.

28. Talis error fuit corrigendus, & saltem Presbyter sub conditione reordinandus.

29. Quô modo defectus in collatione Ordinum commissi sint emendandi, & supplendi?

30. Resolvitur Casus III. cujusdam Subdiaconi, dubitantis de valore Subdiaconatûs, eô quòd hunc susceperit animô non se obligandi ad castitatem ex voto servandam; qui

31. Etsi stante tali dubio susceperit reliquos Ordines, propterea tamen nullam incurrit suspensionem, vel irregularitatem.

32. Quidnam teneatur facere Episcopus, qui post exercitos jam actus suo Ordini proprios, primùm incipit dubitare de valore sui Ordinis Episcopalis?

33. Et quid teneatur agere Presbyter in pari dubio fluctuans?

34. Datur inter Ordines quædam subordinatio, vî cujus inferior suscipi debet ante superiorem.

35. Suscipiens Ordinem quemcunque tandem in statu disgratiæ, probabiliùs peccat mortaliter.

36. Quô modo Laici fungantur ministeriis Minoristarum?

37. Or-

37. Ordinatio Presbyteri, facta sine porrectione panis, probabiliùs est nulla.
38. Qui voluntariè negligit contactum physicum materiæ, peccat graviter.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de validitate Ordinum.

QUæres primò, quid nomine Ordinis ùt sic intelligatur?

R. Nomine Ordinis hîc intelligitur certus 1
quidam gradus Clericorum, ad specialia officia Ecclesiastica consecratorum. Dupliciter autem sumi potest Ordo. 1. activè, pro ipsa scilicet ordinatione, seu institutione alicujus personæ in certo quodam gradu præeminenti Ecclesiæ: & hoc modô sumptus Ordo, sortitur veram rationem Sacramenti, utì mox patebit. 2. Ordo sumi potest passivè, pro ipsa scilicet dignitate & potestate Ecclesiastica, vi ordinationis alicui personæ collata: quô sensu dicere solemus v. g. Petrum habere Ordinem Presbyteratûs. Hoc autem posteriori modo sumptus Ordo non est Sacramentum; quia hoc consistit in aliqua actione transeunte: sed potiùs est effectus, ex præterita ordinatione relictus in eo, qui Ordinem suscepit.

Quæres secundò, quid sit Ordo quoad rem ipsam?

2 R. Ordo re ipsa est Sacramentum. N. Legis, quò confertur potestas spiritualis ad aliquod ministerium circa Evchariſtiam dignè exhibendum. 2. Estque hoc Sacramentum à Chri-
3 sto Domino institutum in ultima Cœna. Ita *DD. communissimè.* Ratio prioris delumitur ex Tridentino *ſſ. 23. cap. 1. & can. 3.* ubi ait: *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verè, & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum, anathema sit*: Cujus ulterior ratio inde patet; quia Ordinatio est actio sensibilis, stabilis, ac permanens, & ex divina institutione causativa gratiæ, juxta illud Apostoli *2. ad Timoth. 1. Admoneo te, ut resuscites gratiam DEI quæ est in te per impositionem manuum mearum &c.* At actio sensibilis &c. causativa gratiæ ex opere operato, est Sacramentum: ergo. Ratio secundæ partis itidem habetur decisa in eodem Tridentino *cit. 3. ſſ 22. c. 1. & can. 1.* Idque propterea: quia Christus in ultima Cœna consecravit suos Apostolos, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem*; quod est idem ac dicere: *Sicut ego conficio Evchariſtiam, eámque offero, ita vobis impertior potestatem conficiendi eandem, & offerendi in Sacrificium Missæ*: sed hoc erat conferre Apostolis Ordinem Presbyteratûs: ergo &c. Ex quo DD unanimiter inferunt, quòd Christus tunc utendo potestate excellentiæ, Apostolis con-

contulerit ſimul omnes reliquos Ordines; quandoquidem omnes reliqui ſub Presbyteratu ceu principali comprehendantur, & omnes ſuo modô participent poteſtatem aliquam circa Evchariſtiam, prout amplius conſtabit ex dicendis de ſingulis in individuo. Vid. Filliucius *tr. 9. c. 1. n. 3.* Babenſtuber *tr. 8 part. 5. diſp. 11. art. 1. n. 3.*

Quæres tertiò, quot Ordines ſint, ſeu dentur in Eccleſia?

R. Septem Ordines dantur in Eccleſia, ſcilicet Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Ita Concilium Trident ſſ. *23 can. 2.* ubi ait: *Si quis dixerit, præter ſacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines & Majores, & Minores, per quos velut per gradus quosdam in ſacerdotium tendatur; anathema ſit.* Eadem verò Seſſione cap. 2. expreſſis verbis docet, hanc Ordinum pluralitatem contineri ſequentibus ſeptem Gradibus, nempe Oſtiarii, Lectoris Exorciſta, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri. Vid. Concilium loc. cit. 4

Illud tamen notatu dignum hìc occurrit, quòd poſteriores tres Ordines ſcilicet Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus appellari conſueverint *Majores & Sacri;* tum quia in majori & altiori dignitatis gradu collocant Ordinatum; tum etiam, quia habent ſibi annexum votum caſtitatis, per quod Ordinati 5

Deo quodam modo consecrantur; tum etiam, quia propiùs accedunt ad Sacramenti Eucharistiæ confectionem. Reliqui verò quatuor dicuntur Ordines *Minores, & non Sacri*, non ideo quia non sunt Cæremonia Sacra, sed quia remotiùs ad confectionem Eucharistiæ concurrunt, nec habent annexum votum castitatis, Ordinatúmque in gradu longè inferiori constituunt, veluti communissimè advertunt DD. Sporer *Theol. Sacram. part. 1. c. 5. n. 8.* Layman. *lib. 5. tr. 9. c. 3. n. 2.*

Dices: Ergone Episcopatus non est Ordo?

6 R. Est Ordo, & quidem cæteris dignior; tum quia Episcopum constituit in gradu digniori Ecclesiæ; tum etiam, quia per eum confertur specialis potestas, conficiendi scilicet, & administrandi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis: quia tamen non continet potestatem specialem circa Eucharistiam, distinctam ab ea, quam habet Presbyter; nec potest validè conferri, nisi Sacerdoti; hinc non reputatur Ordo simpliciter, & adæquatè distinctus à Presbyteratu, sed solùm inadæquatè, velut totum à sua parte, velut includens ab incluso, scilicet sacerdotio. Videatur Cardinal. de Lauræa *disp. 4. de Sacram. Ord. n. 57.* vel Clericat. *de Sacram. Ordin. decis. 3. n. 31.*

7 Quæres quartò, sintnè prædicti Ordines omnes, etiam Minores Sacramentum?

R Affirmativè. Ita satis *communiter DD.*

Et

Et quidem de Presbyteratu res velut de fide decisa est. Quòd autem cæteri etiam Ordines sint verum Sacramentum, colligitur partim ex Concilio Florentino in decreto Unionis, nec non ex Tridentino *ss. 23. c. 2. & Can 3.* ubi absolutè, & absque ulla limitatione definitur, *Ordinem, seu sacram Ordinationem esse Sacramentum, simúlque dicitur &c. esse septem Ordines in Ecclesia Dei*; partim etiam ex eo, quòd omnes & singuli Ordines habeant suam determinatam materiam, & formam, propriámque significationem. Insuper singuli Ordines imprimunt specialem, ac diversum characterem, diversámque potestatem conferunt, qua ratione etiam sunt iterabiles: atqui character est effectus proprius Sacramenti: ergo singuli sunt Sacramentum. Vid. D. Bonavent. *4. dist. 24. p. 2. a. 1. q. 2.* Reiffenstuel *dist. 12. n. 15.*

Dices: Si omnes & singuli Ordines sunt Sacramentum, necessariò admittenda erunt plura, quàm septem Sacramenta: hoc autem videtur repugnare orthodoxæ fidei: ergo.

R. Vel negando simpliciter, vel distinguendo majorem: admittenda erunt plura, quàm septem, si numerentur singuli Ordines in specie infima, cohc, si Ordo ùt sic numeretur, pro una duntaxat specie subalterna, prout revera è reliquis Sacramentis est una species subalterna; id est, sub se continens & complectens plures ordines, specie infima inter se differentes, neg. maj cum conf. Omnes igitur 8

septem Ordines dicuntur unum è reliquis Sacramentum; tum quòd omnes conveniant in eo, quòd sint quædam cæremonia sacra; tum etiam, quòd omnes tendant ad eundem finem, scilicet ad dignè administrandam, aut tractandam Eucharistiam.

Quæres quintò, quænam sit materia, & quænam forma Sacramenti Ordinis?

R. Generatim loquendo materia Ordinis censetur illa res, per cujus traditionem confertur potestas spiritualis, veluti docet Concil. Florentinum in decreto Unionis. Unde Theologi communiter distinguunt materiam cujuslibet Ordinis in *remotam*, & *proximam*. Remotam appellant illam rem, quæ ab Episcopo traditur Ordinando, ad significandam certam potestatem, uti est v. g calix cum vino in Presbyteratu. Proxima autem consistit in ipsa traditione v. g. Calicis, quippe per quam significatur, quòd Ordinando talis potestas tradatur. Porro forma Ordinis cujuscunque sunt illa verba, quibus Episcopus ordinans unà cum traditione materiæ significat, quænam potestas Ordinando tradatur; ut dum porrigendo calicem cum vino dicit ad Presbyterum: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missásque celebrandi tam pro vivis, quàm defunctis in nomine Domini.*

Quæres sextò, quænam sit materia, forma, & officia singulorum Ordinum in specie?

R.

R. 1. Materia Oſtiariatûs eſt traditio cla 10
vium Eccleſiæ per manus Epiſcopi. Forma
ſunt illa verba ab Epiſcopo profata: *Sic agite, quaſi rationem reddituri DEO pro iis rebus, quæ his clavibus reluduntur.* Officium Oſtiarii eſt 1. claves templi cuſtodire. 2. Ejus januam claudere. 3. Cymbalum & campanam pulſare. Ita Pontificale Romanum, & Catechismus Romanus.

R. 2. Materia Lectoratûs eſt traditio libri 11
Prophetiarum. Forma ſunt hæc verba: *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter, & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio bene miniſtraverunt.* Officium Lectoris eſt 1. Prophetias, vel alias Scripturas Sacras in Eccleſia legere, vel etiam cantare. 2. Catechumenos docere Rudimenta fidei.

R. 3. Exorciſtatûs materia eſt, traditio li- 12
bri Exorcismorum. Forma ſunt hæc verba: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſive baptizatos, ſive Catechumenos.* Officium Exorciſtæ eſt 1. imponere manus ſuper Energumenos (id eſt, obſeſſos à dæmonibus), & 2. adarcendos dæmones ſuper eos invocare nomen Domini, legeréque Exorcismos Eccleſiæ, 3. Eosdémque præparare ita, ut Sacris intereſſe poſſint.

R. 4. Materia Acolythatûs eſt duplex: 13
una traditio candelabri cum cereo extincto,

cui correspondet hæc forma: *Accipite candelabrum cum cereo, & sciatis, vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari.* Altera est traditio Urceoli vacui cum hac forma: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.* Utraque hæc materia seorsim sumpta, dicitur materia inadæquata, simul autem sumptæ constituunt unam materiam adæquatam. Idipsum suo modô dicendum est de materiis Subdiaconatûs, Diaconatûs, & Presbyteratûs. Porro officia Acolythorum sunt sequentia 1. luminaria Ecclesiæ accendere, ac præparare ad Sacrificium. 2. Portare cereum accensum ad altare, præsertim tunc, quando Evangelium sub Missa canitur. 3. Ampullas vini & aquæ ad Missæ Sacrificium præparare & ministrare.

14 R. 5. Materia Subdiaconatûs pariter duplex est. Una consistit in traditione calicis vacui cum patena vacua, & hac forma: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Altera consistit in traditione libri Epistolarum, cui correspondet sequens forma: *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis &c.* Officia Subdiaconi sunt 1. Sacra vasa, calicem scilicet & patenam ad usum sacrificii præparare, & ad altare deferre. 2. Diacono in altaris ministerio inservire. 3. in

in Missa Epistolam solenniter (id est, cum insigni proprio Subdiaconatûs, quod est Manipulus) cantare. 4. Pallas altaris, item corporalia, calices & patenas abluere, ipsámque lotionis aquam in Sacrarium fundere.

R. 6. Materia Diaconatûs etiam duplex est; 15
una impositio manûs dexteræ Episcopi cum hac formula: *Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini.* Altera est traditio libri Evangeliorum cum hac forma: *Accipe* (si unus duntaxat ordinetur, vel si plures, utì fieri assolet) *accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia DEI, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.* Officia Diaconi sunt sequentia. 1. Sacerdoti in Missæ Sacrificio immediatè assistere, ei ministrando panem & vinum ad conficiendam Evchariſtiam, 2. Evangelium in Missa solenniter (hoc est, cum insigni suo Ordini proprio, scilicet stola transversim ab humero sinistro ad latus dextrum ducta) cantare. 3. De Parochi licentia solenniter (id est cum debitis cæremoniis ab Ecclesia institutis) baptizare. 4. Ex facultate Episcopi verbum Dei populo prædicare.

R. septimò. Materia Presbyteratûs itidem 16
duplex est, prima, traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia superpositâ; cui correspondet hæc formula: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium DEO, Missásque celebrandi tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.*

adducat, & ſumat ante purificationem, vel infundat vinum, & ſumat.

9. Si hoſtia ante conſecrationem inveniatur fracta, niſi populo evidenter appareat, talis hoſtia conſecretur: ſi autem ſcandalum populo eſſe poſſit, alia accipiatur, & offeratur: quòd ſi illius hoſtiæ jam erat facta oblatio, eam poſt ablutionem ſumat. Quòd ſi ante oblationem Hoſtia appareat confracta, accipiatur altera integra, ſi citra ſcandalum, aut longam moram fieri poterit.

10. Si propter frigus, vel negligentiam, Hoſtia conſecrata dilabatur in calicem, propterea nihil eſt reiterandum; ſed Sacerdos Miſſam proſequatur, faciendo cæremonias, & ſigna conſueta cum reſidua parte Hoſtiæ, quæ non eſt madefacta ſanguine, ſi commodè poteſt. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, ſed omnia dicat, omittendo ſigna, & ſumat pariter Corpus & Sanguinem, ſignans ſe cum calice, & dicens: *Corpus & Sanguis Domini noſtri &c.*

11. Si in hieme Sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis: ſi id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare; dummodo in calicem non intret, donec liquefiat.

12. Si per negligentiam aliquid de Sanguine Chriſti ceciderit, ſi quidem ſuper terram, ſeu ſuper tabulam, lingua lambatur, & locus ipſe radatur, quantum ſatis eſt, & abraſio comburatur, cinis verò in ſacrarium recondatur. Si

verò

verò super lapidem altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, & locus benè abluatur, & ablutio in sacrarium projiciatur. Si super linteum altaris, & ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium: linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, calice supposito, & aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quòd si in ipso solùm corporali, aut si in vestibus ipsis sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, & ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, benè abluatur, ùt suprà.

13. At si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, & de effuso reliquo Sanguine fiat, ùt dictum est. Si verò nihil omnino remansit, ponat iterum vinum, & aquam, & consecret ab eo loco: *Simili modo postquam cœnatum est*, facta priùs tamen calicis oblatione, ùt suprà.

14. Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integræ apparent, reverenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratæ caute separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in sacrarium projiciantur. Quòd si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in sacrarium mittantur.

15. Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, & locus ubi cecidit, mundetur; & aliquan-

quantulum abradatur, & pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium mittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, & lotio ipsa in sacrarium effundatur.

16. Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus & cæremonias ipsas in eo servandas: de quibus omnibus in superioribus Rubricis copiosè dictum est.

CONFERENTIA VIGESIMA PRIMA.

DE

Sacramento Ordinis in genere, nec non de singulis Ordinibus in specie.

SUMMARIUM.

1. Nomine Ordinis ùt sic, intelligitur quidam gradus Clericorum.
2. Reipsâ autem Ordo est verum Sacramentum N. Legis.
3. Ab ipsomet Christo in ultima cœna institutum.

4. Se-

4. Septem dantur Ordines; è quibus

5. Tres dicuntur majores, & ſacri: quatuor autem appellantur minores, & non ſacri.

6. Epiſcopatus eſt Ordo inadæquatè tantùm diſtinctus à Presbyteratu, quippe quem includit eſſentialiter.

7. Probabiliùs omnes, & ſinguli Ordines, etiam minores ſunt Sacramentum:

8. Quô non obſtante Ordo ùt ſic dicitur unum è reliquis ſeptem Sacramentis.

9. Generatim loquendo materia remota Ordinis dicitur illa res, per cujus traditionem confertur poteſtas ſpiritualis: proxima eſt ipſa traditio: forma verò conſiſtit in certis verbis ab Epiſcopo prolatis, quibus ſignificat poteſtatem illam &c.

10. & ſeqq. breviter recenſentur materiæ, formæ, & officia ſingulorum Ordinum.

18. Ad validam Ordinationem probabiliùs requiritur contactus phyſicus materiæ, ita, ut non ſufficiat moralis.

19. Prima Tonſura quid ſit?

20. Et quinam ſint hujus effectus?

21. Privilegium Canonis, quid importet?

22. Et quænam requirantur, ut Tonſurati illo gaudeant?

23. Reſolvitur Caſus I. de quodam Clerico ſcrupuloſiſſimo, qui ſub actuali collatione Presbyteratûs videbatur ſibi revocâſſe intentionem ſuſcipiendi.

24. Quô non obſtante videtur probabiliſſimum, intentionem non defuiſſe ex parte ipſius. Unde

25. Eſto

25. Esto in hoc casu Ordo Presbyteratûs sub conditione fuerit iteratus, pro majori securitate, nihilominus

26. Titius potuisset se probabiliter practicè resolvere, & ministrare in Ordine susceptо, etiam non repetita priùs ordinatione.

27. Resolvitur Casus II. cujusdam Episcopi, qui conferendo Ordines, alicui Subdiaconando calicem cum vino, & alteri Presbyterando calicem sine vino per errorem porrexit.

28. Talis error fuit corrigendus, & saltem Presbyter sub conditione reordinandus.

29. Quô modo defectus in collatione Ordinum commissi sint emendandi, & supplendi?

30. Resolvitur Casus III. cujusdam Subdiaconi, dubitantis de valore Subdiaconatûs, eô quòd hunc susceperit animô non se obligandi ad castitatem ex voto servandam; qui

31. Etsi stante tali dubio susceperit reliquos Ordines, propterea tamen nullam incurrit suspensionem, vel irregularitatem.

32. Quidnam teneatur facere Episcopus, qui post exercitos jam actus suo Ordini proprios, primùm incipit dubitare de valore sui Ordinis Episcopalis?

33. Et quid teneatur agere Presbyter in pari dubio fluctuans?

34. Datur inter Ordines quædam subordinatio, vi cujus inferior suscipi debet ante superiorem.

35. Suscipiens Ordinem quemcunque tandem in statu disgratiæ, probabiliùs peccat mortaliter.

36. Quô modo Laici fungantur ministeriis Minoristarum?

37. Or-

Digitized by Google

37. Ordinatio Presbyteri, facta sine porrectione panis, probabiliùs est nulla.
38. Qui voluntariè negligit contactum physicum materiæ, peccat graviter.

§. I.

Præmittuntur, & breviter resolvuntur Quæsita, scitu necessaria ad debitè resolvendos Casus practicos de validitate Ordinum.

QUæres primò, quid nomine Ordinis ùt sic intelligatur?

R. Nomine Ordinis hîc intelligitur certus quidam gradus Clericorum, ad specialia officia Ecclesiastica consecratorum. Dupliciter autem sumi potest Ordo. 1. activè, pro ipsa scilicet ordinatione, seu institutione alicujus personæ in certo quodam gradu præeminenti Ecclesiæ: & hoc modô sumptus Ordo, sortitur veram rationem Sacramenti, utì mox patebit. 2. Ordo sumi potest passivè, pro ipsa scilicet dignitate & potestate Ecclesiastica, vi ordinationis alicui personæ collata: quô sensu dicere solemus v. g. Petrum habere Ordinem Presbyteratûs. Hoc autem posteriori modo sumptus Ordo non est Sacramentum; quia hoc consistit in aliqua actione transeunte: sed potiùs est effectus, ex præterita ordinatione relictus in eo, qui Ordinem suscepit. 1

Quæres secundò, quid sit Ordo quoad rem ipsam?

2 R. Ordo re ipsa est Sacramentum. N. Legis, quò confertur potestas spiritualis ad aliquod ministerium circa Evchariſtiam dignè exhibendum. 2. Estque hoc Sacramentum à Chri-
3 sto Domino institutum in ultima Cœna. Ita *DD. communissimè.* Ratio prioris delumitur ex Tridentino *ſſ. 23. cap. 1. & can. 3.* ubi ait: *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verè, & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum, anathema sit*: Cujus ulterior ratio inde patet; quia Ordinatio est actio sensibilis, stabilis, ac permanens, & ex divina institutione causativa gratiæ, juxta illud Apostoli 2. *ad Timoth. 1. Admoneo te, ut resuscites gratiam DEI quæ est in te per impositionem manuum mearum &c.* At actio sensibilis &c. causativa gratiæ ex opere operato, est Sacramentum: ergo. Ratio secundæ partis itidem habetur decisa in eodem Tridentino *cit. 3. ſſ 23. c. 1. & can. 1.* Idque propterea: quia Christus in ultima cœna consecravit suos Apostolos, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem*; quod est idem ac dicere: *Sicut ego conficio Evchariſtiam, eámque offero, ita vobis impertior potestatem conficiendi eandem, & offerendi in Sacrificium Missæ*: sed hoc erat conferre Apostolis Ordinem Presbyterarûs: ergo &c. Ex quo DD unanimiter inferunt, quòd Christus tunc utendo potestate excellentiæ, Apostolis con-

contulerit ſimul omnes reliquos Ordines; quandoquidem omnes reliqui ſub Presbyteratu ceu principali comprehendantur, & omnes ſuo modô participent poteſtatem aliquam circa Evcharistiam, prout amplius conſtabit ex dicendis de ſingulis in individuo. Vid. Filliucius *tr. 9. c. 1. n. 3.* Babenſtuber *tr. 8 part. 5. diſp. 11. art. 1. n. 3.*

Quæres tertiò, quot Ordines ſint, ſeu dentur in Eccleſia?

R. Septem Ordines dantur in Eccleſia, ſcilicet Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Ita Concilium Trident. *ſſ. 23 can. 2.* ubi ait: *Si quis dixerit, præter ſacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines & Majores, & Minores, per quos velut per gradus quosdam in ſacerdotium tendatur; anathema ſit.* Eadem verò Seſſione cap. 2. expreſſis verbis docet, hanc Ordinum pluralitatem contineri ſequentibus ſeptem Gradibus, nempe Oſtiarii, Lectoris Exorciſta, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri. Vid. Concilium loc. cit. 4

Illud tamen notatu dignum hìc occurrit, quòd poſteriores tres Ordines ſcilicet Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus appellari conſueverint *Majores & Sacri*; tum quia in majori & altiori dignitatis gradu collocant Ordinatum; tum etiam, quia habent ſibi annexum votum caſtitatis, per quod Ordinati 5

Deo quodam modo consecrantur; tum etiam, quia propiùs accedunt ad Sacramenti Eucharistiæ confectionem. Reliqui verò quatuor dicuntur Ordines *Minores, & non Sacri*, non ideo quia non sunt Cæremonia Sacra, sed quia remotiùs ad confectionem Eucharistiæ concurrunt, nec habent annexum votum castitatis, Ordinatúmque in gradu longè inferiori constituunt, veluti communissimè advertunt DD. Sporer *Theol. Sacram. part. 1. c. 5. n. 8.* Layman. *lib. 5. tr. 9. c. 3. n. 2.*

Dices: Ergone Episcopatus non est Ordo?

6 R. Est Ordo, & quidem cæteris dignior; tum quia Episcopum constituit in gradu digniori Ecclesiæ; tum etiam, quia per eum confertur specialis potestas, conficiendi scilicet, & administrandi Sacramenta Confirmationis, & Ordinis: quia tamen non continet potestatem specialem circa Eucharistiam, distinctam ab ea, quam habet Presbyter; nec potest validè conferri, nisi Sacerdoti; hinc non reputatur Ordo simpliciter, & adæquatè distinctus à Presbyteratu, sed solùm inadæquatè, velut totum à sua parte, velut includens ab incluso, scilicet sacerdotio. Videatur Cardinal. de Lauræa *disp. 4. de Sacram. Ord. n. 57.* vel Clericat. *de Sacram. Ordin. decis. 3. n. 31.*

7 Quæres quartò, sintnè prædicti Ordines omnes, etiam Minores Sacramentum?

R Affirmativè. Ita saltem *communiter DD.*

Et

Et quidem de Presbyteratu res velut de fide decisa est. Quòd autem cæteri etiam Ordines sint verum Sacramentum, colligitur partim ex Concilio Florentino in decreto Unionis, nec non ex Tridentino *ſſ. 23. c. 2. & Can 3.* ubi absolutè, & absque ulla limitatione definitur, *Ordinem, seu sacram Ordinationem esse Sacramentum, simúlque dicitur &c. esse septem Ordines in Ecclesia Dei*; partim etiam ex eo, quòd omnes & singuli Ordines habeant suam determinatam materiam, & formam, propriámque significationem. Insuper singuli Ordines imprimunt specialem, ac diversum characterem, diversámque potestatem conferunt, qua ratione etiam sunt initerabiles: atqui character est effectus proprius Sacramenti: ergo singuli sunt Sacramentum. Vid. D. Bonavent. *4. dist. 24. p. 2. a. 1. q. 2.* Reiffenstuel *dist. 12. n. 15.*

Dices: Si omnes & singuli Ordines sunt Sacramentum, necessariò admittenda erunt plura, quàm septem Sacramenta: hoc autem videtur repugnare orthodoxæ fidei: ergo.

R. Vel negando simpliciter, vel distinguendo majorem: admittenda erunt plura, quàm septem, si numerentur singuli Ordines in specie infima, conc. si Ordo ùt sic numereturpro una duntaxat specie subalterna, prout revera è reliquis Sacramentis est una species subalterna; id est, sub se continens & complectens plures ordines, specie infima inter se differentes, neg. maj cum cons. Omnes igitur 8

septem Ordines dicuntur unum è reliquis Sacramentum; tum quòd omnes conveniant in eo, quòd sint quædam cæremonia sacra; tum etiam, quòd omnes tendant ad eundem finem, scilicet ad dignè administrandam, aut tractandam Eucharistiam.

Quæres quintò, quænam sit materia, & quænam forma Sacramenti Ordinis?

9 R. Generatim loquendo materia Ordinis censetur illa res, per cujus traditionem confertur potestas spiritualis, veluti docet Concil. Florentinum in decreto Unionis. Unde Theologi communiter distinguunt materiam cujuslibet Ordinis in *remotam*, & *proximam*. Remotam appellant illam rem, quæ ab Episcopo traditur Ordinando, ad significandam certam potestatem, utì est v. g calix cum vino in Presbyteratu. Proxima autem consistit in ipsa traditione v. g. Calicis, quippe per quam significatur, quòd Ordinando talis potestas tradatur. Porro forma Ordinis cujuscunque sunt illa verba, quibus Episcopus ordinans unà cum traditione materiæ significat, quænam potestas Ordinando tradatur; ut dum porrigendo calicem cum vino dicit ad Presbyterum: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missásque celebrandi tam pro vivis, quàm defunctis in nomine Domini.*

Quæres sextò, quænam sit materia, forma, & officia singulorum Ordinum in specie?

R.

R. 1. Materia Ostiariatûs est traditio cla- 10
vium Ecclesiæ per manus Episcopi. Forma sunt illa verba ab Episcopo prolata: *Sic agite, quasi rationem reddituri DEO pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Officium Ostiarii est 1. claves templi custodire. 2. Ejus januam claudere. 3. Cymbalum & campanam pulsare. Ita Pontificale Romanum, & Catechismus Romanus.

R. 2. Materia Lectoratûs est traditio libri 11
Prophetiarum. Forma sunt hæc verba: *Accipite, & estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter, & utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei ab initio bene ministraverunt.* Officium Lectoris est 1. Prophetias, vel alias Scripturas Sacras in Ecclesia legere, vel etiam cantare. 2. Catechumenos docere Rudimenta fidei.

R. 3. Exorcistatûs materia est, traditio li- 12
bri Exorcismorum. Forma sunt hæc verba: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete potestatem imponendi manus super Energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos.* Officium Exorcistæ est 1. imponere manus super Energumenos (id est, obsessos à dæmonibus) & 2. adarcendos dæmones super eos invocare nomen Domini, legereque Exorcismos Ecclesiæ, 3. Eosdemque præparare ita, ut Sacris interesse possint.

R. 4. Materia Acolythatûs est duplex: 13
una traditio candelabri cum cereo extincto,

cui correspondet hæc forma: *Accipite candelabrum cum cereo, & sciatis, vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari.* Altera est traditio Urceoli vacui cum hac forma: *Accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.* Utraque hæc materia seorsim sumpta, dicitur materia inadæquata, simul autem sumptæ constituunt unam materiam adæquatam. Idipsum suo modô dicendum est de materiis Subdiaconatûs, Diaconatûs, & Presbyteratûs. Porro officia Acolythorum sunt sequentia 1. luminaria Ecclesiæ accendere, ac præparare ad Sacrificium. 2. Portare cereum accensum ad altare, præsertim tunc, quando Evangelium sub Missa canitur. 3. Ampullas vini & aquæ ad Missæ Sacrificium præparare & ministrare.

14 R. 5. Materia Subdiaconatûs pariter duplex est. Una consistit in traditione calicis vacui cum patena vacua, & hac forma: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Altera consistit in traditione libri Epistolarum, cui correspondet sequens forma: *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis &c.* Officia Subdiaconi sunt 1. Sacra vasa, calicem scilicet & patenam ad usum sacrificii præparare, & ad altare deferre. 2. Diacono in altaris ministerio inservire. 3. in

in Missa Epistolam solenniter (id est, cum insigni proprio Subdiaconatûs, quod est Manipulus) cantare. 4. Pallas altaris, item corporalia, calices & patenas abluere, ipsámque lotionis aquam in Sacrarium fundere.

R. 6. Materia Diaconatûs etiam duplex est; 15
una impositio manûs dexteræ Episcopi cum hac formula: *Accipe Spiritum Sanctum, ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini.* Altera est traditio libri Evangeliorum cum hac forma: *Accipe* (si unus duntaxat ordinetur, vel si plures, utì fieri assolet) *accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia DEI, tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.* Officia Diaconi sunt sequentia. 1. Sacerdoti in Missæ sacrificio immediatè assistere, ei ministrando panem & vinum ad conficiendam Evchatistiam, 2. Evangelium in Missa solenniter (hoc est, cum insigni suo Ordini proprio, scilicet stola transversim ab humero sinistro ad latus dextrum ducta) cantare. 3. De Parochi licentia solenniter (id est cum debitis cæremoniis ab Ecclesia institutis) baptizare. 4. Ex facultate Episcopi verbum Dei populo prædicare.

R. septimò. Materia Presbyteratûs itidem 16
duplex est, prima, traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia superposita; cui correspondet hæc formula: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium DEO, Missásque celebrandi tam pro vivis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.*

Secunda, est impositio manuum Episcopi super caput Ordinandi, cum hac forma: *Accipe Spiritum Sanctum quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* Officia Sacerdotis sunt sequentia 1 consecrare Corpus & Sanguinem Christi. 2. absolvere fideles à peccatis. 3. reliqua Sacramenta (exceptâ Confirmatione & Ordine) dignis administrare. 4. Benedicere, baptizare, ac populum Dei opere, doctrinâ, & exemplô pascere, aliisque pietatis operibus vacare.

17 R. Tandem octavò. Materia Episcopatûs est impositio manuum Episcopalium: forma verò sunt illa verba ex Pontifical: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Officium autem Episcopi est 1. administrare Sacramenta, præsertim Confirmationis & Ordinis. 2. Pascere gregem sibi concreditum tum verbo, tum etiam exemplo, juxta illud monitum Apostoli *Act. 20. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI.*

Quæres septimò, quô modo Ordinandus debeat materiam sibi ab Episcopo porrectam tangere, an scilicet physicè, vel moraliter duntaxat v.g extendendo manum versus illam?

18. R. Probabilius requiritur necessariò etiam necessitate Sacramenti contactus physicus (etsi speculativè loquendo aliqui putent sufficere contactum moralem.) Ratio autem nostræ re-

responsionis est hæc: quia traditio & acceptatio sunt correlativa: ergo quemadmodum requiritur traditio physica ex parte Episcopi ordinantis; ita & physica acceptatio, seu tactus ex parte Ordinati, sine quo non videtur practicè satis verificari ly *accipe*, inquit Babenstuber *de Sacram. Ordin. disp. 11. a. 3. n. 20.* Quod vel ex eo etiam confirmari potest: quia in aliis Sacramentis in usu consistentibus necessaria est physica applicatio materiæ: ergo & in hoc. Videatur de hoc Castropalao *tr. 27. disp. un. pu. 4. n. 22.* Bohacin. *disp. 8. q. un. puncto 2. n. 11.*

Quæres adhuc octavò, quid sit prima Tonsura, & quinam sint hujus effectus?

R. ad primum. Prima Tonsura, prout de- 19
facto ex instituto Ecclesiæ confertur, aptè describitur, quòd sit levis detonsio capillorum, ab Episcopo (vel alio Prælato) Cæremoniis Ecclesiasticis facta, quâ masculus tyrocinio mysteriorum Dei initiatur. Ita Sporer ubi suprà *c. 6 n. 158. ex communi*. Hæc igitur prima Tonsura non est sacramentum, neque est verus Ordo, sed potiùs quædam dispositio ad Ordines. Ratio est: quia non habet materiam & formam propriè dictam, nec per eam confertur gratia sanctificans, aut character, vel potestas spiritualis, sed disponitur homo duntaxat, & initiatur, velut quidam Tyro, in ordine ad alios gradus Ecclesiasticos cum tempore obtinendos.

R.

20 R. ad secundum. Effectus primæ Tonsuræ sunt præcipuè quatuor. 1. Vi hujus homo deputatur ad canendum in Ecclesia, quâ ratione in antiquis Conciliis tonsurati appellantur *Psalmistæ*. 2. Vi hujus homo è statu Laicali quodammodo extrahitur, elevatur, & redditur proximè capax ad suscipiendos Ordines. 3. Homo fit capax beneficii, & jurisdictionis Ecclesiasticæ. 4. Tonsurati incipiunt gaudere Privilegiis Clericalibus, præsertim duobus, scilicet Privilegio *Fori & Canonis*.

21 Privilegium Canonis in eo consistit, quòd Tonsuratus fiat quodammodo immunis ab omni violentia externa, seu violenta manuum injectione, ita, ut is qui violentiam externam inferret (nisi in quibusdam Casibus jure expressis) ipso facto incurreret excommunicationem latæ sententiæ, veluti statuitur *can. si quis suadente. 17. q. 4.* Privilegium autem fori in eo situm est, quòd talis Clericus sit exemptus ab omni potestate, seu jurisdictione sæculari *can. si Imperator. dist. 96.* propterea quæ non ampliùs potest à Judice Sæculari in judicium trahi, incarcerari, vel puniri, sed debet tradi Judici Ecclesiastico.

22 Quocirca tamen P. Reiffenstuel *Tract. 14. dist. 12. n. 11.* Clericatus *de Ordin. decis. 3. n. 14.* aliique DD. communiter advertunt, ad hoc, ut Tonsuratus gaudere possit mox dictis privilegiis, desiderari sequentes conditiones. 1. Ut habeat beneficium Ecclesiasticum; vel

2. Cle-

2. Clericalem habitum & tonſuram portans, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat; vel 3. in Seminario Clericorum, vel in aliqua Schola vel Univerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad ſuſcipiendos majores Ordines verſetur, utì ſtatuit Concilium Trident. *ſſ. 23. de Reform. c. 6.* Aliqui huic Privilegio adnumerant exemptionem à Gabellis & Tributis, Principibus Sæcularibus præſtandis. Verùm huic Privilegio multùm hodie derogatum fuiſſe, docet quotidiana praxis. An benè? Viderint illi, quorum intereſt.

§. II.

Proponuntur, & breviter reſolvuntur Caſus practici, de Validitate, vel invaliditate Ordinum.

CASUS PRIMUS.

Titio homini ſcrupuloſiſſimo, ad ſacrum Presbyteratûs Ordinem accedenti, ſub actuali ordinatione, & ultima manuum Epiſcopalium impoſitione venit in mentem hæc cogitatio (procul dubio à dæmone ſuggeſta, quia omnino falſa) Tu non es in ſtatu gratiæ, & tamen audes ſuſcipere hoc Sacramentum? *Unde ſubitaneo timore velut quodam fulmine percuſſus, videtur ſibi revocâſſe intentionem ſuſcipiendi Presbyteratum, ne ſcilicet committeret Sacri-*

crilegium. *Nihilominus existimat, immò verò certò sibi persuadet, se mox revocâsse priorem suam intentionem suscipiendi, & priùs quidem, quàm Episcopus complèverat illa verba formulæ:* Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt. *Dubitat jam vehementer 1. quid de Valore Ordinis sic suscepti sibi sit tenendum? & 2. an tuta conscientia posset quempiam absolvere (jam enim est approbatus pro cura) aut saltem celebrare Sacrum? Quid respondendum Titio interroganti?*

23 R. ad hunc Casum primò. Si certò constaret de revocatione intentionis, ordinatio probabiliùs fuisset nulla, idque defectu voluntarii, seu etiam intentionis ex parte suscipientis necessariò requisitæ pro eo instanti, pro quo ordinatio fit. Quo supposito dicendum foret, Titium ne validè quidem, multò minùs licitè posse quempiam absolvere. Ratio est clara: quia absolutio à peccatis essentialiter supponit potestatem Ordinis in Corpus Christi mysticum, quæ confertur in actuali manuum Episcopalium impositione, cum illa formula: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata &c.* Atqui hanc potestatem Titius non obtinuit, si supponatur revocâsse suam intentionem, & voluntatem recipiendi: ergo &c. Unde ex hac suppositione ulteriùs dicendum foret, Titium equidem validè consecraturum, quia potestas in Corpus Christi verum eidem fuit validè collata: cúmque hæc non depen-

deat

deat ab illa altera in Corpus Christi mysticum; hinc planè nihil omnino obstat, quin validè celebraret, & per consequens stipendium pro tali Sacrificio sibi oblatum rutâ conscientia retinere posset. Nihilominus in his circumstantiis celebrando peccaret mortaliter toties, quoties; idque hac ratione: quia saltem ex jure humano, quoad hoc graviter obligante, *cap. Presbyter de Sacram. non iterand.* Item *cap. Pastoralis. eod. tit.* tenetur procurare suppletionem talis defectus, utpote versantis circa aliquid substantiale, veluti reste Gobat *Theolog experim. tr. 8. n. 226.* unanimiter tenent Canonistæ, & Theologi, nominatim Scotus *4. dist. 24. q. 1.* Sylvester *V. Irregularitas q. 12.* Sanchez *Consil. lib. 7. c. 1. dub. 13.* la Croix *l. 6. p. 2. n. 2204 & 2204.* Clericatus *de Sacram. Ordin. decis. 33. n. 23.* ergo.

Dixi tamen notanter: *Si certò constaret de revocatione &c.* Unde

R. secundò. Mihi probabilissimum; & pro- 24
pe certum videri, Titium nunquam revocâsse suam intentionem, ideóque & validè fuisse ordinatum; idque colligo ex eo, quòd voluntariè accesserit nedum examen, sed etiam Ordinationem, animô suscipiendi Presbyteratum; & licèt videatur sibi revocâsse suam intentionem, non tamen est verosimile, quòd seriò, efficaciter & deliberatè eam revocaverit, prout vel inde conjecturare licet, quòd fateatur se statim iterum renovâsse priorem intentionem.

Un-

Unde quemadmodum verè scrupulosi sæpissimè quidem putant, se consensisse in peccatum, ubi tamen consensum nunquam præbuerunt; ita procul dubio Titius noster, utpote Scrupulosissimus mortalium, videbitur sibi revocâsse intentionem, esto reipsa illam nunquam revocaverit. Et certè talis revocatio parùm conduxisset ad evitandum Sacrilegium. Accedit, quòd certò asseveret, se pro illo instanti (extrinseco scilicet Sacramenti) quô potestas spiritualis confertur, habuisse intentionem actualem suscipiendi. Et certè in scrupulosis rarò oriri solet prudens motivum de Valore suscepti Ordinis, utì sapienter notârunt Bardi, Gobat, & la Croix *cit. n. 2159.* Qua de causa Navarr. *lib. 1. Consil Tit. de Sacram. non iterand. Consil. 5. & 6.* apud Gobat *l. cit. n. 225.* in simili casu rectè scribit de hujuscemodi Scrupuloso, *eum propterea, quòd habuerit scrupulum, nolendi, & volendi Ordines, & quasdam trepidationes scrupulosorum, non esse censendum, non accepisse Ordines, immò judicandum potiùs, quòd acceperit eos, calcatis scrupulis injectis à dæmone, transformante se in Angelum lucis.*

Dices: Ergonè Titius noster non bene ageret, petendo iteratam manuum impositionem ab Episcopo, saltem sub conditione faciendam *si prior non valuisset?*

25 R. Equidem propterea minimè laudandum arbitror; sed neque vituperandum: immò verò hanc ei gratiam fuisse præstitam, certò novi.

vi, idque partim propter pericula animarum, ex invaliditate Presbyteratûs (sicut & Episcopatûs) oriri nata; partim etiam ad eum liberandum à perpetuo illo tyranno, conscientiæ scilicet stimulo, identidem eidem sine intermissione ingeminante hanc cantilenam: *Tu non es legitimè ordinatus, & tamen celebras; per consequens toties quoties committis sacrilegium, hominibus causam idololatrandi præbes, irregularitatem, & excommunicationem incurris &c.* & alia huiusmodi sexcenta, quibus scrupulosi etiam sine fundamento mirum in modum exagitari solent. Tametsi pariter haud ignorem, hanc repetitionem Sacræ Ordinationis Titio in hunc finem (ad eximendos scilicet scrupulos) minimè profuisse, quippe ex qua mox incidit in alios scrupulos sine fine; id quod eidem antè prædixeram, probè gnarus, scrupulosos nequaquam corrigi ex eo, quòd dictamina sua sequantur, & expleant, sed ex eo potiùs, quòd eisdem directè sese opponant, & contraveniant.

Dices iterum. Ergonè Titius non petita Ordinis iteratione licitè exercuisset præfatum Ordinem, consecrando, absolvendo &c.

R. Probabiliter potuisset se practicè resol- 26
vere, & consecrare turâ conscientiâ; nam quemadmodum is, qui post contractum ma-

trimonium incipit dubitare de valore sui matrimonii, tutâ conscientiâ se potest resolvere ad usum hujus, saltem in eo casu, quô non potest venire in certam notitiam invaliditatis, quippe in quo potiùs præsumitur pro valore, quàm pro nullitate actûs, suffragante actuali possessione matrimonii; ita sanè in nostro proposito Titius se posset tutâ conscientiâ resolvere, præsertim in casu, quô iterationem Ordinis tam facilè obtinere non posset. Idipsum docet Gobat *cit. tr. 8. n. 204.* ubi de simili (sine sufficienti fundamento) scrupuloso dubitantio ait: *Unica ergo ratio* (quòd talis teneatur procurare repetitionem sui Ordinis) *est charitas debita proximo. Unde consequenter infero* (pergit idem) *fas esse tali Sacerdoti sacrificare, quamdiu per ipsum non stat, quô minùs iterum ordinetur sub conditione, privatim pro se;* Ita Gobat *l. cit.* Vide etiam ea, quæ habet *n. 197.*

CASUS SECUNDUS.

SEmpronio *Episcopo* (*nescio quô fato, aut cujus incuria*) *contigit, ut cuidam Subdiaconando porrigeret calicem cum vino, & patena vacua; è contra alteri Presbyterando porrexit calicem vacuum cum patena, & hostia superposita. At verò nondum finita Ordinatione sacra, Cæremomarum Magister animadvertit errorem, móxque dubitatum fuit 1. quid de valore præfatorum Ordinum esset tenen-*

tenendum, & 2. quid in his circumstantiis foret agendum? Quid respondendum huic Cæremoniarum Magistro?

R. ad primum. Ordo Subdiaconatûs, non 27
obstante præfato errore, probabiliter fuit validus, non item Ordo Presbyteratûs. Ratio disparitatis est hæc: quia per traditionem calicis Episcopus sufficienter significavit, & expressit potestatem subdiacono conferendam: quòd autem in calice simul fuerit vinum, in hunc finem merè per accidens se habuit, unde hôc loco rectè applicatur illa notissima Regula 37. *Jur. in 6. Utile per inutile non vitiatur*: atqui calix fuit utilis ad collationem Subdiaconatûs: ergo &c. Econtra per solum calicem sine vino juxta plurimorum DD. opinionem non sufficienter exprimitur potestas consecrandi Sanguinem Christi, quæ tamen in collatione Presbyteratûs necessariò significanda est, & exprimenda: ergo Ordo Presbyteratûs hoc modô collatus meritò vocatur in dubium. Et ita tenent Bosco *part 4. disp. 10. n. 111.* Babenstuber *tr. 8. part. 5 disp. 11. a 3. n. 15.* Tannerus *tom 4. d 7 q. 2. dub. 4. n 98.* Gobat *n. 98.* ubi etiam mox subdit, talem Sacerdotem dubiè ordinatum (quoad potestatem hanc in Corpus Christi verum, peccaturum contra justitiam, si accepto stipendio sacrificaret pro aliquo; nam generatim loquendo iniquè decipit homines, qui non habens

moralem certitudinem de validitate sui Ordinis Presbyteralis, petit, accipitve stipendium ab ignaris deficientis hujus certitudinis.

28 R. ad secundum. Talis error quantocyùs fuit corrigendus, & Presbyter ille reordinandus per traditionem calicis cum vino. Ratio petenda est ex communi doctrina Theologorum, juxta quam, si constet vel Ordinem aliquem fuisse nulliter collatum, vel certè omissam fuisse aliquam notabilem cæremoniam, debet, quamprimùm est possibile, hujuscemodi defectus suppleri, & quidem ab eodem Episcopo, qui cæteros ritus adhibuit, idque per se loquendo, eodem tempore, quô confertur talis Ordo, nisi excuset ratio scandali, infamiæ, aut alterius extrinseci gravis incommodi: at, in nostro casu fuit intermissum aliquid notabile, scilicet vinum in calice, scandalum verò ex tali suppletione illicò factæ vel nullum orietur, vel certè non adeò grave: ergo statim supplendus erat iste defectus. Videatur de hoc Clericatus *decis. 33. n. 6. 7.* item *n. 23.* Gobat *n. 232.* la Croix *n. 2200.* qui mox *n. 2204. & 2205.* rectè monet, in hoc casu etiam esse repetendam traditionem patenæ cum hostia, sicut & secundam manuum impositionem, quippe quæ essentialiter præsupponit illam potestatem priorem in Corpus Christi verum; ergo cùm de valore hujus potesta-

testatis in nostro casu dubitetur, immò verò multi negent, posse cuipiam conferri potestatem consecrandi Corpus, & non etiam Sanguinem Christi, hinc meritò concluditur, repetendam esse Ordinationem ex integro.

Dices adhuc. Quô modo autem corrigendi sunt defectus in Ordinatione commissi?

R. breviter cum Doctoribus mox *citt. l.* 29 quòd si supplendus sit aliquis actus Ordinationis, necessariò debeant iterari formæ, & orationes illi actui correspondentes: & si pars formæ sit omissa, debet repeti tota forma. 2. Si defectus fuit occultus, occultè est supplendus, ad vitandum scandalum, & turbationem aliorum. 3. Si ob solum dubium sub conditione iteretur Ordo vel cæremonia aliqua, potest iterari à quovis Episcopo, quovis die, in privato sacello, & quidem uno, eodémque die omnes simul, tam majores, quàm minores Ordines eidem conferri possunt, nec adhibendæ sunt solennitates ordinariæ, præter illas, quæ sunt probabiliter necessariæ ad valorem. Vide de hoc la Croix *cit. l. 6. p. 2. n. 2200.*

CASUS TERTIUS.

CAjus fragilitatis suæ sibi conscius, intendit quidem suscipere Subdiaconatum, non tamen seſe obligare votô castitatis, ne postea votifragus gravius delinqueret: at, post exiguum tempus facti pœnitens, exercuit actum Ordinis suscepti, solenniter ministrando. Posteà ritè ordinatus fuit Diaconus & Presbyter. Modô autem dubius hæret, an debeat petere iterationem Subdiaconatûs vel non. 2. an stante hoc dubio practico de validitate suscepti Ordinis solenniter ministrando, non inciderit suspensionem, vel irregularitatem aliquam? Quid Cajo respondendum?

30 R. ad primum quæsitum. Ordo Subdiaconatûs certò valuit. Ratio est: quia cùm votum sit à valore Ordinis aliquid realiter distinctum & separabile; hinc potuit Cajus validissimè intendere unum, scilicet Ordinem, & non alterum, scilicet votum. Consequenter nullatenus tenetur petere repetitionem hujus Ordinis, licèt vi præcepti Ecclesiastici maneat obligatus ad seſe obstringendum voto perpetuæ castitatis, veluti communiter tenent Doctores, nominatim Hurtadus, Tamburinus *lib. 7. cap. 3. §. 3. n. 10.* & Sporer *Theol. Sacr. p. 1. c. 6. n. 182* Quin immò, tametsi forsitan Subdiaconatum validè non suscepisset (de quo tamen minimè dubitandum) illum nihilominus suppleret Ordo Presbyteratûs, quippe in quo eminenter includitur. Cúmque aliunde ex invaliditate Subdiaconatûs

tûs non ſint nata oriri alia animarum damna (ſicuti ſolent oriri ex invaliditate Presbyteratûs, & Epiſcopatûs, ſecundùm dicta) hinc Cajus nequaquam tenetur ſibi providere de repetitione Subdiaconatûs. Secus diſcurrendum foret, caſu quo certò conſtaret de invaliditate ſuſcepti Ordinis. Ita in re S. Thomas *3. part. q. 33. a. 5.* Bardi *de conſcient. diſcept. 6. cap 11. part. 6. §. 2.* Diana *part. 5. tr. 13. reſolut. 47.* Lugo, Oviedo, & alii plures, quos refert, & ſequitur Gobat *tr. 8. n. 191.*

R. jam ad ſecundum quæſitum. Cajus nec 31
ſuſpenſionem incurrit, nec irregularitatem, tameſi ſtante dubio practicô ſolenniter miniſtraverit. Ratio eſt: quia hujusmodi pœnæ in dubio non contrahuntur, neque præſumuntur contractæ (excepto duntaxat dubio de homicidio) veluti ex communi DD. latè probat Sanchez *in decal. lib. 1. c. 10.* atqui in noſtro caſu nulla habetur certitudo de invaliditate Ordinis, ſed potiùs de valore, de quo vix, aut ne vix quidem dubitare licet. & per conſequens an irregularitatem aliquam incurrerit: ergo dicendum, quòd nullam inciderit. Vide la Croix *cit. n. 2203. fin.*

Dices adhuc: at quid agendum, caſu quô Epiſcopus, vel etiam Sacerdos jam exercuit actus ſuo Ordini proprios, utputa ordinando, conſecrando, vel abſolvendo &c. ex poſt facto autem fiunt certi de nullitate, vel ſaltem rationabiliter dubii de valore Ordinis à ſe ſuſcepti?

32 R. 1. Si Episcopus fiat certus de nullitate sui Ordinis, tenetur per se loquendo omnes à se Ordinatos desuper admonere, ut sibi provideant de repetitione Ordinis nulliter suscepti. Et idem dicendum est, casu quo Episcopus sit certus, quòd aliquos (præsertim Presbyteros) malè, & invalidè ordinaverit, ad avertenda alia innumera mala, tenetur procurare, ut tales reordinentur. Si verò advertat, se errâsse circa sola accidentalia parvi momenti, dissimulet; si circa ea, quæ sunt majoris momenti, & nequeat sine suo probro supplere publicè, suppleat privatim; etenim qui non potest facere aliquid eo modô, quo debet, debet saltem illud facere eo modô, quo potest. At verò, si solùm dubitet, an non erraverit in quibusdam accidentalibus, non videtur mens Ecclesiæ, illum obligare ad ullam iterationem; quia cùm hæc nunquam fiat sine plurium perturbatione, non est hoc certum incommodum suscipiendum vel subeundum propter incertum, & nemini noxium defectum *c. ubi periculum. de elect. in sexto.* Vide etiam Quintannadvennam *singul. tr. 6. singul. 3. n. 6.* Gobat *tr. 8. n. 236.*

33 R. 2. Sacerdos veniens in notitiam de invaliditate Presbyteratûs à se susceptî, unde unde demum hæc proveniat, tenetur præ primis procurare, ut reordinetur. Secundò. Quandoquidem hactenus defectu Ordinis Sacrificium verum DEO offerre non potuerit; hinc

tene-

tenetur postea, sive per se, sive per alium, supplere omnia illa Sacra, ad quæ ex justitia hactenus fuit obligatus. 3. Similiter dicendum, quòd per se loquendo teneretur admonere pœnitentes invalidè absolutos, quatenus sua peccata gravia velint rursus confiteri alteri, in ordine ad obtinendam absolutionem directam ab illis, si eam hactenus nunquam obtinuissent; quia tamen id valde grave accideret tum Sacerdoti, tum etiam pœnitentibus, hinc plerúmque ab hoc onere excusandus est & absolvendus. Cæterùm reliquos actus à charactere Sacerdotali non dependentes, utì est, v. g. assistere matrimonio &c. non tenetur supplere, si eos exercuit bona fide, & cum titulo colorato; quia hoc supposito fuerunt validi. Vide *DD. mox citatos.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

COlliges ex hactenus dictis primò, dari inter Ordines aliquam subordinationem, & connexionem, vi cujus Ordo inferior v. g. Subdiaconatus semper debet suscipi priùs, quàm suscipiatur Ordo superior v. g. Diaconatus vel Presbyteratus, & sic loquendo de reliquis. Et licèt talis validè adhuc susciperet Ordinem superiorem ante susceptum inferiorem, certò tamen peccaret mortaliter, ut- 34

pote transgrediens præceptum Ecclesiæ in materia gravi; & maneret suspensus, donec ab Episcopo dispensetur, ut Ordinem prætermissum suscipere, & in suscepto ministrare posset, veluti statuitur *cap. un. de Cleric. per saltum promoto.* Ob eandem rationem Salmanticenses, Mezger, Babenstuber, aliique plures inferunt, mortaliter peccaturum, qui ante omnes alios Ordines non susciperet primam Tonsuram.

35 Colliges secundò, graviter peccare eos, qui quemcunque demum Ordinem scienter suscipiunt in statu disgratiæ. Ita la Croix *n. 2224.* contra Gobat & Sporer, aliósque nonnullos, tenentes contrarium de suscipiente Ordines minores in statu disgratiæ. Ratio autem hujus nostræ opinionis est; quia tametsi non sit omnino certum, omnes Ordines, præsertim Minores, esse verum Sacramentum, certò tamen est probabilissimum, quòd sint, & hoc ipso fit certum, quòd talis se exponat certo periculo indignè recipiendi Sacramentum, ideóque ponendi obicem gratiæ Sacramentali: at qui se exponit tali periculo, præsertim sine gravi & urgenti causa, graviter delinquit: ergo &c.

Dices, Ministeria Ordinum Minorum etiam à Laicis exhiberi possunt, & defacto communiter ita solet fieri: ergo hi Ordines defacto videntur omnino superflui, vel certè non tanti momenti, ut quis propterea damnari deberet æternaliter. R. Di-

R. Distinguendo, & explicando antece- 36
dens. Præfata Ministeria possunt exhiberi à Laicis, idque ex officio, id est, velut à Ministris ex institutione, & Ordine Ecclesiastico ad hoc Officium deputatis, *neg.* non ex Officio, *con. ant. & neg. cons.* Nam à Ministris Ecclesiasticis longè decentiùs peraguntur hujuscemodi Ministeria: ergo non superfluunt prædicti Ordines: quòd autem indignè suscipiens peccet, ideò fit, quòd se exponat periculo ponendi obicem gratiæ Sacramentali: unde si propter hujuscemodi peccatum damnaretur, id non Ordinibus Minoribus, sed damnabili suæ incuriæ, & indispositioni imputare deberet.

Colliges tertiò, Tonsurandum non peccare, si primam Tonsuram suscipiat in statu disgratiæ. Ratio desumitur à contrario; quia cùm hæc secundùm dicta superiùs *n. 19.* non sit Sacramentum, eo ipso non ponitur propterea obex gratiæ Sacramentali. Nihilominus, si talis velit simul communicari, prout regulariter secundùm modernam Ecclesiæ praxin fieri solet, tenebitur necessariò præmittere Confessionem Sacræ Communioni, nec satisfaceret præcisè contritionem eliciendo, vel ad eam conando, uti jam diximus superiùs *Confer. 2. n. 49. & Confer. 3. n. 73.*

Colliges quartò, probabiliùs nullam, & 37
invalidam, atque hoc ipso repetendam fore Ordinationem Presbyteri, si alicui sola pate-

na

na sine pane seu hostia superposita porrigeretur. Ratio colligitur à pari; etenim si alicui porrigeretur solus calix sine vino, probabilius Ordinatio foret nulla, utì visum est mox suprà *n. 26.* ídque propterea, quòd calix solus non videatur sufficiens ad significandam potestatem consecrandi Sanguinem: ergo similiter, cùm patena sola non satìs exprimat potestatem consecrandi Corpus Christi (saltem juxta modernum usum Ecclesiæ) concludendum meritò est, hujusmodi Ordinationem esse nullam aut certò dubiam, & hoc ipso repetendam. Et ita tenent Cardin. de Lugo *l. 1. Respons. moral. dub. 3.* Gobat, Diana, la Croix *n. 2151.* Babenstuber *disp. tr. 4. 3. n. 8.*

38 Colliges denique quintò, Ordinandum graviter peccare, si voluntariè negligat immediatum patenæ vel calicis contactum. Ita ex communi DD. Castropalao *tr. 27. disp. unic. pu. 4. n. 20.* Ratio est: quia talis contactus præscribitur in Pontificali, jubetúrque Episcopus illum diligenter observare: ergo signum est, per hujus neglectum Sacramentum exponi periculo nullitatis. Et certè multi Doctores existimant, talem contactum esse de substantia. Nihilominus, prudenter monent Doctores jam suprà citati, & cum illis la Croix *n. 2159.* contemnendos esse nonnullorum scrupulos, qui, tametsi optima fide accesserint, ex post facto tamen timent, ne

forte

fortè non bene, utpote vel nimìs citò, vel etiam nimìs serò attigerint sacra vasa, eò quòd defacto non recordentur, nec possint se reflectere, aut sibi imaginari, an, quando, vel quô modo id fecerint, &c. Enimverò hæc non sunt prudentia motiva dubitandi; quia nec tenemur, nec possumus recordari omnium, quæ agimus, aut egimus, & hôc ipso, quòd simus solliciti pro hoc vel illo ritè faciendo, minùs reflexè cogitamus de reliquis. Et certò cùm plures semper soleant attendere, an, vel quomodo Ordinandi sacra vasa contingant, procul dubio illicò monuissent, si quem defectum notâssent: ergo cùm non monuerint, signum est, omnia ritè fuisse peracta.

CONFERENTIA VIGESIMA SECUNDA.

DE

Ministro Sacrorum Ordinum, eorúmque Subjecto, & de Obligationibus inde resultantibus.

SUMMARIUM.

39. Minister Ordinarius, & legitimus Ordinum est solus Episcopus.

40. Extraordinarius tamen Minorum Ordinum potest esse simplex Sacerdos,

41. Ab-

41. Abbates nequeunt conferre Ordines Minores aliis sibi non subjectis.

42. Quænam conditiones requirantur ex parte Episcopi, ut is licitè conferat Ordines?

43. Subjectum capax Ordinum est omnis, & solus mas baptizatus.

44. In infantia Ordinato datur optio post adeptum usum rationis, an velit in Ordine sic suscepto ministrare &c.

45. Quæ, & quot conditiones requirantur ex parte Subjecti ad validam susceptionem Ordinis, Item

46. Quæ, & quot requirantur ad licitam?

47. Qui sint effectus sacrorum Ordinum?

48. Quænam denique obligationes Ordinatorum?

49. In Sacris constituti ex jure duntaxat Ecclesiastico adstringuntur ad servandam perpetuam continentiam.

50. Resolvitur Casus I. de quodam Clerico, qui cum fictis dimissorialibus suscepit Ordinem Subdiaconatûs;

51. Propterèáque graviter deliquit, & ipsô facto incurrit suspensionem.

52. Cum dictis dimissorialibus suscipiendo Ordines etiam Minores tantùm, graviter peccâsset.

53. Resolvitur Casus II. cujusdam studiosi, qui, quòd petiêrit Ordines non ab Episcopo originis, sed domicilii paterni, repulsam passus fuit.

54. A quonam Episcopo ordinari possint vel debeant Religiosi, qui modò in hac, modò in alia Diœcesi commorantur.

55. Et an possint petere Ordines ab alio Episcopo, tametsi Ordinarius loci, ubi commorantur, Ordines velit conferre.

56. Resolvitur Casus III. de quibusdam Clericis Franciscanis, qui è Conventu Egrano Ratisbonam missi, pro Ordinibus, decumbente tunc Reverem-

rendiſſimo Suffraganeo Ratisbonenſi, petiêrunt Paſſavium.

57. An à Celſiſſimo Paſſavienſi plures Ordines dictis Fratribus rectè fuerint collati?

58. An iisdem uno, eodémque die plures Ordines potuiſſent conferri.

59. Tam in ſuſceptione, quàm in collatione Ordinum ſequendæ ſunt Sententiæ tutiores.

60. Quænam Sententiæ circa hanc materiam defacto non ſint practicè probabiles?

61. Ordinatio facta ab Epiſcopo innodato aliqua cenſura, valida quidem eſt, ſed illicita.

62. Hæretici validè ordinarentur, ſed illicitè.

63. Mulieres ne primæ quidem Tonſuræ ſunt capaces.

64. Diaconiſſæ in primitiva Eccleſia non habuerunt verum Ordinem Diaconatûs: & cur hoc nomine fuerint appellatæ.

§. I.

Præmittuntur, & breviter reſolvuntur Quæſita, ſcitu neceſſaria ad debitè reſolvendos Caſus practicos de Miniſtro, & Subjecto Ordinum.

QUæres primò, quisnam ſit legitimus Miniſter ſacrorum Ordinum?

R. Solus Epiſcopus eſt ordinarius, & legitimus Miniſter. Ita Fides Catholica: ita Concilium Florentinum *poſt. Seſſ. ult.* §. *ſextum Sacramentum*; ita & Tridentinum *ſſ. 23. & can. 7.* Ratio congruentiæ eſt: quia Miniſteria & Officia in populo diſtribuere, pertinet ad Princi- 39

pes,

pes, ut superiùs diximus ex S. Bonaventura: Atqui Episcopi sunt Principes populi Christiani, sive Ecclesiæ: ergo ad hos pertinet distribuere Officia Ecclesiæ: hoc autem fit per sacram Ordinationem: ergo &c.

40 Dixi: *Minister Ordinarius*; nam extraordinarius ex commissione Papæ in ordine ad conferendos Minores, potest esse quilibet Sacerdos, etsi non sit Episcopus. Hac ratione Abbates Presbyteri, usu Mitræ, ac Baculi gaudentes, solent suis subditis conferre Ordines Minores, idque ex concessione S. Sedis Apostolicæ, prout liquet *ex c. quoniam vsdemus. dist. 69. &c. cùm contingat. de Ætat. & Qualit. præficiend.*

Dices: Ergone Abbates Mitra fulgentes non possent conferre primam Tonsuram, & quatuor Minores aliis, v. g. Sæcularibus sibi non subjectis?

41 R. Non possent. Ratio desumitur ex Tridentino, quod *ss. 23. c. 10. de Reformat.* expressè statuit hisce Formalibus: *Abbatibus ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, in posterum non liceat cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre.* Quô non obstante plures DD. nominatim Salmanticenses *tr. 8. c. 4. pu. 2. n. 38.* Sporer *c. 5. n. 43.* & Babenstuber *disp. 11. a. 4. n. 5.* existimant, Abbates hodiedum id posse, modò Episcopus consentiat; eò præ-

ser-

sertim, quòd consuetudo, & praxis in Germania id ferat. Verùm an hæc praxis vigeat in nostra Patria, ego non scio: nec recordor me id unquam vidisse, vel etiam audivisse. Unde la Croix absolutè negat, hanc potestatem hodie competere Abbatibus, & in contrarium adducit aliquam decisionem Rotæ, confirmatam à Summo Pontifice 17. *Januarii* 1662. Vide *cit. Doct. n. 2190.*

Quæres secundò, quæ, & quot conditiones desiderentur ex parte Episcopi, ut is Ordines licitè conferat?

R. breviter cum P. Babenstuber *cit. art. 4.* 42 *n. 10.* desiderari sequentes. 1. Ut sit in statu gratiæ. 2. Ut sit jejunus, nullâque censura Ecclesiastica, vel irregularitate implicatus: 3. Ut sit præditus omnibus Ordinibus, etiam inferioribus. 4. Ut observet Ritus, & Cæremonias ab Ecclesia præscriptas. 5 Ut Ordines Majores non conferat, nisi Sabbato quatuor temporum, & Sabbato ante Dominicam Passionis, & Resurrectionis Domini: Mendicantibus tamen intuitu Privilegiorum suorum istos Ordines extra præfata tempora licitè impertiret. 6. Requiritur, ne ordinet extra suam Diœcesin. 7. Ut non ordinet, nisi Subditum, aut habentem veras Dimissoriales, si non sit Subditus. Item non nisi legitimè natum, præditum debita ætate, probitate, scientia, dispositione, & titulo Mensæ.

Quæres tertiò, quinam sint Subjectum validæ Ordinationis, seu, quinam Ordines validè suscipere possint?

43 R. Est omnis, & solus Mas baptizatus, tametsi nondum attigerit usum rationis. Ita Scotus 4. *dist.* 25. *q.* 2. omnésque Catholici. Quòd solus Mas validè ordinetur, patet ex usu, praxi, & perpetua Traditione Ecclesiæ, quæ semper persuasum sibi habuit, Christum ita voluisse, & vel ex eo haud obscurè colligere fas est, quòd ne propriæ quidem Matri, etsi cæteroquin digniori, atque excellentiori universis Apostolis, aliquem Ordinem conferre voluerit. Quò collimavit Apostolus 1. *Corinth.* 14. scribens: *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut lex dicit*: & mox infrà ait idem Apostolus: *Siquidem autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Et ratio congruentiæ est: quia Ordines à Christo instituti sunt pro iis, qui in Ecclesia aliquam dignitatem, potestatem, & eminentiam obtinere possunt: atqui mulieres ob sexûs infirmitatem non sunt dignæ, ut ad talem eminentiam evehantur: ergo &c. Quòd verò infans ante usum rationis adeptum validè (esto illicitè secundùm omnes) ordinaretur, modò per baptismi januam supponatur esse ingressus Ecclesiam, constat ex *cap. unico de Cleric. per saltum promoto.* Et ratio fundamentalis hæc est: quia etiam infantes sunt capaces illo-

rum

rum Sacramentorum, quæ non exigunt conditionem aliquam illorum statui repugnantem, veluti patet de Sacramento Baptismi, & Confirmationis : atqui Ordo non exigit talem conditionem. Neque opus est, ut infans habeat propriam intentionem, sed sufficit eam suppleri ab Ecclesia, veluti à pari constat de Baptismate : ergo saltem validè ordinaretur infans.

Nihilominus Ecclesia hujuscemodi infan- 44
tem ordinatum non vult simpliciter obligatum ad statum Clericalem, vel ad perpetuam continentiam, sed relinquit in ejus arbitrio, ut post adeptum rationis usum vel transeat ad statum conjugalem, vel in Ordine suscepto ministret; quem si liberè eligere voluerit, & in eo ministrare, tunc primùm tenebitur in eodem perseverare, & onera illa, omnibus aliis communia portare, utì cum communi DD. tenent Reiffenstuel, Clericatus, Sanchez *lib. 7. de Matr. disp. 30.* & Sporer *c. 6. n. 185.*

Dices : Quænam igitur conditiones ex parte Subjecti sunt necessariæ ad validam Ordinationem?

R. Tres Conditiones ad validam Ordina- 45
tionem requiri, facilè deduci potest ex jam dictis. 1. Enim necessum est ut sit Mas. 2. Ut sit baptizatus, & 3. ut habeat intentionem suscipiendi, si sit adultus. Ratio priorum conditionum mox *num. præcedenti* fuit data,

Ratio autem tertiæ conditionis est ista: quia sicut DEUS adultum non justificat sine aliqua cooperatione liberi arbitrii ipsius; ita nec per Sacramenta illum vult consecrari, nisi habeat aliquam positivam intentionem, & saltem habitualem voluntatem suscipiendi. Vide quæ diximus superiùs *Confer. 3. n. 56.*

Quæres quartò, quid præterea requiratur, ut aliquis licitè suscipiat Ordines?

46 R. Ad licitam susceptionem requiruntur sequentes sex Conditiones. 1. Ut sit in statu gratiæ. 2. Ut sit confirmatus. 3. Ut ordinatè, & non per saltum suscipiat Ordines. 4. Ut non sit irretitus aliquo impedimento, seu inhabilitate Canonica. 5. Ut habeat reliqua de jure requisita (utì sunt 1. Ætas Canonica. 2. Probitas morum. 3. Scientia competens. 4. Titulus Mensæ, & 5. Litteræ dimissoriales, si velit ab alio, non suo, ordinari. 6. Observatio interstitiorum, locus, & tempus debitum) Denique sextò debet Ordinandus esse ab Episcopo approbatus. Declaro breviter singulas conditiones mox recensitas.

I. Itaque Ordinandus debet esse in statu gratiæ; quia cùm Ordo sit Sacramentum vivorum, supponit hominem spiritualiter viventem, seu in gratia sanctificante constitutum, juxta dicta *Confer. 1. n. 61.*

II. De

II. Debet eſſe confirmatus; quia Trident. *ſſ. 23. c. 4. de Reformat.* ſtatuit, ut prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint. Quare qui ſecus facit, validè quidem ordinatur, peccat tamen, ſaltem venialiter, juxta dicta *Conſer. 8. n. 13.*

III. Ordinatè debet ſuſcipere, & non per ſaltum, id eſt, tranſiliendo quaſi unum Ordinem, & ſuſcipiendo priùs altiorem v. g. Diaconatum ante Subdiaconatum. Oppoſitum agens graviter peccat, & manet ſuſpenſus ab Ordine ſuſcepto in tantum, ut neque in illo miniſtrare, neque ad altiorem aſcendere valeat, donec ab Epiſcopo (Ordine omiſſo priùs ſuppleto) diſpenſetur, utì ſtatuitur in Tridentino *cit. ſſ. 23. cap. 2. & cap. un. de Clerico per ſaltum ordinato.* Navarr. Caſtropal. Gobat, Sporer *cit. c. 5. n. 75.*

IV. Neceſſum eſt, ut non ſit irretitus aliquo impedimento Canonico, utputa irregularitate vel cenſura Eccleſiaſtica, ſcilicet excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicto. Ratio eſt: quia irregularitas eſt quædam inhabilitas Canonica ad ſuſcipiendos Ordines, & in ſuſceptis miniſtrandum. Similiter cenſura Eccleſiaſtica privat uſu quorundam bonorum ſpiritualium externorum Eccleſiæ, utì ſunt Ordines Sacri, quâ ratione is, qui cenſura irretitus præſumit ſolenniter exercere actum Ordinis Majoris, (niſi neceſſitate com-

compulsus id faciat) incurrit novam irregularitatem ex delicto abusûs Sacri Ordinis dictam, veluti habetur *toto Titulô de Cleric. excom. ministrante.* Ita Tambur. Laym. Sporer, & Gobat ubi suprà *n. 713. & 765.*

V. Debet habere ætatem Canonicam. Ita statuit Concilium Tridentinum *ss. 23. c. 12. de Reform.* sequentibus verbis: *Nullus imposterum ad Subdiaconatûs Ordinem ante vigesimum secundum: ad Diaconatûs ante vigesimum tertium: ad Presbyteratûs ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur.* Sufficit tamen, præfatos annos fuisse inchoatos, etiam unica horâ, veluti cum *communi* docet Layman *lib. 5. tr. 9. c. 7. n. 1.* Et Giossa *in Clement. ult. de ætat. & qualit. Ordinand.* Pro prima verò Tonsura, & Minoribus nulla ætas certa præscribitur, modò habeant usum rationis, qui hisce Ordinibus insigniri cupiunt. Pro Episcopatu de jure requiritur annus trigesimus completus, *cap. cùm in cunctis, de elect.* Babenstuber *art. 5. n. 11. fin.*

VI. Probitas vitæ, & morum desideratur in Ordinando, quam is debet probare, vel Parochi, vel aliorum fide dignorum, v. g. Superiorum, Professorum &c. attestatione. Idque jure meritò desideratur, juxtà illud Apostoli *1. Timoth. 5. Manus citò nemini imposueris.*

VII. Scientiâ competente Ordinandus debet esse instructus, sed diversâ, juxta diversi-

tatem

tatem Ordinum, & munerum: nam primâ Tonſura initiandus juxta Conſtitutionem Concilii Trident. *cit. c. 4.* ſcire debet rudimenta fidei, item legere & ſcribere. Diaconandus & Subdiaconandus debent ſcire neceſſaria ad functiones ſui Miniſterii. Presbyterandus debet pollere ea doctrina, ut poſſit Populum docere neceſſaria ad ſalutem, & ritè adminiſtrare Sacramenta; quod vel maximè deſideratur in iis, qui cupiunt promoveri, & exponi ad curam animarum.

VIII. Titulum Menſæ habere debet Majoribus Ordinibus initiandus, id eſt, congruam ſuſtentationem, ſeu media ſeſe honeſtè ſuſtentandi, veluti ſtatuitur *cap. Neminem.* & *cap. Sanctorum. diſt. 70.* & in Trident. *ſſ. 21. c. 2. de Reform.* Etenim valde incongruum, & ſtatui ſacro indecorum foret, ſi Clericus cogeretur mendicare, vel intuitu congruæ ſuſtentationis, ſordidum quendam quæſtum exercere. Porrò triplex datur, & ab Eccleſia agnoſcitur titulus. Primus eſt Beneficii Eccleſiaſtici, pacificè poſſeſſi. Secundus eſt titulus Patrimonii, vel penſionis, de cujus ſufficientia, & veritate oportet Epiſcopum dijudicare, juxta Trident. *loc. cit.* Tertius eſt titulus paupertatis, ſeu profeſſionis Religioſæ, cujus intuitu omnes Religioſi profeſſi, utpote propter Chriſtum omnia ſua relinquentes, & nihil proprium poſſidentes, ordinari ſolent juxta Pontificale Romanum §. *de ordinatione Sub-*

Subdiaconi. Videantur de hoc Engel *in suo Jure Can. lib. 1. tit. 14. n. 14. & seqq.* Clericat. *de ordin. decis. 28. à n. 13.*

IX. Litteris dimissorialibus instructus esse debet, quisquis non à proprio, sed ab alieno Episcopo ordinari cupit. Ita rursus expresse statuit Concil. Trident. *ss. 23. c. 8. de reform.* Quinam verò hujuscemodi litteras dare valeant? quamvè ob causam? aut quamdiu semel datæ durent & quousque se extendant? longioris foret tractationis; quæ, cùm à scopo nostro aliena sit, hinc in casu dubii emergentis lectorem remittimus ad Doctores mox citatos, vel ad P. Gobat *tr. 8. à n. 600.* la Croix *l. 6. p. 2. à n. 2268.* Sporer *c. 5 n. 104.* in quibus procul dubio abundanter inveniet ea, quæ desiderat.

X. Interstitia pariter debet servâsse Ordinandus, id est (loquendo de Ordinibus majoribus) exspectâsse ab Ordine suscepto per integrum annum Ecclesiasticum, priusquam alium Ordinem altiorem suscipiat, veluti habetur in Tridentino *citato ss. 23. c. 14. de reform.* Locus autem pro solenni collatione Ordinum est Ecclesia Cathedralis. Tempus ordinarium pro conferendis Ordinibus majoribus currit sex Sabbatis sequentibus, scilicet quatuor Temporum, item Sabbato ante Dominicam Passionis, & ante diem Paschæ, uti statuitur *cap. de ea, de Temp. Ordinand.* Potest tamen

Sum-

Summus Pontifex quoad hoc dispensare, ut aliis quoque temporibus præfati Ordines conferantur, veluti experientia, & praxis monstrat.

XI. Tandem in eodem Trident. *ss. 23. c. 12. de reform.* requiritur, ut Ordinandus ab Episcopo (vel alio ejus nomine deputato) sit examinatus de sufficientia doctrinæ, aliisque de jure requisitis, & hactenus recensitis, & ab eodem approbatus, ita, ut furtivè sese ingerens, & sine approbatione Ordinandis se admiscens, incurrat irregularitatem, juxta communem Doctorum, teste Suarez *de censur. disp. 42. sect. 3.* veluti statuitur *c. 1. 2. & 3. de eo, qui furtivè.*

Quæres quartò, quinam sint effectus Sacrorum Ordinum?

R. Sunt sequentes duo. 1. Cùm sit Sacramentum vivorum, non primam (saltem per se loquendo) sed secundam gratiam, seu augmentum gratiæ confert, & quidem cum jure ad alia auxilia gratiarum actualium percipienda in ordine ad functiones cujusque Ordinis ritè, ac religiosè exercendas. Secundus effectus est character, ita ut singulis septem Ordinibus correspondeant singuli characteres, quibus Ordinatus intrinsecè perficitur ad actus sui Ordinis validè exercendos. Ita *ex communi* Babenstuber *tr. 8. p. 5. d. 9. a 5. n. 22.* 47

Quæres sextò, quænam sint obligationes Ordinatorum?

48 R. Sunt sequentes quatuor. Primò. Omnes Clerici, tam majores, quàm etiam minores, seu in minoribus constituti (si sint Beneficiati, & statûs Clericalis privilegiis gaudere velint) tenentur portare habitum Clericalem, & tonsuram, sine armis incedere, vitámque honestam, ac Clericalem ducere; etsi oppositum facientes, non peccent graviter, nisi propterea aliis darent scandalum grave. Secundò. Clerici in majoribus constituti, incipiendo scilicet à Subdiaconatu, duas obligationes speciales contrahunt. 1. Tenentur recitare Breviarium, idque per se loquendo sub peccato mortali. 2. Tenentur servare castitatem perpetuam, & cœlibem vitam ducere, ita, ut nec validè ampliùs possint contrahere matrimonium juxta Constitutionem Concilii Tridentini *ss. 24. can. 9.* Unde transgressores castitatis semper committunt peccatum qualificatum contra virtutem Religionis, juxta *omnes.* Tertiò obligantur Clerici ad dicendas preces, in actuali Ordinatione ab Episcopo sibi impositas, etsi juxta probabiliorem sub culpa levi duntaxat ad hoc teneantur. Quartò denique tenentur omnes ad præstandam Episcopo reverentiam, & obedientiam in actuali Ordinis susceptione promissam; de qua, quantæ sit obligationis, videri possunt P. Gobat *tr. 8. n. 773.* & Sporer *eit. cap. 6. n. 171.*

Quæs

Quæres septimò, quo jure Clerici in majoribus constituti teneantur ad servandam castitatem perpetuam?

R. Ex jure Ecclesiastico tantùm. Ita *communiter DD.* Ratio est: quia nullibi constat, quòd ad hanc teneantur ex jure naturali, aut divino; restat proin dicendum, eos solo jure Ecclesiastico ad hoc adstringi; de quo quidem nullatenus ambigendum est, quandoquidem de hoc tum ex SS. Patrum testimoniis, tum etiam ex Summorum Pontificum Constitutionibus, apud Bellarminum *de Clericis*, Laymannum, *c. 11. n. 3.* Clericatum *decis. 27. n. 14.* & alios passim videndis, abundè constet. Controvertitur tamen inter Doctores, utrum hæc obligatio ex solo præcepto, & jure Ecclesiastico, an verò potiùs ex voto, saltem implicitè in susceptione Subdiaconatûs emisso, proficiscatur? Scotus, aliique multi graves Doctores existimant, eam proficisci ex solo jure Ecclesiastico: econtra D. Thomas, D. Bonaventura, & alii plures volunt, eam oriri immediatè ex voto. Utriusque sententiæ Patroni afferunt pro se rationes minimè spernendas, quibus utraque sententia redditur verè probabilis, utì videre licet apud Clericatum *l. cit. n. 61. & seqq.* Sporer *cap. 6. n. 178.* Sanchez *lib 7. de Matrim. disp. 27.* Herincx *hìc disp. 10. §. 2. à n. 101.* & alios passim. 49

§. II.

§. II.

Proponuntur, & breviter resolvuntur Casus practici de Subjecto Sacrorum Ordinum.

CASUS PRIMUS.

Titius multo tempore Reverendissimum suum Ordinarium sollicitaverat pro dimissorialibus obtinendis; Qui tamen nunquam voluit dare alias, quàm dimissorias in perpetuum. Quapropter ut Titius fine suo tandem aliquando potiretur, & ad statum Ecclesiasticum, ad quem se vocatum existimavit, pertingeret, imitatus fuit manum, ac sigillum proprii sui Ordinarii, sibîque confinxit litteras dimissoriales usque ad Sacerdotium inclusivè, quibus causam suam eò perduxit, ut ab alio Ordinario, velut provisus omnibus de jure requisitis, fuerit admissus ad Ordinem Subdiaconatûs. Verùm paulò post fraude deprehensa cœptum est dubitari 1. Utrum Ordo validè fuerit collatus Titio? 2. Quomodo is peccaverit confingendo sibi falsas dimissoriales, & quas propterea pœnas incurrerit? Quid respondendum?

50 R. ad primum. De valore Ordinis collati vix dubitandum. Ratio est: quia si quid valori obstitisset, id potissimùm fuisset defectus intentionis ex parte Episcopi, qui solus videtur non interveniisse, quandoquidem Episcopi semper ante Ordinationem protestari soleant, se nolle ordinare eos, qui vel sunt excom-

communicati, vel irregulares, vel alio requiſito Canonico (utì ſunt litteræ dimiſſoriales) deſtituti: at, neque hoc obſtat; quia per talem proteſtationem Epiſcopus cenſetur duntaxat velle deterrere hujuscemodi impedimentis irretitos, & ſignificare, ſe nolle, id eſt, non optare, ut tales accedant ad Ordinationem, ſed potiùs ut emaneant vel recedant. De cætero idem Epiſcopus ſemper præſumitur habere practicam, & abſolutam intentionem, ordinandi hominem præſentem, ídque propterea vel maximè: ne ob defectum Ordinis, præſertim Sacerdotalis, contingat poſtea plures damnificari, aut plurium innocentium ſalutem periclitari; quod procul dubio contingere natum eſt, ubi Sacerdos (vel Epiſcopus) invalidè ordinatus, adminiſtrat Sacramenta. Vide Eſcobar *in Theol. Moral. lib. 23. Problem. 36. n. 199.* Navarr. *in Conſil. l. 1. de Temp. Ordinat.* la Croix *n. 2231.*

R. jam ad ſecundum. Titius confingendo ſibi litteras dimiſſoriales, & cum iisdem accedendo ad Ordinem Subdiaconatûs, peccavit mortaliter ſecundùm *omnes*. Ratio eſt: quia in materia gravi fuit transgreſſus ſapientiſſimam Eccleſiæ conſtitutionem. Qua de cauſa in Pontificali Romano ſub pœna excommunicationis præcipitur, ne ullus patiens defectum Canonicum, audeat ſuſcipere Ordines. Porrò Concilium Tridentinum *ſſ. 23. cap. 8. de* 51

Re-

Reformat. statuit, ut taliter Ordinatus (scilicet sine licentia proprii Ordinarii) à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Similiter Pius II. *in suo Extravag. cùm ex Sacrorum.* Statuit, ut 1. qui extra legitima tempora, vel 2. ante legitimam ætatem, vel 3. sine litteris dimissoriis sacrum aliquem Ordinem accipere præsumpserint, ab eodem suspensi maneant, donec ab Ordinario suo absolvantur: & si durante hac suspensione in Ordinibus celebrare præsumpserint, irregularitatem (ex abusu S. Ordinis dictam) incurrant. Hánecque suspensionem esse latæ sententiæ, post citatam Constitutionem Pii II. indubitanter tenendum existimat Layman *lib. 5. tr. 9. c. 10. n. 2.* Quô loco alios adhuc plures DD. allegat ejusdem opinionis.

Dices. At quid, si Titius noster cum suis litteris fictitiis Minores duntaxat Ordines suscepisset?

§2 R. Nihilominus peccâsset mortaliter. Et licèt propterea non incurrisset mox dictam suspensionem Pii II. quippe quæ solùm est lata in eos, qui aliquem Ordinem Sacrum, uno ex illis tribus mox dictis illegitimis modis accipiunt, & per consequens exercendô actum Ordinis Minoris sic suscepti irregularis non fierer; nihilominus interdicendum ipsi esset Ministerium talis Ordinis, ut statuitur *cap. quod*

transi-

translationem de Temp. Ordinat. Immò verò, etiam ante interdictum est inhabilis ad Ordinis ita suscepti exercitium, ita, ut ante obtentam dispensationem velut ex officio ministrando peccet: quia, sicut sententia lata à non judice, irrita est; ita & Ordinatio facta ab Episcopo non suo, seu non habente jus ordinandi, irrita censetur in ordine ad legitimam executionem seu usum per *cap. si quis ausus dist. 71.* Ita Layman *loc. cit. §. secundum.* & apud hunc Suarez, Avila &c.

CASUS SECUNDUS.

Sempronius natus in Diœcesi Ratisbonensi, ab alio quodam Reverendissimo Ordinario postulavit initiari Ordinibus Sacris, partim quòd in hujus Diœcesi, immò Metropoli, per multos annos studiis vacaverit; partim etiam, quòd parens suus in eodem loco, & Diœcesi jam ante novennium fixerit domicilium, & quidem animô, perpetuò ibi habitandi; quibus non obstantibus bonus Sempronius repulsam fuit passus, eò quòd esset ex aliena Diœcesi oriundus. Quæritur, an justè?

R. Si Sempronius cæteris omnibus de jure requisitis fuit instructus, videtur injustè fuisse repulsam passus ex eo præcisè, quòd ex alia Diœcesi fuerit oriundus. Ratio hujus est: quia non solùm ratione originis, sed etiam ratione domicilii, beneficii, immò etiam ratione 53

tione familiaritatis cum Episcopo potest aliquis fieri subditus Episcopi in tantum, ut ab eo justè possit prætendere Ordines, veluti habetur ex *cap. cùm nullus de Temp. Ordinat. in 6.* & cum *communi DD.* fusiùs tradit Layman *l. 5. tr. 9. c. 9. n. 10.* Atqui Sempronius noster in hac Diœcesi, ubi Ordines postulavit, fortitus est domicilium, non quidem ex eo præcisè, quòd per novennium studiorum causâ in illa Metropoli fuerit commoratus, sed quia Parens ipsius in eodem loco, & Diœcesi fixit domicilium, & quidem conformiter ad Constitutionem Innocentii XII. *Speculatores Domûs Israël &c.* supponitur enim in eodem loco nedum partem, sed totam etiam substantiam bonorum suorum habere, sibíque constituisse domum, animô perpetuò eam inhabitandi: jam verò Filius manens cum Patre, sortitur domicilium Patris, præsertim si adhuc sit impubes, utì habetur *l. placet ff. ad Municipalem.* & communissimè tradunt DD. nominatim Layman *cit. cap. 9. n. 10.* Sporer *c. 5. n. 53.* Gobat *n. 299.* & fusissimè Reiffenstuel *lib. 1. decret. tit. 11. n. 78. & 94. ac seqq.* Subdit tamen Layman *loc cit. n. 11.* aliquarum Diœcesium consuetudinem esse, ut tales in loco domicilii paterni non ordinentur sine dimissoriis datis ab Episcopo originis: & hac forsan de causa Sempronius noster repulsam fuit passus, etsi præscindendo à tali consuetudine haudquaquam repellendus fuisset.

Dices.

gitized by Google

Dices. A quonam igitur Episcopo ordinari debent Religiosi, qui modò in hac, modò in alia Diœcesi commorari solent, uti fieri amat apud nostros?

R. cum P. Matthæucci *in Offic. Curiæ Eccle-* 54
siast. c. 35. n. 2. eos ordinandos esse ab Episcopo, in cujus Diœcesi actu degunt; nam iste censetur, quoad hoc, proprius eorum Episcopus. Si tamen Ordinarius loci absit, vel tempore Ordinationis infirmitate, aliovè impedimento præpeditus, non conferat Ordines, possunt ordinari à quocunque alio Episcopo, habente communionem cum Ecclesia, modò Superior Regularis id exprimat in dimissorialibus, quòd scilicet Episcopus loci absit, vel aliam ob causam v. g. infirmitatem &c. Ordines non conferat. Ita habet Decretum Sacræ Congregationis hac super re specialiter emanatum, & à Clemente VIII. confirmatum 15 *Martii* 1596.

Dices iterum. Ergo ubi Episcopus loci confert, aut vult conferre Ordines hujuscemodi Religiosis, Prælati Regulares non possunt suos Subditos mittere ad alium Episcopum, ut ab illo ordinentur?

R. Per se loquendo id non possunt, nisi id 55
habeant ex speciali privilegio. Hoc tamen Privilegium Mendicantibus, immò & aliis Religiosis exemptis fuisse concessum à diversis Pontificibus, satis communiter tenent DD. Piasecius *part. 1. prax. Episcop. c. 1 art. 2. n. 5.*

Barbosa p. 2. de offic. & potestat. Episcopi. allegat. 4. n. 60. Pirhing lib. 1. decret. tit. 11. n. 61. Reiffenstuel eod. tit. n. 136. Sporer c. 5. n. 123. Rodriquez QQ. RR. tom. 1. q. 18. a. 6. & rursus tom. 3. q. 24. a. 1. & 2. Layman c. 9. n. 9. Gobat tr. 8. n. 420. quô loco rectè resolvit, Superiores Regulares non peccare, etsi dedita operâ mortem, vel absentiam sui Diœcesani exspectent in hunc finem, ut possint suos Subditos mittere ad alium Episcopum, fortè minùs rigidum, &c. eò quòd tales utantur suo jure, ideoque nihil prorsus agant in præjudicium Constitutionis mox allegatæ, neque in præjudicium Ordinarii. Videantur DD. citati.

CASUS TERTIUS.

Cajus Franciscanus SS. Theologiæ Studiosus cum aliis nonnullis suis Confratribus Egrâ à suo Superiore rigidissima hyeme missus fuit Ratisbonam, ibîque Reverendissimo, ac Illustrissimo Suffraganeo legitimè præsentatus pro Ordinibus suscipiendis. Verùm, ubi primò Ratisbonam appulerunt prædicti Fratres, illicò audire cogebantur, Reverendissimum Suffraganeum graviter decumbere, propterea que nullam fore Ordinationem. Idcirco, ne vacui sine Ordinibus Egram reverti cogerentur, communi consiliô per nives, & glacies bene tincti, ac debilitati, perrexêre usque Passavium, ibique à Superiore legitimo Celsissimo Principi fuêre præsentati cum humillima supplica-

plica, quatenus pro ſua Clementia dignaretur eisdem deſideratos Ordines conferre. Quæri jam poteſt 1. Utrum ab Alteſato Clementiſſimo Principe potuerint ordinari? 2. Utrum intuitu tanti, tamque rigidi itineris non meruerint, ut iisdem plures Ordines conferrentur?

R. ad primum affirmativè, quòd ſcilicet 56
ordinari potuerint, modò ſupponantur fuiſſe à ſuo legitimo Superiore debitè præſentati, cum expreſſione cauſæ, quòd ſcilicet Epiſcopus Diœceſanus ob infirmitatem non habuerit Ordinationem illo tempore. Ratio colligetur facilè ex mox dictis *num. præcedente*: quia ex Conſtitutione, vel potiùs Declaratione S. Congregationis, confirmatæ à Clemente VIII. & videndæ apud Reiffenſtuel *cit. tit. 11. n. 133.* Superiores Regulares poſſunt Subditos ſuos præſentare alteri Ordinario, caſu quo proprius ob infirmitatem (uti factum eſt in noſtro Caſu) vel aliam cauſam non confert Ordines Sacros: ergo ex hac ſuppoſitione legitimæ præſentationis &c. nihil prorſus obſtitit quò minùs à Celſiſſimo Epiſcopo Paſſavienſi potuerint Sacris Ordinibus inſigniri. Vide etiam Clericatum *Erotemat. cap. 128. n. 36.*

R. jam ad ſecundum. Videntur dicti Fratres 57
ſin minùs de condigno, ſaltém de congruo promeruiſſe; partim quia quaſi innumera viarum incommoda ſubiêre intuitu prædictorum Ordinum, partim etiam, quia reliquos Or-

dines sine magnis difficultatibus, notabili absentia è Conventu &c. obtinere non potuissent. Ex altera verò parte poterat Celsissimus Passavienſis eisdem plures Ordines conferre, quia ab Alexandro VI. obtinuimus hoc Privilegium, ut etiam non servatis interstitiis annuis possimus ordinari tribus diebus Dominicis, vel Festis duplicibus successivè, veluti monstrat Rodriquez *QQ. RR. tom. 3. q. 23. a 5.* ubi etiam cum multis aliis probat, huic Privilegio per Concilium Tridentinum nihil omnino fuisse derogatum; quippe quod de hoc Privilegio nullam prorsus facit mentionem: Lex autem generalis nihil derogat illis Privilegiis, quorum mentionem non facit: ergo &c. Tandem neque ex defectu sufficientis præsentationis eis negandi erant plures Ordines; quandoquidem de voluntate Superioris liquidò constiterit, quòd is Fratres suos tantò majori cum gaudio esset excepturus, quantò pluribus Ordinibus insigniti reverterentur ad propria. Atque his de causis Altefatus Clementissimus Princeps dictis Fratribus paucos intra dies plures contulit Ordines Sacros, prout mihi certè constat.

Dices. At nunquid iisdem Fratribus una eadémque die plures potuissent conferri Ordines, ne ob viarum distantiam, & temporis inclementiam cogerentur diutiùs, quàm par erat, abesse è Conventu suo?

R. Ne-

R. Nequaquam id licuisset. Ratio est: 58
quia *c. litteras*, item *c. dilectus de Temp Ordinat.* expresse, & severè prohibetur, ne eidem uno die duo Sacri Ordines conferantur. Idipsum pariter statutum legitur in Concilio Tridentino *ss. 23. c. 13. de Reformat.* ubi cassantur omnia Privilegia in contrarium concessa. Quia tamen Canones citati non loquuntur, nisi de Ordinibus Sacris, quatuor autem Minores non veniunt nomine Ordinum *Sacrorum*, juxta dicta *Confer. Super. n. 5.* ex altera autem parte prohibitio circa Ordines Sacros facta veluti in materia odiosa extendi non debet ad non Sacros; hinc sine scrupulo eodem die uni eidémque conferri possent Ordines Minores unà cum Subdiaconatu. Ita Gobat *tr. 8. n. 460.*

§. III.

Corollaria ex dictis inferenda.

COlliges ex dictis primò. in collatione, & 59
susceptione Sacrorum Ordinum tam à Ministro conferente, quàm à Subjecto recipiente sequendas esse sententias tutiores. Ratio est: quia hâc via magìs consulitur reverentiæ, & certitudini Sacramentorum, utì aliàs semper fieri debet; tùm etiam quia hoc modo præcluduntur innumera animarum pericula, quæ ex praxi contraria præsertim in collatione

Presbyteratûs, & Episcopatûs emergere nata sunt, utì jam sæpiùs innuimus; tum denique quia etiam evitantur innumeri scrupuli, & conscientiarum remorsus, quibus mirandum in modum exagitari videmus eos, qui in hoc nimiùs tutè, minusvè, quàm par erat, accuratè vel deliberatè processerunt: Unde

60 Colliges secundò, practicè non esse probabiles sequentes opiniones. 1. Ad valorem Diaconatûs non requiri Traditionem Libri Evangeliorum. 2. Tactum moralem duntaxat necessarium esse ad Ordinationis valorem. 3. Satìs esse, materiam tangi tunc, quando Episcopus formam jam protulit, aut viciſſim. 4. Non esse necessarium, ut ipse Episcopus ordinans tradat materiam &c. Ratio hujus facilè colligetur ex dictis: quia sententiæ oppositæ sunt tutiores & certiores, sin minùs omninò certæ; ergo praxis harum opinionum est certò illicita, & graviter peccaminosa. Aversa, Cardenas, la Croix *n. 2148.*

61 Colliges tertiò, Ordinationem factam ab Episcopo interdicto, suspenso, vel excommunicato, præsertim excommunicatione majore & notoria (ùt si foret Hæreticus, aut Schismaticus, vel notoriè Simoniacus) esse quidem validam, modò adhibuerit debitam materiam, formam, & intentionem; quia vi characteris Episcopalis, utpote indelebilis pote-

potestatem validè ordinandi semper retinet; nihilominus talis Ordinatio foret illicita, & irrita quoad executionem: quia Ordinatus à tali Episcopo manet tamdiu suspensus, donec à Sede Apostolica fuerit dispensatus, uti docet P. Thesaurus *part. 2. Verb. Ordo. c. 24.* Barbosa *de potest Episcopi. part. 2. allegat. 3. n. 18. & seqq.* Clericatus *decis. 12. n. 26.* ubi etiam notat, quòd ignorantia taliter Ordinatum non liberet à prædicta suspensione, esto conduat ad facilius impetrandam dispensationem.

Colliges quartò, Hæreticos validè quidem ordinari posse (sicut & Hermaphroditum, in quo prævalet sexus masculinus validè ordinantur) nihilominus tales illicitè Sacris Ordinibus initiarentur; quia ab Ecclesia habentur pro irregularibus. Ob eandem rationem servi propriè dicti seu mancipia, quamdiu talis manent, illicitè ordinarentur, velut statuitur *in Jure Can. tit. de servis non ordinand.* esto Ordo ita collatus valeat, quippe ad quem concurrere possunt omnia essentialiter requisita, uti præter alios communiter rectè docent Castropal. *tr. 27 disp. un. pu. 6 n. 3.* Bonacina & Babenstuber *tr. 8. p. 5. d. 11. 4. 5. n. 6. 7. & 8.* 62

Colliges quintò, mulieres ne primæ quidem Tonsuræ capaces esse. Ratio est: quia 63

prima Tonsura, tametsi Ordo non sit, est tamen quædam dispositio pravia ad Ordines suscipiendos, & ad jurisdictionem spiritualem, vel alia beneficia Ecclesiastica obtinenda. Unde, quemadmodum Personæ incapaces alicujus Ordinis Religiosi neque in Novitiatum admitti possunt, aut debent; ita neque ad primam Tonsuram admitti possunt, aut debent mulieres, velut incapaces ad Ordines, & jurisdictionem Ecclesiasticam. Vid. Layman *lib. 5. tr. 9. c. 6. n. 2.* Castrop. *tr. 27. disp. un. punct. 6. n. 2.*

Dices. Olim in primitiva Ecclesia dabantur Diaconissæ, quæ ordinabantur per manuum impositionem, & invocationem Spiritûs Sancti, quemadmodum hodiedum ordinari solent Diaconi: ergo mulieres non sunt incapaces Sacrorum Ordinum, multò minùs primæ Tonsuræ.

64 R. cum Cardinali de Lauræa *de Sacram. Ordin. disp. 9. n. 12.* Equidem in primitva Ecclesia fuisse Diaconissas: Falsum tamen est, eas fuisse vero quodam Ordine insignes, sed erant duntaxat consecratæ certis quibusdam cæremoniis; & illa manuum impositio non erat consecrativa, sed tantùm deprecativa; idque in hunc præcipuè finem fiebat 1. Ut Catechumenas docerent Articulos fidei, & Orationem Dominicam. 2. Ut iisdem mulieribus Catechumenis jam adultis in actuali collatione

tione baptismi assisterent, quo tempore cùm baptismus fuerit collatus non per affusionem aquæ, veluti temporibus nostris fieri amat, sed per immersionem totius corporis in aquam, hæc assistentia, & ministerium decentiùs utique ab aliis mulieribus, quàm à viris præstari potuit. Videatur de hoc Clericatus de Sacram. Ordinis *decis. 31.* ubi hanc materiam ex professò fundatè examinat & dilucidat. Tyroni interim hæc pauca sufficient pro subeundo examine, qui, si fusiorem notitiam haurire cupiet, eam comparare poterit ex Doctoribus hactenus citatis & allegatis. Unde hujus Partis primæ esto finis, ut in omnibus

Laudetur JESUS Christus,
AMEN.

INDEX

Alphabeticus materiarum in hac prima Parte contentarum.

NB. Littera C. Conferentiam. n. cum cifra numerum marginalem denotat.

A.

Absolutio quando ſit danda ſub conditione. c. 2. n. 51.

Altare portatile, an, quô loco, & à quibus erigi valeat. c. 19. n. 251. & ſeqq. Quid nomine Altaris intelligatur. c. 20. n. 255. Quo modo debeat eſſe inſtructum. ibid. n. 256. Quot modis ſuam Conſecrationem deperdat, præſertim fractione ſigilli, & ſepulchri. ibid. n. 259. & ſeqq. Qui in Altari non conſecrato celebrare præſumit, graviter delinquit. c. 20. n. 80.

Amen-

Digitized by Google

Amentes, an, vel quando ſint baptizandi. c. 6. n. 67.

Applicandi intentio neceſſaria eſt ex parte Sacerdotis ſacrificantis, & quænam? c. 17. n. 174. & ſeqq. Religioſus præter, vel etiam contra voluntatem ſui Superioris applicans Sacrificium, an validè, vel licitè agat. c. 17. n. 178. Vide *Intentio applicandi.*

Aqua naturalis, ſeu elementaris eſt materia baptismi. c. 4. n. 7. Vide *Baptismi materia.* Aqua naturalis modica admiſcenda eſt vino conſecrando. c. 11. n. 10. item n. 19. 20. & 21.

ab *Aurora* incipit tempus ordinarium celebrandi. c. 19 n. 225. Quid nomine auroræ intelligatur, & quomodo hæc ſit ſumenda, ibid. n. 226. & 227.

B.

Baptismus quid ſit? c. 4. n. 1. Quo tempore inſtitutus. n. 2. Baptismus datur triplex, ſcil. 1. Fluminis (qui ſolus eſt Sacramentum) flaminis, & ſanguinis. ibid. n. 3. 4. & 5. Quænam conditiones ad baptismum ſanguinis, id eſt, ad Martyrium requirantur. c. 4. n. 6.

Baptismi materia remota eſt aqua elementaris: proxima eſt ablutio. ibid. n. 7. Quæ ſit materia certò valida, quæ certò invalida, & quænam dubia? ibid. n. 8. 9. & 10. Quid agendum, caſu quo infans incipit agonizare ante

ante baptismum. c. 4. n. 12. Non licet talem infantem ſubmergere, animô illum baptizandi. ibid. n. 13. & 14. In aqua calida, vel roſacea mixta, an baptizare liceat? ibid. n. 15. Quantum aquæ ſit affundendum in baptismate. c. 4. n. 16. & 17. Infans à puerpera vel ab obſtetrice baptizatus, an, vel quando ſit rebaptizandus? ibid. n. 18. & 19. Qui relicta aqua naturali utitur alia, peccat graviter, eſto in hujus defectum adhibendus ſit alius liquor, de quo probabiliter creditur, quòd ſit aqua naturalis. ibid. n. 20. & 21. Subinde baptizandus eſt infans, etſi nondum integrè egreſſus clauſtra ventris. c. 4. n. 22. Aqua debet immediatè tangere infantem, & in qua parte? ibid. n. 23. Ad valorem perinde eſt, ſive baptismus fiat per affuſionem, ſive per immerſionem in aquam &c. c. 4. n. 24.

Baptismi forma conſiſtit in his verbis: *Ego te baptizo in nomine &c.* c. 5. n. 25. Quænam verba in hac forma neceſſariò ſint exprimenda? ibid. n. 26. & 27. Aliquæ formulæ controverſæ & dubiæ referuntur. c. 5. n. 33. & 34. Quæ variatio formulæ obſtet baptismo, vel non? ibid. n. 43. Nemo ſeipſum baptizare valet. c. 5. n. 32. Quid agendum, caſu quo conſtat, baptismum fuiſſe nulliter adminiſtratum. ibid. n. 35. & 36. Et quid, ſi baga infantes baptizaſſet in nomine diabol. c. 5. n. 37. & 38.

Bap-

Baptismi subjectum est omnis homo vivens, nondum baptizatus. c. 6. n. 48. An etiam infans in utero Matris? ibid. n. 50. An etiam proles Infidelium? n. 52. & 53. An etiam monstrum? ibid. n. 54. Et quid, si de tali monstro dubitetur, sitnè unus duntaxat homo, vel plures? n. 55. Infans in alieno territorio natus, à quo sit baptizandus? c. 6. n. 57. & seqq. An mulier gravida teneatur pati incisionem sui uteri, ut proles perveniat ad gratiam baptismi? ibid. n. 60. Et quid agendum, casu quo mulier obit ante fœtum enixum? ibid. n. 62. An baptizanda puella, de qua non constat, utrum aliquando fuerit baptizata? c. 6. n. 63. Et quid de infantibus expositis? ibid. n. 64. Amentes, an, vel quando sint baptizandi. c. 6. n. 67.

Baptismus fluminis, quomodo sit necessarius ad salutem. c. 7. n. 68. & 69. Baptismus in voto, quid? ibid. n. 70. Baptismi effectus sunt duo, scilicet gratia, & character. c. 7. n. 71. In baptismo necessariò adhibendæ sunt quædam cæremoniæ, quæ tamen in casu necessitatis licitè omittuntur. ibid. n. 72. & 73. Est in Ecclesia conferendus. n. 74. & 84. Et adhibendus Patrinus. ibid. n. 75. Quinam ab hoc munere sint excludendi? n. 76. Et quid observandum, casu quo aliquis rebaptizatur? c. 7. n. 77. & 78. In Ecclesia filiali an baptizare liceat? ibid. n. 81. An

in

ante baptismum. c. 4. n. 12. Non licet talem infantem ſubmergere, animô illum baptizandi. ibid. n. 13. & 14. In aqua calida, vel roſacea mixta, an baptizare liceat? ibid. n. 15. Quantum aquæ ſit affundendum in baptismate. c. 4. n. 16. & 17. Infans à puerpera vel ab obſtetrice baptizatus, an, vel quando ſit rebaptizandus? ibid. n. 18. & 19. Qui relicta aqua naturali utitur alia, peccat graviter, eſto in hujus defectum adhibendus ſit alius liquor, de quo probabiliter creditur, quòd ſit aqua naturalis. ibid. n. 20. & 21. Subinde baptizandus eſt infans, etſi nondum integrè egreſſus clauſtra ventris. c. 4. n. 22. Aqua debet immediatè tangere infantem, & in qua parte? ibid. n. 23. Ad valorem perinde eſt, ſive baptismus fiat per affuſionem, ſive per immerſionem in aquam &c. c. 4. n. 24.

Baptismi forma conſiſtit in his verbis: *Ego te baptizo in nomine &c.* c. 5. n. 25. Quænam verba in hac forma neceſſariò ſint exprimenda? ibid. n. 26. & 27. Aliquæ formulæ controverſæ & dubiæ reſeruntur. c. 5. n. 33. & 34. Quæ variatio formulæ obſtet baptismo, vel non? ibid. n. 43. Nemo ſeipſum baptizare valet. c. 5. n. 32. Quid agendum, caſu quo conſtat, baptismum fuiſſe nulliter adminiſtratum. ibid. n. 35. & 36. Et quid, ſi baga infantes baptizaſſet in nomine diabol. c. 5. n. 37. & 38.

Bap-

Baptismi ſubjectum eſt omnis homo vivens, nondum baptizatus. c. 6. n. 48. An etiam infans in utero Matris? ibid. n. 50. An etiam proles infidelium? n. 52. & 53. An etiam monſtrum? ibid. n. 54. Et quid, ſi de tali monſtro dubitetur, ſitnè unus duntaxat homo, vel plures? n. 55. Infans in alieno territorio natus, à quo ſit baptizandus? c. 6. n. 57. & ſeqq. An mulier gravida teneatur pati inciſionem ſui uteri, ut proles perveniat ad gratiam baptismi? ibid. n. 60. Et quid agendum, caſu quo mulier obit ante fœtum enixum? ibid. n. 62. An baptizanda puella, de qua non conſtat, utrum aliquando fuerit baptizata? c. 6. n. 63. Et quid de infantibus expoſitis? ibid. n. 64. Amentes, an, vel quando ſint baptizandi. c. 6. n. 67.

Baptismus fluminis, quomodo ſit neceſſarius ad ſalutem. c. 7. n. 68. & 69. Baptismus in voto, quid? ibid. n. 70. Baptismi effectus ſunt duo, ſcilicet gratia, & character. c. 7. n. 71. In baptismo neceſſariò adhibendæ ſunt quædam cæremoniæ, quæ tamen in caſu neceſſitatis licitè omittuntur. ibid. n. 72. & 73. Eſt in Eccleſia conferendus. n. 74. & 84. Et adhibendus Patrinus. ibid. n. 75. Quinam ab hoc munere ſint excludendi? n. 76. Et quid obſervandum, caſu quo aliquis rebaptizatur? c. 7. n. 77. & 78. In Eccleſia filiali an baptizare liceat? ibid. n. 81. An

in

in domo privata? ibid. n. 82. An plures Patrini sint admittendi? n. 85. Adultus in principiis fidei satis instructus, an, vel quamdiu sine peccato possit differre susceptionem baptismi. c. 7. n. 86.

Beneficiatus, an, vel quoties teneatur sacrificare? c. 18. n. 196. Quid, si Sacrum in Altari privilegiato legendum, legat in alio non privilegiato? ibid n. 209. Et quid, si dubitet de numero Sacrorum, an, vel quot teneatur applicare ad intentionem Fundatoris? c. 18. n. 211. & 212. Quid, si infirmitate præpeditus, quotidianum Sacrum per aliquot dies celebrare nequeat? ibid. n. 214. Et quid, si sponte illud intermittat, vel in alio Altari aut Ecclesia celebret? n. 215. & 216. Sacrificium ex justitia debitum, tenetur legere sub gravi culpa. ibid. n. 218. Etiam nimia dilatio talium Sacrorum non vacat culpa gravi: & quænam dilatio reputetur nimia? c. 18. n. 219. & 220.

Binare, id est, eadem die duas Missas legere, an, vel quando permittatur ab Ecclesia? c. 19. n. 229. item n. 241. 242. & 243.

C.

Calix, in quo celebratur, debet esse deauratus, & consecratus. c. 20. n. 262. & 263. in non consecrato celebrans, peccat graviter. ibid. n. 280. Noviter deauratus probabiliter non indiget nova Consecratione. c. 20. n. 281.

Celebrandi tempus incipit ab Aurora. c. 19. n. 225. Locus competens eſt Eccleſia. ibid. n. 231. An, vel quando licitum ſit, eadem die ſæpiùs celebrare? c. 19. n. 229. Celebrans debet eſſe jejunus naturaliter. ibid. n. 241. Inſuper debet eſſe inſtructus debitis paramentis Eccleſiaſticis. c. 20. n. 260. & ſeqq. Debet obſervare Rubricas. ibid. n. 268. Quomodo peccet, qui eas negligit. c. 20. n. 269. & ſeqq.

Cæremoniæ, quæ in baptismo ſolenni ſint adhibendæ? c. 7. n. 72. Quomodo peccet, qui eas negligit? ibid. n. 79. & 80. Quæ Cæremoniæ ſint obſervandæ in adminiſtratione Confirmationis? c. 8. n. 9. Quibuscum Cæremoniis adminiſtranda ſit Extrema Unctio. c. 10. n. 45. Quomodo peccet, qui eas non obſervat? ibid. n. 46. Quæ Cæremoniæ ſint uſurpandæ in adminiſtratione SS. Euchariſtiæ? c. 13 n. 63. & 75.

Ciborium aliquoties per annum eſt renovandum, & quô modo. c. 13. n. 77.

Communicare volens debet eſſe in ſtatu gratiæ. c. 14. n. 86. & 87. Tempore Paſchali omnes fideles uſum rationis adepti, tenentur ad S. Communionem. c. 15. n. 108. Eam tenentur ſuſcipere de manu proprii Sacerdotis. ibid. n. 126. Neque huic ſatisfaciunt per Communionem ſacrilegam. ibid. n. 128. Quinam præſumantur adepti uſum rationis? n. 109. Et quibus pœnis afficiantur ii, qui negli-

negligunt Communionem Paſchalem, ibid. n. 110. Communio ſub utraque ſpecie non eſt debita laicis, c. 15. n. 111. Nec permittitur, ut quis eadem die ſæpiùs communicet, ibid. n. 112. An expediat, laicis permittere Communionem quotidianam, n. 113. An is, qui tempore Paſchali non communicavit, teneatur poſtea ſupplere. c. 15. n. 127.

Complici confiteri an ſit licitum, vel expediens. c. 3. n. 74. & 75.

Confeſſio, an ſit neceſſariò præmittenda ab eo, qui vult miniſtrare Sacramenta? c. 2. n. 49. An ab ea excuſet ſola diffidentia erga Confeſſarium? c. 3. n. 71. & 72. Cur talis ſine prævia Confeſſione nequeat eſſe verè contritus? ibid. n. 73. Conſcius peccati mortalis, ante Communionem tenetur confiteri. c. 14. n. 86. & 87. Quid, ſi talis ſolum haberet peccatum dubium? ibid. n. 97. Quid agendum tali, ubi deſtituitur copia Confeſſarii? ibid. à n. 93. Et quid, ſi incidiſſet caſum reſervatum? c. 14. n. 102. Præceptum Tridentini *de quàm primùm confitendo &c.* quomodo ſit intelligendum? ibid. n. 105.

Confirmationis Sacramentum, quid ſit, & quando inſtituturn? c. 8. n. 1. & 2. Quæ huius materia & forma? ibid. n. 3. & 4. Miniſter Ordinarius eſt Epiſcopus: Extraordinarius poteſt eſſe ſimplex ſacerdos, ibid. n. 5.

n. 5. & 6. Quæ ad validam & licitam ſuſceptionem hujus Sacramenti ſint neceſſaria? c. 8. n. 7. Nullum exſtat præceptum obligans ad hujus Sacramenti ſuſceptionem. ibid. n. 8. Quibus cum Cæremoniis adminiſtranda ſit Confirmatio? n. 9. Infantes quandonam ſint confirmandi? ibid. n. 10. Confirmatio in maxilla pueri facta, probabiliùs nulla eſt. ibid. n. 11. Dubitans de Confirmatione unquam accepta, an licitè accederet ad Sacros Ordines? n. 12. & 13. Non confirmatus agendo patrinum, an contrahat cognationem ſpiritualem? c. 8. n. 14. Plures ſimul tenentes, an eam contrahant? ibid. n. 16. Confirmatio facta oleo ſimplici, vel ſolo balſamo, vel chrismate non benedicto, eſt nulla. ibid. n. 17. Poſt adeptum uſum rationis non eſt multùm differenda, ne quidem in parvulis. ibid. n. 18. & 19. Qui hoc Sacramentum contemnit, peccat mortaliter. n. 20. Sicut & is, qui pluries illud ſuſcipit. c. 8. n. 21.

Conſecrationis tum validæ, tum etiam licitæ materia quæ? c. 12. n. 27. & 28. In quibus verbis conſiſtat Conſecratio? ibid. n. 31. Reperiens plures hoſtias, quàm conſecrare intendit, quidnam habeat obſervare? c. 12. n. 35. & 36. Hoſtia præter intentionem Sacerdotis in Altari poſita, an conſecretur? ibid. n. 35. & 48. Gutulæ vini calici adhærentes, item vinum in Calice cooperto con-

tentum, vel in tabernaculo clauſo repoſitum, an conſecretur? c. 22. n. 39. item n. 46. & 47. Conſecrans Hoſtias in Ciborio cooperto, illicitè agit. ibid. n 49. Advertens ſe locô vini aquam conſecrâſſe, quid agere habeat? c. 16. n. 48. & ſeqq. Unam duntaxat ſpeciem conſecrare nunquam licet. ibid. n. 160.

Contactus phyſicus, an ſit neceſſarius ad valorem Ordinis. c. 21. n. 18. Qui talem negligit, peccat graviter. ibid. n. 38.

D.

Diaconus ex commiſſione Parochi poteſt ſolenniter baptizare, nullus tamen alius Miniſter Diacono inferior. c. 5. n. 29. & 47. Diaconus poteſt etiam ex rationabili cauſa adminiſtrare Evchariſtiam. c. 13. n. 55. Item & Viaticum. ibid. n. 73. Diaconatûs materia, forma, & officia, quæ? c. 21. n. 15. Diaconiſſæ quæ fuerint in primitiva Eccleſia, & cur ſic dictæ? c. 22. n. 64.

Dilatio nimia Sacrorum ex juſtitia debitorum, non vacat culpa gravi. c. 18. n. 219. Et quando dilatio reputetur nimia? ibid. n. 220.

Dimiſſorialibus litteris debet eſſe inſtructus, qui vult ordinari ab alieno Epiſcopo. c. 22. n. 46. Cum fictis dimiſſorialibus accedens, quomodo peccet, & quas pœnas incurrat, ibid. n. 50. & ſeqq.

Diſpo-

Dispositiones quales requirantur ex parte Ministri Sacramentorum? c. 2. à n. 24. Et quænam ex parte subjecti, seu suscipientis? c. 3. n. 58. & seqq. Quænam dispositiones ex parte bâptizandi sint necessariæ? c. 6. n. 56. Quæ dispositio corporis necessaria sit in eo, qui vult sumere Sacram Synaxin, & quæ dispositio animæ? c. 14. à n. 88. Quæ dispositio ex parte participantium sit necessaria ad hoc, ut fructus Sacrificii ipsis obveniat? c. 17. n. 178.

Dubius de Confirmatione susceptâ, an licitè suscipiat Ordines? c. 8. n. 12. Dubitans de statu gratiæ, an licitè accedat ad S. Synaxin? c. 14. n. 97. item, an licitè accedat dubitans, an sit jejunus naturaliter? ibid. n. 101. Dubitans, an, vel quot Sacra teneatur legere ad intentionem fundatoris, quomodo se possit aut debeat resolvere? c. 18. n. 211. & 212. Dubitans de valore sui Ordinis, quomodo se habere debeat. c. 21. n. 23. & seqq. Et quid, si Episcopus vel Presbyter incipiat dubitare, postea quam aliquos actus sui Ordinis jam exercuit. ibid. n. 32. & 33.

E.

Ecclesia est ordinarius, & competens locus celebrandi. c. 19. n. 231. In Ecclesia polluta celebrare, nefas est. ibid. n. 236. Ecclesia quinque modis pollui potest. n. 237. An, vel quomodo polluatur per effusionem, huma-

humani seminis aut sanguinis? ibid. n. 244. & 245. Quid Sacerdoti agendum, ubi audit, sub Sacrificio Missæ pollutam esse Ecclesiam? n. 246. An polluta Ecclesia pariter polluatur Cœmeterium? c. 19. n. 247. Quo modo Ecclesia polluta denuo sit reconcilianda? ibid. n. 248.

Edituis neutiquam permissum est, ut partem stipendii sibi reservent, & alteram dent Sacerdoti pro Sacrificio legendo. c. 18. n. 224.

Energumeni, & Epileptici, an sint communicandi. c. 14. n. 98. Pro Energumenis fidelibus Sacrificium Missæ rectè, & licitè offertur. c. 16. n. 161.

Episcopus est Minister ordinarius Confirmationis. c. 8. n. 5. Episcopalis Ordo inadæquatè duntaxat distinguitur à Presbyteratu. c. 21. n. 6. Episcopus dubitans de valore sui Ordinis, quid habeat agere? ibid. n. 32. Solus Episcopus est Minister ordinarius Sacrorum Ordinum. c. 22. n. 39. Quæ conditiones ex parte Episcopi requirantur, ad licitam collationem Ordinum. ibid. n. 42. Alienum subditum sine dimissorialibus illicitè ordinaret. c. 46. & 50. Quot modis aliquis fiat Subditus Episcopi, ut ab eo possit Ordines prætendere? c. 22. n. 53. Episcopus censurâ innodatus, illicitè conferret Ordines. ibid. n. 61.

Errans in Sacrificio Missæ, an, vel quando fit

sit corrigendus? c. 20. n. 275. An, vel quô modo teneatur corrigere errorem, qui advertit se in Sacrificio Missæ errâsse. ibid. n. 279. & seqq. Error in actuali Ordinatione commissus, an, vel quomodo corrigendus sit? c. 21. n. 27. & seqq.

Evchariſtiæ Sacramentum quid? c. 11. n. 1. Fuit à Christo institutum in ultima Cœna. ibid. n. 2. Quô modo sit unum? n. 3. Quæ hujus materia ac forma? ibid. n. 4. & seqq. Evchariſtiæ Sacramentum portandum, & administrandum est cum lumine. c. 13. n. 63. An quoad hoc excuset necessitas præsertim Religiosos? ibid. n. 64. Evchariſtiæ Sacramentum dignè tractandum est, in loco honesto conservandum; & à Sacerdote custodiendum. c. 13. à n. 74. Quid agendum, casu quo bestia comedit species consecratas? ibid. n. 78. Evchariſtiæ subjectum, quinam sint? c. 14. n. 79. Hujus sumptio, quomodo sit necessaria ad salutem? c. 15. n. 106. & 107. Quinam tempore Paschali teneantur ad hujus sumptionem? ibid. n. 108. Laicis non debetur sub utraque specie. n. 111. Nec sæpiùs eadem die. c. 15. n. 112.

Extrema Unctio, quid? c. 9. n. 22. Vid. *Unctio Extrema.*

F.

Fœminæ incapaces sunt Sacrorum Ordinum. c. 22. n. 43. Immò & ipsius primæ Tonsuræ, ibid. n. 63.

Forma Sacramentorum quid? c. 1. n. 5. Hujus interruptio aut immutatio, an, vel quando obstet valori? ibid. n. 13. Quando sit repetenda? n. 14. Forma Baptismi in quibus verbis consistat? c. 5. n. 25. Vide *Baptismi Forma.* Forma Confirmationis quæ? c. 8. n. 4 Vide *Confirmationis forma.* Forma extremæ Unctionis in quibus verbis consistat, & quô modo sit proferenda. c. 9. n. 26. & seqq. Vide *Extrema Unctio.* Forma Consecrationis quæ sit, & quæ verba in eadem necessariò sint exprimenda. c. 12. n. 29, & seqq. An fas sit ea repetere. ibid. n. 41. & 42. Alta, & clara voce non sunt proferenda. n. 43. & 44. Forma Consecrationis, quando nam censeatur substantialiter immutata. n. 50. Qualem sensum genuinum reddant illa verba? c. 12. n. 51. Forma Ordinis quid sit, & quænam singulorum Ordinum formæ in specie? c. 21. n. 9. & seqq.

Fructus Sacrificii quid, & quotuplex? c. 17. n. 64. & 65. Alius dicitur Meritorius, Satisfactorius, & impetratorius &c. ibid. n. 66. Alius iterum generalis, specialis, & specialissimus. ibid. n. 67. Quæ dispositio, & qualis intentio applicandi sit necessaria, ad hoc, ut fructus Sacrificii alicui obtingat? c. 17. n. 173. & rursus à n. 190.

H.

Hæretici validè quidem ordinarentur, sed non licitè. c. 22. n. 62.

Hostiam maculatam, an liceat consecrare? c. 1. n. 15. Hostiam minorem loco majoris in casu necessitatis, an fas sit? c. 11. n. 15. An licitum sit consecrare Hostias minores primùm post Offertorium Sacerdoti oblatas? c. 12. n. 37. An post Consecrationem liceat eas continuò aufferre ex Altari? n. 38. Hostiasin Ciborio cooperto consecrans, illicitè agit. c. 12. n. 49. Quid agendum, casu quo Hostia Sacra decidit in terram, vel in sinum mulieris. c. 13. n. 66. & 67. Quid, si pœnitens fateatur, se Hostias consecratas alicubi abscondisse? ibid. n. 69. & 70. Hostia principalis in sacrificio Missæ est ipse Christus, minùs principalis sunt panis, & vinum. c. 16. n. 158. & 159. Hostiam elevare non potens licitè celebrat, saltem in loco privato. c. 20. n. 286.

I.

Jejunus naturaliter esse debet, qui vult communicare. c. 14. n. 83. In quo jejunium naturale consistat. ibid. n. 84. Quomodo illud lædatur seu frangatur. ibid. n. 91 & 92. item n. 99. & 100. Dubitans de fractione, an licitè accedat ad S. Synaxin? c. 14. n. 101. Impotentia vel infirmitas, an, vel quænam excuset à jejunio naturali? c. 14. n. 88. & seqq.

Indigne scienter administrare Sacramentum, nefas est. c. 2. n. 36. Quinam indigni cen-

ſeantur ? ibid. n. 37. Indignè communicans peccat mortaliter. c. 14. n. 103. Communicans in ſtatu disgratiæ, & ſimul nos jejunus, unum duntaxat Sacrilegium committit. ibid. n. 104.

Infirmi, quô modo SS. Sacramentis ſint providendi, & viſitandi à Parocho? c. 10. n. 53. & 57. Vide *Extrema Unctio*. Infirmi maturè provideri debent. c. 15. n. 130.

Intentio quænam ſit neceſſaria ad valorem Sacramenti? c. 1. n. 17. Explicatur trifaria intentio, & quænam omnium optima? c. 2. n. 27. & ſeq. Quomodo intentio debeat eſſe abſoluta, & determinata? c. 2. n. 33. & ſeqq. Ex parte ſuſcipientis Sacramentum, ſufficit intentio habitualis. c. 3. n. 58. Qui non vult, ſed renuit ſuſcipere extremam Unctionem, an nihilominus poſſit inungi? ibid. n. 69. Et unde colligendum, an talis habeat ſufficientem intentionem, vel non? n. 70. Intentio applicandi fructum Sacrificii neceſſaria eſt ex parte Sacerdotis? c. 17. n. 174. Sufficit tamen habitualis. ibid. n. 75. & rurſus n. 192. & 193. Intentio applicandi fieri debet ſaltem ante Conſecrationem? c. 17. n. 177. Religioſus, contra, vel præter intentionem ſui Superioris applicans Sacrificium, an validè agat? ibid. n. 178. An, vel quando licitum ſit dividere fructus Sacrificii? c. 17. n. 183. Quid ſi Sacerdos nullam intentionem applicandi haberet, vel eam primùm poſt

poſt Conſecrationem formaret? ibid. à n. 185. 188. & 189. An, vel quomodo intentio fieri poſſit ſub conditione? n. 191. & 192. Et quandonam expediat, ut Sacerdos præter intentionem primariam faciat aliam ſecundariam ſub conditione? c. 17. n. 194.

Interruptio formæ, quando obſtet valori Conſecrationis, vel aliorum Sacramentorum? c. 1. n. 13.

L.

Laicis an oporteat dare Hoſtiam majorem, vel partem Hoſtiæ majoris? c. 13. n. 59. Laicis non debetur Communio ſub utraque ſpecie. c. 15. n. 111. An expediat iisdem permittere Communionem quotidianam? ibid. n. 113. Laici, quô modo fungantur Officiis Miniſtarum? c. 21. n. 36.

Liber baptismalis diligenter eſt cuſtodiendus à Parocho, & quid in eo ſcribendum, caſu quo Parens nominatus negat, ſe eſſe Patrem illegitimæ prolis. c. 7. n. 88. & 89.

Locus competens ad offerendum Sacrificium eſt Eccleſia, vel alius locus ſacer. c. 19. n. 231. In caſu tamen neceſſitatis vel diſpenſationis obtentæ à S. Pontifice licitum eſt celebrare in loco non ſacro ſuper Altare portatile. ibid. n. 232. & 233. Tale Privilegium olim conceſſum fuit Religioſis, cui tamen hodie videtur derogatum. c. 19.

n. 234. & 235. In Ecclesia polluta celebrare, nefas est, ibid. n. 236. Vide *Ecclesia.* Religiosi tempore infirmitatis, an possint celebrare in suis Cellis, vel Cameris privatis? ibid. n. 250. An, & in quibus locis possint erigere Oratoria? c. 19. n. 251. & seqq.

Lumen, an, vel quo modo adhiberi debeat in Sacrificio Missæ? & quid, si ventorum impetu extinguantur? c. 20. n. 273.

M.

Martyrium, & lotio pedum &c. cur non sint Sacramenta? c. 1. n. 18. Quæ conditiones ad verum martyrium requirantur? c. 4. n. 6.

Materia Sacramentorum quid sit? c. 1. n. 5. Quomodo à Christo Domino fuerit instituta, & determinata? ibid. n. 6. Inter applicationem materiæ & formæ est quædam simultas moralis necessaria. ibid. n. 9.

Materia Baptismi est aqua naturalis. c. 4. n. 7. Vide *Baptismus. Materia Confirmationis* quæ? c. 8. n. 3. Vide *Confirmatio. Materia Extremæ Unctionis* quæ? c. 9. n. 24. Vide *Unctio Extrema.* Materia Eucharistiæ est panis usualis, & vinum de vite. c. 11. n. 4. Quinam censeatur panis verè usualis? n. 5. Quidnam de pane siligineo tenendum? n. 6. Panis usualis, quomodo debeat esse confectus? ibid. n. 7. Ad validam Consecrationem sufficit quodcunque vinum, etiam miraculosè pro-

productum. c. 11. n. 8. & 9. Vino consecrando admisceri debet aqua modica, quæ mediatè tantùm convertitur in sanguinem, ibid. n. 10. & 11. Quid de pane ex diversis granis confecto tenendum? c. 11. à n. 12. In casu necessitatis panem fermentatum, vel hostiam minorem, an liceat consecrare? ibid. n. 15. Quæ conditiones ad validam, & licitam materiæ Consecrationem desiderentur? c. 12. n. 27. & 28. Utrum materia vel hostiæ inscio Sacerdote positæ super Altare consecrentur? c. 12. n. 48.

Quænam sit materia Ordinis in genere, & quæ singulorum Ordinum in specie? c. 21. n. 9. 10. & seqq.

Minister Ordinarius Sacramentorum est homo viator, extraordinarius esse potest Angelus. c. 2. n. 23. Quæ conditiones in Ministro desiderentur, ut validè, & licitè Sacramenta conficiat? c. 2. à n. 24. item n. 48. & 49 Qualem debeat habere intentionem? n. 27. An, vel quando peccet administrando Sacramentum indigno? c. 2. n. 37. & seqq. Minister tenetur attendere ad dispositionem subjecti, & sequi sententias tutiores. c. 2. n. 52. 53. & seqq.

Minister indignus quisnam reputetur, & ob quas causas à tali liceat postulare Sacramenta? c. 3. n. 68. & seqq.

Minister ordinarius Baptismi est Sacerdos. c. 5. n. 28. Qui facultatem solenniter baptizan-

zandi delegare potest Diacono. ibid. n. 29. Idem Minister potest simul plures validè baptizare, & plures Ministri eundem. ibid. n. 30. & 31. Nullus seipsum potest baptizare. n. 32. Inter Ministros Baptismi observandus est quidam ordo, etiam in casu necessitatis, ubi fieri potest. c. 5. n. 45. An Fratres Minores possint administrare Baptismum? n. 46. Nullus Diacono inferior solenniter baptizare potest. n. 47.

Minister Ordinarius Confirmationis est Episcopus. c. 8. n. 5. Extraordinarius potest esse simplex Sacerdos. ibid. n. 6.

Minister extremæ Unctionis potest esse solus Sacerdos. c. 10. n. 42. Qui, ut eam licitè administret, debet esse præditus jurisdictione. ibid. n. 43. Tenetur eam administrare rationabiliter petentibus. n. 44. Quibusnam, & quoties hæc sit ministranda? c. 10. n. 49. Vide *Unctio extrema.*

Minister Eucharistiæ est solus Sacerdos. c. 13. n. 52. Huic soli competit potestas ordinaria eam administrandi, tametsi possit illam Diacono committere. ibid. n. 54. & 55. Ad licitam hujus administrationem necessaria est jurisdictio. c. 13. n. 56.

An Religiosi eam administrare possint, & quibus? c. 13. n. 57. item n. 72. Utrum Sacerdoti liceat extra Sacrificium sibimet ministrare Eucharistiam, vel partem majoris hostiæ dare Laico? c. 13. n. 58. & 59. Minis-

strans

ſtrans Euchariſtiam debet eſſe in ſtatu gratiæ, eámque miniſtrare dignis duntaxat, ibid. n. 60. Quibus cum cæremoniis ſit adminiſtrandum hoc Sacramentum, & quo locô aſſervandum? c. 13. n. 75. & 76. Ciborium aliquoties per annum renovare oportet, & quomodo. ibid. n. 78.

Miniſtrans Sacerdoti ad Altare, debet eſſe Mas, & callens ſuum miniſterium, atque preces. c. 20. n. 264.

Miniſter ordinarius, & legitimus Sacrorum Ordinum eſt ſolus Epiſcopus. c. 22. n. 39. Extraordinarius minorum Ordinum poteſt eſſe ſimplex Sacerdos. ibid. n. 40. Abbates quantùm circa hoc valeant? n. 41. Quænam conditiones requirantur, ut Miniſter licitè conferat S. Ordines? c. 22. n. 42.

Miſſa quid ſit? c. 16. n. 133. Eſt verum, & propriè dictum Sacrificium N. L. ibid. n. 134. Miſſa quà talis, quomodo differat à Sacramento, & Sacrificio? ibid. n. 156. Miſſa ordinariè debet correſpondere Officio diei. c. 20. n. 265. Quandonam Eccleſia permittat, legi Miſſas votivas, & de Requiem? ibid. n. 266. In Sacrificio Miſſæ errans, an, vel quando teneatur corrigere errorem? c. 20. n. 279. & ſeqq.

Moribundus, renuens ſuſcipere extremam Unctionem an poſſit inungi? c. 3. n. 69. Et unde colligendum, an talis habeat intentionem ſufficientem, vel non? ibid. n. 70.

Mo-

Moribundus non habens confidentiam ad Miniſtrum bonum, an propterea poſſit petere Sacramenta à Miniſtro indigno? ibid. n. 79.

Mutatio ſubſtantialis formæ vel materiæ obſtat valori Sacramentorum. c. 1. n. 7. Quænam cenſeatur eſſe talis? ibid. n. 8. item n. 16. & 17. Nec Pontifex, neque Eccleſia poteſt mutare, vel unquam mutavit Sacramenta. c. 1. n. 19. 20. & 21.

N.

Nobilium proles, an licitè baptizentur extra Eccleſiam, & quinam nomine Nobilium hìc intelligantur? c. 7. n. 74. item n. 82. & 84.

O.

Obligatio ſacrificandi, quanta incumbat ſimplici ſacerdoti, quanta Beneficiato, & quanta Parocho? c. 18. n. 195. & ſeqq. An, vel quoties Parochus obligetur ſuum Sacrificium offerre pro ſuis Parochianis? ibid. n. 198. & 199. Quidſi Beneficiatus vel Parochus dubitet ad quot Sacra vi fundationis obligetur? c. 18. n. 11. Obligatio offerendi Sacrificium ex juſtitia debitum, eſt gravis ex genere ſuo, non item obligatio debita titulô juſtitiæ duntaxat. c. 18. n. 217. Obligationes Ordinatorum quæ? c. 22. n. 48. Quô jure teneantur ad continentiam perpetuam? c. 22. n. 49.

Obſe-

Obſtetrix, ſi infantem invalidè baptizâſſe noſcatur, quid agendum? c. 5. n. 35. Et quid ſi Saga baptizâſſet plures in nomine diaboli? ibid. n. 37.

Ordo quid nominis, & quid rei? c. 21. n. 1. 2. & 3. Ordines dantur ſeptem in Eccleſia, alii majores, alii minores appellati. ibid. n. 4. & 5. Epiſcopatûs Ordo quomodo diſtinguatur à Presbyteratu? c. 21. n. 6. Omnes Ordines ſunt Sacramenta, & quomodo unum Sacramentum dici valeant? ibid. n. 7. & 8. Ordinis materia, & forma, quæ? c. 21. à n. 9. Qualis contactus ſit neceſſarius ad validam Ordinationem? ibid. n. 18. Ordo dubius, an ſit reiterandus? ibid. n. 23. & ſeqq. Ordo cum errore collatus an valeat, & quid in tali caſu agendum? c. 21. à n. 27. Subdiaconatus ſuſceptus ſine intentione vovendi caſtitatem, valet, & quid tali incumbat? ibid. n. 30. & 31. Epiſcopus vel Presbyter dubitans de valore ſui Ordinis, quid habeat agere? c. 21. n. 32. & 33. Inter Ordines datur quædam ſubordinatio. ibid. n. 34. Ordinem quemcunque in ſtatu disgratiæ ſuſcipere, nefas eſt. n. 35. Laici quomodo fungantur Miniſtrarum ſervitiis. n. 36. Ordinatio Presbyteri ſine traditione panis, eſt nulla. c. 21. n. 37.

Ordinis Miniſter quis ſit? c. 22. n. 39. & 40. Quinam ſint ſubjectum capax Ordinum? ibid. n. 43. Quæ conditiones ad validam, &

quæ

quæ ad licitam Ordinationem requirantur ex parte subjecti? ibid. n. 45. & 46. Qui sint effectus Sacrorum Ordinum, & quæ obligationes inde oriantur? ibid. n. 47. & 48. Episcopus illicitè ordinaret alienum Subditum, nisi is habeat litteras dimissoriales. c. 22. n. 50. & 51. Quot modis aliquis fiat Subditus Episcopo? ibid. n. 53. Religiosi à quonam Episcopo possint, aut debeant suscipere SS. Ordines. c. 22 n 45 & seqq. An plures Ordines eisdem liceat conferre, non servatis interstitiis? ibid. n. 57. An etiam plures eadem die? ib. 58. In susceptione, & collatione Ordinum sequendæ sunt sententiæ tutiores. c. 22. n. 59. Quænam sententiæ in hac materia sint minùs tutæ? ibid. n. 60. Ordinatio, facta ab Episcopo censura innodato, valida quidem est, sed illicita. ibid. n. 61. Hæretici illicitè ordinarentur. n. 62. Mulieres omnino invalidè. c. 22. n. 63.

P.

Panis usualis est materia Eucharistiæ, & quomodo is debeat esse confectus? c. 11. à n. 4. Unde dignoscendus sit panis usualis? ibid. n. 22. Recensentur aliqui panes non usuales. ibid. n. 23.

Paramenta quæ sint necessaria ad debitè celebrandum? c. 20. n. 260. A quonam debeant

debeant esse benedicta? ibid. n. 261. Quomodo peccet, qui sine illis, vel aliquo illorum celebrat? à n. 271. Quomodo paramenta suam consecrationem vel benedictionem deperdant? c. 20. n. 282.

Parentes tenentur suas proles offerre proprio Pastori baptizandas c. 6. n. 66. Graviter peccant, nisi prolibus provideant de baptismo. c. 7. n. 87.

Parochus negligendo infirmum, quomodo peccet? c. 2. n. 42. Et quomodo alius non Parochus id faciendo peccaret? ibid. n. 43. Parochus in alieno territorio, an licitè baptizaret? c. 6. n° 59. & 65. Parochus tenetur diligentem curam gerere circa librum baptismalem. c. 7. n. 88. Quid in eodem scribendum, casu quo parens nominatus ab illegitima matre, negat, se esse patrem prolis. ibid. n. 89. Parochus tenetur subditis suis rationabiliter postulantibus administrare extremam Unctionem. c. 10. n. 44. An teneatur priùs properare ad infirmum inungendum, quàm ad infantem baptizandum? ibid. n. 53. & 54. An teneatur illam administrare cum periculo propriæ vitæ? ibid. n. 55. An liceat eam dare Seniculis, in quibus nondum apparet periculum mortis? c. 10. n. 56. Parochus, an teneatur sæpiùs visitare infirmos? ibid. n. 57. Tenetur suis subditis administrare Eucharistiam. c. 13. n. 61. & 62. Tenetur insuper maturè pro-

videre ſuos infirmos, c. 15. n. 130. An, & quoties Parochus teneatur ad celebrandum? c. 18. n. 197. Et quoties teneatur illud applicare pro ſuis Parochianis? ibid. n. 198. & 199. Utrum Parochus teneatur dare totum ſtipendium, ſi velit Sacra ex fundatione debita commitere alteri? ibid. n. 205. & ſeqq. Quid, ſi Sacrum legendum in Altari privilegiato, legat in alio Altari non privilegiato, vel in alia Eccleſia? ib. n. 209. & 210. & 216. Quidſi Parochus dubitet, an vel quot Sacra vi ſui Beneficii teneatur applicare? ibid. n. 211. Et utrum teneatur ſupplere, ſi quæ hactenus omiſit? c. 18. n. 213. Quid, ſi infirmitate præpeditus, nequeat celebrare per aliquos dies Sacrum quotidianum? ibid. n. 214. Quid denique, ſi ſponte illud intermittat, aut negligat? ib. n. 215. Parochus Sacra debita nimiùm differendo, poteſt graviter delinquere, & quæ dilatio reputetur nimia? c. 18. n. 219. & 220.

Patrinus in baptismo eſt adhibendus. c. 7. n. 75. Et quinam ab hoc munere ſint excludendi? ibid. n. 76. Patrinus non confirmatus, an tenendo infantem, contrahat cognationem ſpiritualem? c. 8. n. 14. An plures ſimul tenentes eam contrahant? ibid. n. 16.

Peccatori publico non licet adminiſtrare Sacramentum Eucharistiæ, bene verò occulto, ſi pu-

Digitized by Google

si publicè petat. c. 2. n. 37. & 38. Quisnam censeatur esse peccator publicus? ibid. n. 46. Peccatori indigno dare hostiam non consecratam locô consecratæ, neutiquam licet. c. 2. n. 47.

Pœnæ negligentium Sacram Communionem Paschalem. c. 15. n. 110. An pœnam aliquam incurrat, qui dubitans de valore Ordinis jam suscepti, alium suscipit. c. 21. n. 31. Quas pœnas incurrat, qui cum fictis dimissorialibus accedit ad Subdiaconatum? c. 22. n. 50. & 51. Quas pœnas incurrant, qui cum aliquo impedimento Canonico præsumunt suscipere Sacros Ordines? c 22. n. 51.

Pœnitens, negans aut subticens peccatum in Confessione, quomodo sit tractandus, & an communicandus? c. 2. n. 44. & 45.

Pollui potest Ecclesia quinque modis. c. 19. n. 237. Quô modo polluatur per humani sanguinis, aut seminis effusionem? ibid. n. 244. & seqq.

Prima Tonsura quid sit, & quinam hujus effectus? c. 21. n. 19. & 20.

Privilegium in loco non Sacro super Altare portatile celebrandi olim Religiosis concessum, an defacto vigeat? c. 19. n. 234. 235. & 249. Privilegium *Canonis* quid importet, & quinam eo gaudere possint? c. 21. n. 21. & 22.

R.

Religiosi quantùm valeant circa administrationem Evchariſtiæ, præſertim tempore Paſchali, & in articulo mortis? c. 13. n. 57. & 72. An Religiosis ſit licitum deportare Evchariſtiam ad infirmos ſinè lumine, vel alia pompa exteriori? ibid. n 64. Religioſus ad Sacros Ordines miſſus, an non ampliùs jejunus licitè illos ſuſciperet? c. 14. n. 88. Religioſus Subditus qualem intentionem applicandi Sacrificium formare debeat; & an contra voluntatem ſui Superioris illud valeat applicare? c. 17. n. 178. & 180. Religioſus juſſus legere *ad intentionem*, an licitè dividat fructus ſui Sacrificii? c. 17. n. 183. & ſeqq. An Religioſis fas ſit celebrare in loco non ſacro, vel in Camera privata, aut infirmaria? c. 19. n. 234. & ſeqq. item à n. 250 An, & in quibus locis Religioſi poſſint erigere Oratoria? ibid. n. 251. & ſeqq. A quonam Epiſcopo debeant, aut poſſint petere Ordines Sacros? c. 22. n. 45. & ſeqq.

Repetere formam Sacramentalem, an vel quando ſit licitum? c. 1. n. 14. Et quando liceat repetere formam Conſecrationis? c. 12. n. 41. 42. & 45.

Rubricæ Miſſalis aliæ ſunt directivæ duntaxat, aliæ etiam præceptivæ. c. 20. n. 268. An, vel quomodo peccet, qui Rubricas non obſer-

obſervat? ibid. n. 269. &ſeqq. item n. 277. Quomodo peccet, qui omittit *Gloria*, vel *Credo* &c. ? ibid. n. 283. & ſeqq. Quid agendum Sacerdoti, ubi prævidet, ſe non poſſe obſervare in Miſſa unam, alteramvè Cæremoniam? c. 20. n. 285. & ſeqq. Rubricæ Miſſalis de defectibus corrigendis. c. 20. n. 287.

S.

Sacerdos in ſtatu disgratiæ miniſtrans Sacramentum peccat graviter. c. 2. n. 25. & 26. item n. 48. An teneatur præmittere Confeſſionem ? ibid. n. 49. Vide *Miniſter Sacramentorum.* Sacerdos ſacrificans, quibus paramentis debeat eſſe inſtructus ? c. 20. n. 260. & ſeqq. Sacerdos dubitans de valore Ordinis ſuſcepti, an in eo miniſtrare valeat? c. 21. n. 23. & ſeqq. Et quid, ſi jam aliquos actus ſui Ordinis exercuiſſet? ibid. n. 33.

Sacramentum quid, c. 1. n. 1. Quot ſint? ibid. n. 2. An in Lege veteri fuerit verum Sacramentum? n. 3. Quomodo perficiantur, & quomodo ipſorum forma ac materia fuerit à Chriſto Domino determinata? n. 5. & 6. Sacramentorum effectus qui ſint, & quot? c. 1. n. 10. & 11. Quomodo ſint ad ſalutem neceſſaria ? ibid. n. 12. Scienter ſuſcipiens Sacramentum vivorum in ſtatu disgratiæ, peccat mortaliter? c. 1. n. 22. Sacramenta petere à Miniſtro indigno, an vel quando ſit licitum? c. 3. n. 63. & ſeqq. Vide *Miniſter Sacramentorum.*

Sacramentum Baptismi quid sit? c. 4. n. 1. Vide *Baptismus.*

Sacramentum Confirmationis quid? c. 8. n. 1. Vide *Confirmatio.*

Sacramentum extremæ Unctionis quid? c. 9. n. 22. Vide *Unctio.*

Sacramentum Eucharistiæ quid? c. 11. n. 1. Vide *Eucharistia.*

Sacramentum Ordinis quid? c. 21. n. 2. Vide *Ordo.*

Sacrificium in communi, quid sit? c. 16. n. 132. An Missa sit verum Sacrificium, & quomodo unum? ibid. n. 134. & 137. Probabilius in sola Consecratione essentialiter consistit? ibid. n. 138. Consecratio utriusque speciei est de essentia Sacrificii completi n. 139. Quinam sint offerentes, & pro quibus illud offerri valeat? c. 16. n. 140 & seq. Quid agendum, casu quo Sacerdos sub Sacrificio infirmatur? n. 146. & 147. Et quid, si advertat, se locô vini consecrâsse aquam? c. 16. n. 148. & seqq. An sit licitum, illud offerre pro hæreticis, pro animalibus, vel aliis necessitatibus fidelium? ibid. à n. 152. Differentia inter Sacramentum, & Sacrificium, quæ? c 16. n. 155. Et quæ differentia inter Sacrificium, Missam, & Sacramentum? ibid. n. 156. Sacrificii Hostia quæ? c. 16. n. 158. & 159. Illicitum est, consecrare unam duntaxat speciem? ibid. n. 160. Sacrificium offerri potest pro infantibus Infidelium,

fidelium, i'émque pro Energumenis, & peccatoribus; non tamen pro damnatis. c 16. n. 161. & 163. Neminem fidelium licet excludere à fructu generali Sacrificii. c. 16. n. 162.

Sacrificii fructus quid sit, & quotuplex? c. 17. n. 164. & seqq. An, & quomodo sit infinitus? ibid. n. 168. Sacrificium quomodo sit propitiatorium ex opere operato? n. 169 & 170. Et quomodo satisfactorium? ibid. n. 171. Quomodo impetratorium? n. 172. Quædispositio in hunc finem ex parte participantum sit necessaria? ibid n. 173. Et quæ tam intentio applicandi fructum ex parte Sacerdotis? c. 17. n. 174. & seqq. item n. 192. & 193. Sacrificium quà tale non est immediatè collativum gratiæ sanctificantis. ibid. n. 187.

Sacrificandi tempus incipit ab aurora. c. 19. n. 225. Vide *tempus celebrandi.* Locus ordinarius celebrandi est templum. c. 19. n. 231. Vide *Locus celebrandi.*

Scrupulosus Sacerdos, dubitans de valore sui Ordinis, quomodo se habere possit, vel debeat? c. 21. à n. 23.

Sententiæ tutiores tenentur sequi Ministri Sacramentorum. c. 2. n. 53. & 54. Idque præsertim in collatione Episcopatûs, & Presbyteratûs. c. 22. n. 59. Quænam sententiæ circa collationem Ordinum defactò non sint tutæ. ibid. n. 60.

Subdiaconatûs materia, forma, & officia, quæ? c. 21. n. 14. Subdiaconus dubitans de valore ſui Ordinis, at quid teneatur? ibid. à n. 30.

Subditus Epiſcopi in Ordine ad recipendos Ordines, quot modis aliquis efficiatur? c. 22. n. 53.

Subjectum capax Sacramentum eſt ſolus homo viator. c. 3. n. 55. Qualis intento ex parte ſubjecti, ſeu ſuſcipientis ſit neceſſaria? ibid. n. 56. Vide *intentio.* Suſcipiens Sacramentum vivorum debet eſſe conſtitutus in gratia. c. 3. n. 60. & 61. item n. 70. & 71.

Subjectum Baptismi eſt omnis homo viator nondum baptizatus, etiam parvulus. c. 5. n. 48. Vide *Baptismi ſubjectum.*

Subjectum Confirmationis quinam ſint? c. 8. n. 18. & 19. Vide *Confirmatio.* Et quinam ſint ſubjectum extremæ Unctionis? c. 10. n. 49. Vide *Unctio extrema.*

Subjectum capax Euchariſtiæ eſt omnis homo baptizatus, & rationis compos, non item perpetuò amentes, neque infantes ante uſum rationis adeptum. c. 19 n. 79. & 80. Semifatuis an, vel quando oporteat adminiſtrari Euchariſtiam. ibid. n. 81. Energumeni & Epileptici, an ſint communicand? c. 14. n. 98.

Stipendium an liceat petere pro Sacrificio Miſſæ? c. 8. n. 200. Quantas ſtipendii uni-

univerſaliter determinari nequit, ſed attendenda eſt approbata conſuetudo cujuslibet loci. ibid. n. 201. & 202. Illicitum eſt, partem ſtipendii ſibi retinere, & Sacrum committere alteri legendum, niſi alter ſponte conſentiat? c. 18. n. 203. & 204. An Parochus ſibi licitè retineat partem ſtipendii majoris pro Sacris ex fundatione debitis? ibid. n. 205. Pro eodem Sacrificio plura ſtipendia accipere, nefas eſt. ibidem n. 221. Nec ſatisfaceret, qui propterea vellet applicare uni fructum miniſterialem, & alteri fructum ſpecialiſſimum. ibid. n. 222. Neque in hoc excuſat paupertas Sacerdotis. c. 18. n. 207. & 228. Multò minùs Ædituis permiſſum eſt, aut permittendum, ut ſibi retineant partem ſtipendii, & alteram dent Sacerdoti pro Sacrificio legendo. c. 18. n. 224.

T.

Tempus ordinarium celebrandi incipit ab aurora. c. 19. n. 225. Et quid nomine auroræ intelligatur? ibid. n. 226. Quô modo hæc ſit accipienda? n. 227. Cuilibet Sacerdoti permittitur, qualibet die ſemel celebrare, non tamen ſæpiùs, niſi in Natali Domini. n. 228. & 229. Defacto non ampliùs licet omnes tres Miſſas in nocte Nativitatis dicere. ibid. n. 230 Celebrare ante dictum matutinum, & laudes, videtur culpa venia-

lis. c. 18. n. 238. Capellanus Aulicus, an licitè celebret hora duodecima 1. vel prima, vel mediô ſecundæ? ibid. n. 239. & 240.

Tonſura prima quid ſit, & quinam hujus effectus? c. 21. n. 19. & 20.

V.

Valor Sacrificii quid ſit? c. 17. n. 164. Et quantus? ibid. n. 168. Vide *Fructus Sacrificii.*

Veſtes, ſeu Paramenta Sacerdotalia, quot & quæ? c. 20. n. 260. Debent eſſe benedicta. ibid. n. 261. Sinè ſtola, aut manipulo celebrare, an, vel quale peccatum ſit? ibid. n. 274. Quid agendum, ſi Sacerdos talem defectum animadvertat primùm in Altari? ibidem n. 275. & 276. Quomodo Paramenta Eccleſiaſtica ſuam benedictionem deperdant? c. 20. n. 282.

Viaticum Sacrum ſinè lumine deportare ad infirmos, an liceat? c. 13. n. 63. & 64. An Diacono liceat adminiſtrare Viaticum? n. 73. Et an ſit licitum illud deportare equitando? c. 13. n. 74. Fideles tenentur ad ſumendum S. Viaticum in mortis articulo; & quinam in mortis articulo cenſeantur conſtituti? c. 15. n. 114. & 115. An, vel quando peccet infirmus, illud recuſans? ibid. n. 116. & ſeqq. Qui non adeò pridem ſumpſit

ſumpſit Euchariſtiam, non tenetur ad S. Viaticum. n. 119. Tametſi omnino laudabiliter agant, qui ſæpiùs illud devotè recipiunt. ibid. n. 129. An S. Viaticum dandum ſit plenè ebrio? c. 15. à n. 120. An etiam illis, qui vomitui ſunt obnoxii? ibid. n. 123. & ſeqq. Et quid agendum, caſu quo infirmus Sacras Species revomit? ibid. n. 125. Præcepto Eccleſiaſtico de ſumendo Sacro Viatico non ſatisfit per Communionem ſacrilegam, ibid. n. 128. Quibusnam perſonis Sacrum Viaticum debeatur? c. 15. n. 131.

Vinum de vite eſt materia Evchariſtiæ. c. 11. n. 4. & ſeqq. Vinum aceſcens, congelatum, vel aliô modo alteratum, an, vel quomodo ſit materia Conſecrationis? c. 11. à n. 16. item n. 24. & 25. Vinum nimis lymphatum conſecrari non debet: & quid agendum in tali caſu? c. 11. n. 19. & ſeqq. Quid tenendum de guttulis vini, calici adhærentibus, & quid cum illis practicè agendum? c 12. n. 39. & 40. Vinum in calice cooperto contentum validè conſecratur. ibid. n. 46. Non item repoſitum poſt parietem, vel in tabernaculo clauſo. c. 12. n. 47.

Unctio extrema eſt Sacramentum à Chriſto inſtitutum poſt Reſurrectionem. c. 9. n. 22. & 23. Materia remota hujus eſt oleum olivarum: proxima conſiſtit in unctione, quæ debet fieri in quinque ſenſibus. ibid. n. 24.

&

& 25. Quæ ſit forma hujus Sacramenti, & quomodo proferenda? n. 26. & ſeqq. Quinam effectus ejusdem. n. 29. & 30. Infirmus ex delirio recuſans unctionem, an ſit liniendus? c. 9. n. 31. Quidnam agendum, ſi Oleum Sacrum fuerit effuſum aut diſperſum? ibid. n. 32. Et quid, ſi non ampliùs ſufficiat? n. 33. An error corrigendus, & repetendum hoc Sacramentum, ſi Unctio fuit facta oleo Catechumenorum? ib. n. 34. & 35. Et quid agendum, ſi Miniſter alicujus ſenſus inungendi fuit oblitus &c.? ibi. n. 36. Qui voluntariè intermitteret Unctionem alicujus ſenſus, graviter peccaret? n. 37. & 38. Et quid agendum, ſi infirmus careat aliquo ſenſu v. g. visû, vel auditú? n. 39. Quæ mutatio obſtet valori hujus Sacramenti? c. 9. n. 40. & 41. Solus Sacerdos eam validè adminiſtrat. c. 10. n. 42. Et quid requiratur, ut etiam licitè eam miniſtret? ibid. n. 33. Parochus ſubditis ſuis rationabiliter poſtulantibus tenetur eam adminiſtrare. c. 10. n. 44. Quibuscum Cæremoniis? n. 45. & 46. Plures Miniſtri an eam ſimul uni adminiſtrare valeant? n. 47. & 48. Quibus & quoties adminiſtrari debeat? c. 10. n. 49. & 50. item à n. 60. Per ſe loquendo nullus tenetur ad hujus ſuſceptionem, benè verò aliquando per accidens. n. 51. & 52. An ſit priùs adminiſtranda infirmo, quàm baptismus infanti morituro?

c. 10. n. 53. & 54. Non tenetur Parochus eam administrare cum periculo vitæ. ibid. n. 55. An licitè administretur senibus, in quibus nondum apparet periculum mortis? n. 56. Infirmus malè agit, recusando extremam Unctionem ex eo, quòd credat, sibi propterea moriendum fore. ibid. n. 58. An talis infirmus in actuali somno validè inungeretur? ibid. n. 59. Infirmarii, negligentes procurare extremam Unctionem suo infirmo, an peccent? c. 10. n. 64.

Vomitum patientes, an Sacro Viatico sint muniendi? c. 15. n. 123. Quid, si dubitetur, an infirmus sit revomiturus Sacras Species? ibid. n. 124. Et quid agendum, si actu revomuit? c. 15. n. 125.

Votum Baptismi quid, & quomodo debeat esse constitutum, ut sit proficuum ad obtinendam gratiam? c. 7. n. 70.

FINIS.

MAG 2005200

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google